Publii Virgilii Maronis

Opera

ad fidem novem Codicum MST. nondum adhibitorum Bibliothecae Regiae Bambergensis, nec non Schoenborniano-Gaibacensis, aeque ac Viechtianae, collata cum optimis editionibus, praecipue illa Cl. Heynii, aucta lectionum varietate perpetuaque adnotatione, et scholarum in usum edita

a

Joachimo Henrico Jaeck,

Bibliothecae Bambergensis Praefecto.

Accedunt Specimina Scripturarum.

Vinariae,

in novo Bibliopolio, vulgo Landes-Industrie-Comptoir.

1826.

Prologus.

Editione *Quinti Horatii Flacci* operum quatuor ante annis a me absoluta, nihil aptius mihi visum est, quam et edendis *P. Virgilii Maronis* operibus omnem operam dare. Erat enim non in philosophia solum, sed etiam in mathematica, astrologia et arte medendi versatissimus; juris pontificii et rituum sacrorum non minus, quam litterarum graecarum peritus [1]), vetustatis amator, in omni arte eximius, et poetarum princeps. Sunt nempe, qui Virgilium Maronem Homero [2]), et reliquis graecis latinisque poetis anteferant [3]). Imitatus est aliorum studia egregie, et non sine liberalitate sui valuit judicii sagacitate, mira verborum proprietate, sublimitate styli, ingeniique magnitudine. Unde factum est, ut non modo vivum

1) Augustinus, Hieronymus, Macrobius, Scaliger, Servius, Pierius, Seneca et Martialis. 2) Quintilianus, Polybius, Lucanus. 3) Horatius, Ovidius, Caelius, Jovianus, Papinius, Muretus.

coaevi doctrinae gloria perspicui, imprimis *Augustus*, summis honoribus persequerentur; sed et defunctum posteri laudibus efferrent, quae vigebunt saeculorum omnium memoria. Vere ergo praedixit: „Ea tuba, cum qua loquor, ubique et diutissime audietur.“

Quo majori in pretio P. Virgilii M. opera semper fuerunt, eo minus differre potui, eorum editionem juxta Codices Mstos Bibliothecae Regiae Bambergensis (et trium aliarum Bibliothecarum), postquam illis *Cl. Schraderi*, *Clossii* et *Tafelii* judicio, qui partem eorum *corporis juris Romani* edendi causa perscrutati sunt, major gloria addita est [4]). Quanquam variantes lectiones e Codicibus Mstis nostris *Q. Horatii Flacci* communicatae eas *P. Virgilii Maronis* multitudine superent; has tamen tanti momenti esse arbitror, ut ad eruendum perspiciendumque verum textum non minus conferre possint. Inter Codices primo memorandus est ille *Gaibacensis*, cujus jam meminit *Cl. Heyne* [5]);

---

4) Prodromus corporis juris civilis a Schradero, Clossio et Tafelio, Professoribus Tubingensibus, edendi. Inest totius operis conspectus; subsidiorum ad Institutionum criticam recensionem et interpretationem spectantium enumeratio; editionis ipsius specimen. Berolini apud G. Reimerum. MDCCCXXIII. 8. p. XII, 336, et LXXIII. 5) P. Virgilius M. varietate lectionis et perpetua adnotatione illustratus a Chr. G. Heyne. Ed. III. Lips. ap. Fritsch 1798. 8. Vol. V. p. 421. §. XXII: „Dudum mihi innotuerat Codex Erfurtensis e libraria suppellectili coenobii Portae Coeli, misso quoque ad me lectionis specimine, unde intellexi ex eodem cum cum Gothanis fonte fluxisse. Audieram

sed non pro merito, quod cuivis lectori ex prolatis meis varietatibus patebit. Codex hic in 4. majori, N. 1796 in bibliotheca Gaibacensi insignitus, constans 174 foliis, quorum quodvis longitudinem 10 poll. 9 lin. — latitudinem 8 poll. Bavar., ac quaevis pagina 29 versus habet, continet omnes libros Maronis Aeneidos, exceptis viginti quatuor ultimis versibus. Juxta specimen III. a me datum scriptura medii saeculi XI. esse videtur ad normam *Mabillonii* de Re diplom. p. 369. N. 2. *Ex Cod. Reg.*, licet sex valde coaevi scriptores Codicem Nostrum perfecerunt, ut *Cl. Degen* in citato programmate [6]) fuse jam docuit, nempe:

---

mox a viro doctiss. *Jo Fr. Degen*, A. M. Gymnasii Ansbacensis Collegio adscripto (nunc emerito Rectore Gymnasii Baruthensis), repertum Codicem, cujus descriptionem ipse dederat Progr. 1785. Ab ejus humanitate facile impetravi lectionis varietatem, moxque animadverti, esse hunc eundem Codicem cum Erfurtensi; ex claustro itaque suo pervenerat ille ad Ill[os] Comites *de Schoenborn*, servaturque nunc *Gaibaci* in tractu Franconiae Steigerwaldensi. Criticus usus Codicis aut nullus aut exiguus est; cum indocte scriptus, nec minus indocte correctus et interpolatus sit a pluribus. Varians utique lectio e meris vitiis pravae scripturae constat; et, si qua est tolerabilis lectio, aut ex errore eam profectam esse facile intelligitur, aut jam ex aliis Codd. illa est enotata. Inserui tamen potiora (?) suis locis." 6) Einladungsschrift zum gewöhnlichen Herbstexamen, welches auf dem hies. hochf. ill. Karl-Alexandrinum am 19. Sept. 1785 seinen Anfang nimmt. Beitrag zu Nachrichten von alten Handschriften. Onolzbach, gedruckt bei J. D. Messerer, Hof- und Kanzleibuchdrucker. 1785. 4.

„Manipul.	1	incip.	Lib.	I. 1 antiq. man. 1.	
	2	—	Lib.	I. 291 ant. man. 1.	
	3	—	Lib.	II. 1. al. man. ant. 2.	
	4	—	—	437. ead. m. 2.	
	5	—	—	III. 93 ead. m. 2.	
	6	—	—	III. 545 al. m. ant. 2.	
	7	—	—	IV. 280 al. m. ant. 3.	primae si-
	8	—	—	V. 27 ead. m. ant. 3.	millima,
	9	—	—	V. 492 redit ant m. 1.	
	10	—	—	VI. 71 al. m. ant. 4.	
	11	—	—	VI. 536 ead. m. ant. 4.	
	12	—	—	VII. 86 red. ant m. 1.	
	13	—	—	VII. 550 al. m. ant 5.	
	14	—	—	VIII. 187 red. m ant 1.	
	15	—	—	VIII. 651 ead. m. ant 1.	
	16	—	—	IX 371 ead. m. ant. 1.	
	17	—	—	X. 5 man. ant. 6.	
	18	—	—	X 469 ead. m a 6	primae si-
	19	—	—	XI. 12 ead. m. a. 6.	millima,
	20	—	—	XI. 472 ead m. a. 6.	
	21	—	—	XII. 1 red. m. a 1.	
	22	—	—	XII. ead. m. a. 1.	
	23	—	—	XII. 481-928 red. m a. 6.	

Huic notitiae *Cl. Degen* addit uberiorem descriptionem cuiusvis libri Aeneidos, ad quam lectores mitto.

Alter Codex *Gaibacensis* membran. in 8. maj., N. 2496 insignitus, constans 27 foliis, habet longitudinem 9 poll. — latitudinem 5 poll., et in quavis pagina 36 versus. Juxta specimen II. prima scriptura textus saec. XI. ad normam *Mabillonii* p. 369. N. 4. *Ex Cod. Nostro s. Germani* 607, notae vero tum marginales tum interlineares vix legendae saec. XIV. demum additae esse videntur. Praeter quatuor libros Georgicorum P. Virgilii complectitur hic Codex adhuc XVI. satyras D. Jun. Juvenalis eiusdem fere aetatis, quarum varietates et notas cum perpetuo commentario mox editurus sum.

Tertius Codex *Gaibacensis* membran. in 4. min., N. 2807 insignitus, constans 5 foliis, habet longitudinem 6 poll. 10 lin., latitudinem 5 poll. 3 lin., et in quavis pagina 32 versus. Juxta specimen V. a me datum scriptura saec. XII. vel XIII. esse videtur ad normam Mabillonii p. 371. N. 3. *Ex. Cod. N. S. Germ.* 66. Complectitur hic Codex sex carmina minora, sc. Copa, Est et Non, Vir Bonus, de Vere, Moretum, de Venere et Baccho; ac praeterea Somnium Scipionis ex L. VI. M. T. Ciceronis de Republica cum Macrobii expositione; Platonis Timaeum; Martiani Capellae astrologiam et libros duos de nuptiis; Ven. Bedae librum de arte metrica; et fragmentum incerti Authoris de virtutibus.

Primus Codex *Bambergensis* chartaceus in 4., habens longitudinem 9 poll. ac latitudinem 6 poll. 6. lin., continet tres libros cum 110 prioribus versibus libri quarti Georgicorum, et librum VI. Aeneidos, insertis non nullis notis marginalibus et interlinearibus. Juxta specimina I. et IV. scriptura saec. XIV. vel XV. esse videtur ad normam Mabillonii p. 373. N. I. *Ex Cod. s. Germ.* 283. Praeter haec fragmenta P. Virgilii contenta sunt in Codice: M. T. Ciceronis paradoxa; D. Hieronymi epistola de omnibus div. historiae libris; Valerii Maximi libri duo priores exemplorum memorabilium; Ars scribendi ex plurium traditionibus collecta.

Alter Codex *Bambergensis* chartaceus in fol., habens longitudinem 9 poll. 4 lin. et latitudinem 8 poll. 6 lin. Bav., industria Collegii Nostri Societ. Jesu anno 1654 acquisitus fuit. Complectitur 12 libros Aeneidos cum to-

tidem prologis nitidissime anno 1467 finitos, et post illos adhuc libros Bucolicorum et Georgicorum multo minori pulchritudine, sed eadem manu et circa idem tempus scriptos. Conf. Mabillon p. 373. N. 10. *Ex Cod. N. S. Germ.*

Horum codicum maiorem copiam pluresque adhuc alios postquam anno 1821 Viennae [7]), Venetiis [8]) et Oeniponti [9]) videram, mihi data est, cum iter illud ad finem vergeret, occasio perquam accepta perscrutandi adhuc duos membran. celeberrimae Abbatiae *Viecht*, ord. s. Bened. iuxta urbem *Schwatz* ad terminos regni Bavarici, quorum *primus* in 4. mai. nil nisi Aeneidem continet, cuius litterae ad saec. XII. pertinere videntur. *Alter* vero in 4. complectitur Bucolica, Georgica, Aeneidem et carmina minora vera cum multis supposititiis; litterae adhaerent saeculo XI. Qui duo codices textus huc usque recepti varietates tot tantique momenti praebuerunt, ut dubium non sit, quin eruditorum quisque pro liberalitate R. D. Abbatis *Thomae*, qua 1821 in monasterio eius fui exceptus, ad summas gratias obligatum se profiteatur.

Praeter hos codices vidi adhuc valde elegantem membran. saec. XI. in fol., ad fines Epi-

---

7) B. Jaeck's Reise nach Wien. Theil I. S. 77—78. 8) Dessen Bericht über Venezianer Handschriften im Archive der Frankfurter Gesellschaft für Geschichtkunde Band IV. S. 222 — 224; ausführlicher in der Isis von Oken von 1822, Bd. I. Heft 6. Beil. 13, wo 13 Handschriften Virgil's angezeigt sind. 9) Frankf. Archiv a. a. O., und Jaeck's Reise Th. II. 202.

scopatus Passaviensis in castro Marsbacensi; sed possessor ipsius nobilissimus *Sigm. Chr. Josch*, cuius rari ingenii et omnimodae eruditionis iam in descriptione itineris mei Viennensis saepius mentionem feci, non nisi primum librum Aeneidos perscrutatus est, et gravi morbo succubuit prius, quam commentarius meus in Virgilium finitus et typis traditus fuit.

Viennae, Venetiis et Oeniponti fortuna mihi non arrisit; tantum abfuit, ut eruditis ad eundem finem tendentibus occurrerem, ut ne mercenariis quidem: quare litterarum incremento satis iam fecisse arbitratus sum, repertos codices posteritatis attentioni commendaturus. Existunt adhuc codices Virgilii in Bibliotheca Regia Monacensi, iique non pauci, quorum etiam meminit Cl. Heyne Vol. V. p. 424; utrum vero iam ab hoc, an ab alio collati fuerint, certior fieri minime potui, tentaverim licet.

Praeter codices supra memoratos adhibui adhuc plus quam sexaginta editiones operum Virgilii partim completorum partim incompletorum, quibus gaudet Bibliotheca Regia Bambergensis, ab artis typographicae incunabulis usque ad illam Cl. *Heynii* Mediolani reimpressam [10]).

10) Venet. 1487; Ven. 1489; Nor. et Mediol. 1492; Lips. 1494; Daventr. 1496; Ven. et Lips. 1497; Lips. 1498; Ven. 1499; Lips. sine anno c. insign. Mart. Herb; Lips. 1500; Argent. 1502; Arg. 1508 et 1509; Lips. 1519; Basil. 1545; Ven 1549; Lips. 1561; Bas. 1563; Tigur. 1567; Magdeburg. 1571; Col. 1582; Francofurt. 1582, 1588 et 1590; Colon. 1591; Antverp. 1599; Col. 1604; Aurel. All. 1605; Turan. 1613; Witteb. 1618; Colon. 1628; etc. etc.

Inter illas plures sunt, quas ne acutissimus quidem hic Virgilii perscrutator Cl. Heyne tempore publicationis perfectissimi et splendidissimi commentarii, sex voluminibus sumtibus C. Fritsch absoluti, viderat; v. g. editionem sine loco, anno et typographo in folio, sed litteris forsan Philippi de la Vagnia Mediolani a 1475/6; item Mediol. per Uld. Szinzenzeler die XXV. Nov. A. D. 1492; item Daventriensem Jac. Bredae et Coloniensem Henr. Quentel 1503; Lipsiensem Jac. Thanner 1504; Lips. 1509; Parisiensem Jo. Barbier 1515 (?); Basil. cura Ph. Melanchthonis 1533; Colon. 1534 etc.

Ad varietates ex Codicibus Nostris eruendas et conferendas plurimum attulit indefessa attentio clariss. Monachii studiorum Inspectoris, *Georgii Francisci Ammon Bambergensis*, qui iam editis a me Horatii operibus in auxiliis erat; quare publicas hic ipsi gratias ago.

Variis Virgilii lectionibus, quas e manuscriptis erueram, adjunxi non solum eas in Heyniana editione legendas, sed etiam omnes alias, quae reperiri potuerunt; inter harum fontes Bibliothecam criticam et Miscellanea critica Cl. *Seebode*, Rectoris et Professoris Hildesiensis gymnasii, summa laude digna judico.

Quo plura in Virgilii operibus loca tum pueris, tum natu maioribus intellectu diffici-

liora, quo varior saepe unius eiusdemque loci sensus ab innumeris fere interpretibus ante me scriptis et typis propositus, et quo maior annotationum copia; eo magis necessarium mihi visum est, cum sensu grammatico coniunctim retinere poeticum, et perpetuo commentario uti ad illustranda omnia difficiliora Virgilii loca. Quo in opere secutus sum quidem praecipuos duces, v. g. Servium, Landinum, Mancinellum, Donatum, Domitium, Jod. Badium Ascensium, Phil. Melanchthonem, Lonicerum, Beroaldum, Hegendorpium, Fabricium, Egenolphum, Pulmannum, Pontanum, Lipsium, Taubmannum, Heinsium, Burmannum, Cerdam, Ruaeum, Heynium etc., quorum alius alium tum illustravit, tum obscuravit, tum refutavit, sibimet ipsi contradixit non nunquam; quibus in casibus cum summa brevitate ea elegi, vel ex proprio addidi, quae mihi clariora et magis perspicua visa erant. Inter plures editiones ad Heynii normam factas illam *Lünemanni* pro textu meo imprimis adhibui. Spero fore ut quivis, nisi iniustus sit seu invidus judex, convincatur, me tantum praestitisse, quantum et virium et temporis angustiae permiserunt.

Ex carminibus minoribus, pro quorum complemento Dr. *Moser*, a secretis Bibliothecae publicae Stuttgardiensis, plures lectionis varie-

tates, ex huius codice chartaceo erutas, liberalissime communicavit, ea tantum retinui, quae sine omni fere dubio Virgilio attribuenda sunt.

Notatio codicum, qui in var. lect. ex Heynio laudantur.

Aproniana lectio.
Arundeliani duo Martin.
Barthii.
Basil. Cort.
P. Bembi codd.
Bigotianus Burm.
Bodlejanus Martin.
Boecleri.
Bongarsii duo.
Burmanni codd.
Cantabrigiensis Martin.
Claramontanus Burm.
Colotianus.
Cortii var. lect.
Cuninghami var. lect.
Erfurtensis, nunc Schönbornensis s. Gaibacensis.
Erlangensis.
Francianus Burm.
Giessensis.
Gothani tres.
Graevianus Burm.
Gudianus.
Guelpherbytani.
Hamburgenses duo Heins.
Heinsii cod.
Helmstadiensis.
Hugenianus Heins.
Hulsianus, idem Regius et Parisiensis.
Koehleri.
Leidenses tres Heins. et duo Burm.
Longobardicus Pierii.
Lubecensis Burm.
Markianus, idem qui Parrhasianus. Burm.
Martini codd.
Meadiani duo Martin.
Mediceus antiquiss.
Mediceus Pierii.
Menagiani duo Heins.
Menteliani tres Heins.
Montalbanius Heins.
Moreti quatuor Heins.
Moretanum fragmentum Heins.
Naugerii codd.
Oblongus Pierii.
D'Orvillianus Burm.
Oudartii Burm.
Palatinus.

Parisiensis, idem qui Regius.
Parrhasianus Burm., qui et Markianus.
Pierii codd.
Pomponii codd.
Pugetianus Heins.
Regius Burm, idem Huls. et Paris.
RegiusLondinensisMartin.
Romanus Pierii.
Rottendorphii tres Heins.
San - Gallense fragmentum.
Saxii var. lect.
Schefferianus Heins.
Schönbornensis, qui Erfurtensis.
Sprotianus Heins.
Tollianus Burm.
Variae lectionis Siluulae.
Vaticanus, seu Romanus Pierii.
Fragmentum Vaticanum.
Venetus Heins.
Vossiani duo Heins.
Unus Vofs. Burm. fragmentum.
Vossianum Heins.
Vratislaviensis Burm.
Fulvii Ursini Colotianus.
Waddelii emendatt. non codex.
Wallianus Burm.
Wittianus Burm.
Zulichemius Burm.

Ed. Ven. Maitt. et Burm. est 1472.
— Mediolan. eorundem 1474, quae apud nos est.

P. VIRGILII MARONIS
BUCOLICON
LIBER.

TITYRUS. Ecloga I.

MELIBOEUS. TITYRUS.

M. Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui Musam meditaris avena:
Nos patriae fines et dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus; tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.
T. O Moeliboee, deus nobis haec otia fecit.
Namque erit ille mihi semper deus; illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum

ECLOGA I. 1) Sub Tityro ipse Virgilius intelligendus est. V. i. *Tytire*, et sic semper. — Meliboeus est boum curator. 2) Heins. *Agrestem tenui*, sc. ad indicandum carminis pastoritii tenuitatem. 3) Moret. IV. *nos dulcia liquimus*. Al. *patrios fines*. 4) Rottend. *laetus*, pro lentus s. otiosus. 5) Amaryllis est pulchra ovium custos, dilecta a Marone. Resonare est intelligendum de Echo, quae frequens est in sylvis. 6) *Otia*, i. e. securitas inter tumultus bellicos. *Deus* est Octavianus Augustus. 8) Al. *imbuit*, quod verbum ad sacra pertinet. *Ovile* pro grege. 9) Rottend. *meis*.

Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.
M. Non equidem invideo; miror magis. Undique totis
Usque adeo turbatur agris. En, ipse capellas
Protenus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hic inter densas corulos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit.
Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
De coelo tactas memini praedicere quercus:
[Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix.]
Sed tamen, iste deus qui sit, da, Tityre nobis.
T. Urbem, quam dicunt Romam, Moeliboee, putavi
Stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
Pastores ovium teneros depellere fetus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
Noram; sic parvis componere magna solebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.
M. Et quae tanta fuit Romam tibi caussa videndi?
T. Libertas: quae sera tamen respexit inertem,
Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen, et longo post tempore venit,
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

---

10) Zulich. *promisit.* Ludere, sc. animi causa cantare. 11) V. i. *notis*, coni. Schrader. 12) Rom. *turbamur*, cum immissi in nostras possessiones coloni nos depellant. *En, ipse* ejectus paternis bonis etc 13) V. i. *Protinus*, i. e. longe a finibus, pro ante se agere. 14) Al. *Hinc — corylos, Haec — corilos, corylos.* V. i. *Hic — corilos.* 15) Al. *silice in media.* Connixa, i. e. enixa non substratis herbis. V. i. *ha.* 16) Mens tarda et stupida. 17) Menag. *memini tactas.* In V. i. hic versus sequenti postponitur. 18) Hic versus reperitur in Cod. paucis. Ilex est arbor glandifera, e genere quercuum. 19) Al. *quis sit.* Da pro dic. 21) *Huic*, sc. Mantuae, quo agnos agere solemus. 22) Al. *deducere* pro agere, pellere. 23) Al. *Sic catulos canibus — agnos.* 25) Van Hoven: *inter altas.* Franc. *inter alias tantum.* 26) Moret. IV. *inter virgulta.* Viburna sunt fruticis genus, ligandis fasciculis serviens. V. i. *cypressi.* 28) Al. *quae, sera tamen, resp., vel sera, tamen resp.* Tityrus, qua servus, spe ac desiderio obtinendae libertatis gaudet. 29) Conf. v. 47. Candidior, sc. speciosa et benigna 30) Al. *tandem.* 31) V. i. *Galathea*, al. *Galathaea*, cuius amori Tityrus indulserat, a qua relictus in Amaryllidis contubernio erat. 33) Peculi pro peculii, s. privatae pecuniae.

Quamvis multa meis exiret victima septis,
Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.
M. Mirabar, quid moesta deos, Amarylli, vocares;
Cui pendere sua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.
T. Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam praesentes alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi juvenem, Meliboee, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
Pascite ut ante boves, pueri; submittite tauros.
M. Fortunate senex, ergo tua rura manebunt!
Et tibi magna satis; quamvis lapis omnia nudus
Limosoque palus obducat pascua junco.
Non insueta graves tentabunt pabula fetas;
Nec mala vicini pecoris contagia laedent.
Fortunate senex, hic, inter flumina nota
Et fontes sacros, frigus captabis opacum!
Hinc tibi, quae semper vicino ab limite sepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,

---

34) Burmann. Parrhas. *erraret vict.* Licet casei a me deportarentur in urbem, aut iuvencus unus et alter ex meis armentis deductus ibi venderetur. 35) Ingratae pro infelici. 36) Gravis aere, sc. pecunia, quae primum apud Romanos aere rudi, necdum signato, constitit. 37) Cerda: *Galatea vocares.* 38) Rom. *mala* pro *poma.* 39) V. i. abest *te.* 40) V. i. *haec* abest. 41) Cum neque libertatem alibi recuperare, neque tam faventes deos, tam praesens eorum beneficium alibi experiri possem. 43) Juvenem, sc. Augustum, qui eo tempore, quo haec scripsit Maro, annum quintum et vigesimum agebat. 44) Fumant pro fumabunt. Singulas duodecim anni mensium calendas intellige sub *bis senos.* 45) Al. *Hoc — primum*, sed male pro annuit. 46) Menag. *greges pueri. Submittere* est vel alere ad gregem supplendum, vel ad arandum. 47) Tua rura tibi non eripientur. 48) Magna satis ad pascendum armentum, quamvis reliqua omnis regio, tam culta prius, nunc belli calamitate horrescat. 50) V. i. *temptabunt.* Goth. II. *foetus*, ut sint agni. Graves, sc. aegras e partu. Tentare de morbis dicitur. 51) Al. *Non.* Quia ex difficultate pastionis fames oritur in gregem, ex fame morbus contagiosus. 52) Goth. II. *intra flumina nota*, sc. Mincium et Padum. 53) Al. *tentabis.* 54) Ven. *a limite.* 55) Al. *Hyblaeus — Salicta*, a monte Siciliae sic appellat Maro.

Saepe levi somnum suadebit inire susurro.
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras;
Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.
T. Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces;
Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim;
Quam nostro illius labatur pectore vultus.
M. At nos hinc alii sitientes ibimus Afros:
Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxem,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.
En, unquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis et tuguri congestum cespite culmen,
Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas?
Impius haec tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en, quo discordia cives
Produxit miseros! en, quîs consevimus agros!
Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vites.
Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
Non ego vos posthac, viridi projectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo;
Carmina nulla canam; non, me pascente, capellae,

---

56) Goth. I. *suadebat.* 57) Heins. *alte.* Parrhas. *ad aures.* Frondator est vitium atque arborum amputator 58) Al. *rauci.* Palumbes sunt columbae sylvestres. 59) Servius: *turtur cessabit ab ulmo.* Gemere est proprium turturum ac columbarum. 60) Al. *in aethera*, *in aequora*, pro volabunt. 61) Ven. *nudo* (sc. nudato) *in littore*, s. pisces in sicco vivent. Fretum proprie hic est mare. 63) Schrader: *Aut Albim Parthis.* Arar est Galliae fluvius, qui in Rhodanum se immittit. 64) Al. *cultus.* 65) Ibimus in Afros. Sitientes ob siccissimam illam regionem. 66) Al. *Eaxem*, *Oaxin*, *Oaxen*, Cretae fluvius incognitus. Adibimus Cretam Schytharum nomine 67) Fabric. *Britanos.* Antiqui orbem vocabant terram continentem, quae Oceano alluitur. 68) Heins. *En nunquam.* Venet. *Et patrios numquam.* En umquam, pro umquamne, est vox optantis. 69) Tuguri pro tugurii. 70) Posthac, quando agros meos aliquando iterum aspicere mihi continget, rarae in illis aristae aliquot in occulis occurrent? 71) Al. *Impius — habebit Barbarus? has segetes?* Impius, pro nefarius, sceleratus, barbarus, Galli, aliique qui tum erant in legionibus Romanorum. 73) V. i. *Perduxit.* Pier. *his nos consuevimus agros.* 75) Heins. *quondam felix.* 77) V. i. *Posthaec.* 77) Pierius: *Frondosa de rupe procul pendere videbo.* 78) Al. *nec me pastore.*

Florentem cytisum et salices carpetis amaras.
T. Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
Fronde super viridi: sunt nobis mitia poma,
Castaneae molles, et pressi copia lactis;
Et jam summa procul villarum culmina fumant,
Majoresque cadunt altis de montibus umbrae.

ALEXIS. Ecloga II.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini; nec, quod speraret, habebat.
Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Assidue veniebat. Ibi haec incondita solus
Montibus et silvis studio jactabat inani:
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? mori me denique coges
Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant;
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos;
Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
Allia serpyllumque herbas contundit olentes.
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius, tristes Amaryllidis iras

---

79) V. i. *Cithisum*, quod est genus herbae, quo lac augetur et greges pinguescunt. Al. *amatas*. 80) V. i, *hac* — *poteris* — *nocte*. 82) Cast. molles sunt vel maturae, vel recentes, vel tostae, vel de genere quodam, quod corticem minus durum habet. 83) Et jam nox ingruit.

ECLOGA II. 1) Rom. *Cor past. ard.* Al. *Alexim*, *Coridon*, *Choridon*. 2) Brunck *nec quod sp.* V. i. *ne.* 4) Goth. II. *Ubi.* Al. *solis Montib.* Incondita, sc. sine arte, vel quasi naturali impetu. 5) Jactabat pro jacebat. 7) V. i. *cogis?* 8) Umbrosa sc. frigora. 9) Al. *Nunc incultant.* 10) Clericus *rabido.* Sol rapidus dicitur ab iis, qui magno et incitato cursu feruntur, adeoque incalescunt. Thestylis nomen est rusticae famulae. 11) Nonnulli: *Alia serpillum*, *serpullum*, *serpelium*, i. e. Quendel, Thymian. *Olentes* est ambiguum vocabulum, tam ad bonos, quam ad malos odores pertinens. 12) Rom. *Ac mecum*, i. e. me cantante cicadis strepentibus. 13) Me cantante, et cicadis una stridentibus arbusta resonant. 14) Zul. *melius.* V. i. *tristis.*

Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.
O formose puer, nimium ne crede colori!
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec, qui sim, quaeris, Alexi;
Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.
Mille meae Siculis errant in montibus agnae.
Lac mihi non aestate novum, non frigore defit.
Canto, quae solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Quum placidum ventis staret mare. Non ego Daphnin
Judice te metuam, si nunquam fallat imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas, et figere cervos,
Haedorumque gregem viridi compellere hibisco!
Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit; Pan curat oves oviumque magistros.
Nec te poeniteat calamo trivisse labellum.
Haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens: Te nunc habet ista secundum.

---

15) V. i. *Menalcam*? Nonne pati satius erat Menalcae fastidia? 17) Ne confide formae. 18) Inter doctos fere convenit, *vaccinia nigra* esse eundem florem cum hyacinthis ferrugineo colore. — Sub *ligustris* alii convolvulum majorem, al. Rainweide intelligunt Cadunt, s. neglecta decidunt 19) Vulgo *quis sim.* 20) *Nivei* referri potest et ad *pecoris*, et ad *lactis* 21) Sicilia fertilissimis abundat pabulis. 22) Menag. II. *Hic mihi.* Burmann et V. i. *nec frigore.* 23) Burm. *vocabant* coni., sed potius revocabat domum. 24) Al. *Dirceus — Arachincto* vel *Arachinto*, cujus nominis nobilis mons est Boeotiae et Atticae, unde Actaeus. Amph. Dirc. a fonte Boeotiae. 25) Ven. *Non* s. Al. *me litt.* sine *in.* 26) Burmann. *Dum placitum*, per ventos s. a ventis placidum. Daphnis est alius pastor, forma nobilis. 27) Ven. *fallet*, vulgo *fallit*, vt. V. i. 28) Burm. *O lib. tan.* — rura, quae tibi sordent. 29) Figere, sc. telo vel jaculo. 30) Hibiscus est pabuli genus et planta esculenta. 31) Hic vers. deest in Zulich. Fragm. Moreti *Meque una.* *Pan* rusticae et pastoritiae rei praeses Deus. 32) Rom. et Goth. II. *primum.* Leid. *cerae.* V. i. *pluris.* 33) Franc. *ministros*, sc. pastores. 35) Corydon cantu fistulae excellebat, ejusque artis aemulus erat Amyntas. 36) Cicutis pro cannis.

Dixit Damoetas; invidit stultus Amyntas.
Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
Capreoli; sparsis etiam nunc pellibus albo
Bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.
Jam pridem a me illos abducere Thestylis orat;
Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphae calathis: tibi candida Nais,
Pallentes violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem jungit bene olentis anethi;
Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;
Addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo;
Et vos, o Lauri, carpam, et te, proxima myrte:
Sic positae quoniam suaves miscetis odores.
Rusticus es, Corydon, nec munera curat Alexis:
Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.
Heu, heu, quid volui misero mihi? floribus Austrum
Perditus, et liquidis immisi fontibus apros.

---

39) V. i. Amintas. 40) Periculo capreas has silvestres ceperat. 41) Goth. *pellibus*. *Ambo Bina die siccant*, sed otiose *ambo* post *duo* substituitur. Albo, ut maculae fuerint albae. 42) Rom. *quod*. Interdum oves praebent ubera capreolis. 43) Rott. *ipsos a me*. Leid. *a me ullos*. Schrader coni. *optat*. V. i. *Testilis*. 44) *Et faciet*, abducet. 45) V. i. *formosa*. 47) Leid. *Palantes*, sed violae flavae inter vernos flores numerandae. V. i. *Pallentis*. 48) Fragm. Moreti *bene iungit*. Anethum nostrum *Tille* esse putatur, quod in hortis visitur. 49) Ven. *Cum casia*. Al. *Tunc*. Casia a Plinio inter herbas ac flores coronarios, et inter eos recensetur, quos circa alvearia serere jubet. 50) Nonius Marc. *Pinguia lut*. Variat caltha, tanquam flore diversi coloris. V. i. *Pinguit*. 51) Intelligunt vulgo mala cydonia, s. cotonea, nobis *Quitten*, quae cana lana s. lanugine obduci satis constat. 53) Vulgo *et honos*. — Ven. *poma*. Cerea pruna, s. flava s. matura, ob mollitiem. Honos erit etc., sc. commendatione accipientis Alexidis. 54) Myrte, quae in calatho proxima laureis frondibus ponetur. Laurus hic illa intelligatur, quae in sylvis et saepibus passim per Italiam visitur. 55) V. i. *suavis*. 56) Rom. *est*. 57) Al. *certet*. Pier. *concedet*. Moret I. *concedit*. Rottend. II. *Jolla*. V. i. *Jollas*, sc. dominus pueri huius delicati. 58) Vulgo *Eheu — misero*, sc. amore. 59) Rom. *Perditos*. Moret. IV. *Proditus*. Sed perditus pro miser, ut, amore. Parrhas. *immisit*.

Quem fugis, ah demens? habitarunt dî quoque silvas,
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit, arces
Ipsa colat; nobis placeant ante omnia silvae.
Torva leaena lupum sequitur; lupus ipse capellam;
Florentem cytisum sequitur lasciva capella;
Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.
Adspice, aratra jugo referunt suspeusa juvenci,
Et sol crescentes decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor; quis enim modus adsit amori?
Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere junco?
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin.

PALAEMON. Ecloga III.

MENALCAS. DAMOETAS. PALAEMON.

M. Dic mihi, Damoeta, cujum pecus? an Meliboei?
D. Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.
M. Infelix o semper, oves, pecus! ipse Neaeram
Dum fovet, ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,

60) Menag. II. *Quam f.* — V i. *a dem.* 61) Pier. *quae condidit.* 62) Burmann *colit.* Rom. *colant.* 63) Rom. *capellas.* Torva est truculenta, ipso aspectu terribilis. Hic Corydon ardoris sui impetum excusare putandus est. 64) Hic versus abest a pluribus codicibus. Cytisus est fruticis genus, rhamno similis, colore albicante, ramis fere cubitalibus, iucundo foliorum odore et sapore, apibus et capris gratum. 65) Voluptas, libido, amor. 66) Leid. *iugo ut referant.* Aratra inverso vomere, ut solum verrant, protracta. 67) Pier. *discedens*, al. *descendens* 69) Al. *O Corydon.* 70) Heins. *tibi est.* Debuerat dudum vites et ulmos amputare, et opus inchoatum et omissum absolvere, dum amori indulgens curam operis rustici negligerat. 71) Markland. *potior.* V. i. *saltim.* 72) Burm. *para.* Molli, sc. flexili. 73) V. i. *fastidit Alexis.*

ECLOGA III. 3) Vulgo *ovis.* 4) Al. *ille veretur.* Dum ipse Aegon Neaerae assidet, hic mercede conductus gregem ejus perdit.

Hic alienus oves custos bis mulget in hora;
Et succus pecori et lac subducitur agnis.
D. Parcius ista viris tamen objicienda memento.
Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles Nymphae risere, sacello.
M. Tum, credo, quum me arbustum videre Miconis
Atque mala vites incidere falce novellas.
D. Aut hic ad veteres fagos, quum Daphnidis arcum
Fregisti et calamos: quae tu, perverse Menalca,
Et, quum vidisti puero donata, dolebas;
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.
M. Quid domini faciant, audent quum talia fures!
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
Et quum clamarem: Quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus; tu post carecta latebas.
D. An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula, caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit: et mihi Damon
Ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.
M. Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera

---

5) V. i. *ovis.* Mentel. *mulgit.* 6) Idem lac, qui matribus quidem nativus est succus, foetibus autem s. agnis alimentum. 7) Servius *Parcius: ista viris* exprobranda esse cautius, scito 8) Non me latet, te inter greges hircis intuentibus, et in ipso sacello Nympharum turpi libidine pollutum esse. 9) Sacellum est parva aedicula, saepe antrum. Faciles Nymphae risere sacrilegum hoc facinus. 10) Vulgo *Myconis.* Noto ironiae genere Menalcas de se praedicat flagitium alterius. Arbustum est locus arboribus consitus. 11) Mala falce, obtusa, rubigine exesa, qualis falx ramis et vitibus tanto magis nocet. 12) Al. *Daphnidos.* Recriminatur hic, simileque ejus, quo se petitum videbat, malitiae et invidiae flagitium objicit Menalcae. 14) Quae donata, arcus sc. et calamos. 15) Ven. *aliquid.* Rottend II. *aliquem.* 16) Vulgo *facient.* Moreti *facerent.* Al. *Quid facient domini — fures*, s. servi. 17) Menag. et Goth. I. *Nonne ego.* 18) Lycisca est canis ex lupo et cane editus. 19) Al. *Et dum.* 20) Coge pecus, quod dispersum vago discursu palabatur. Tityrum aut Damonis servum aut eum intelligere debemus, qui ejus pecus pasceret. Carecta est locus, ubi multae sunt carices. Carex, junci genus commune, planta ex arundineo genere. 23) Rott. II *quem mihi.* Si nescis, ut hoc scias, ne hoc ignores. 24) Non furtum factum, sed debitum a Damone esse exactum, profitetur Damoetas. 25) Goth. I. *haut unquam.* Medic. *haud.* Cantando tu illum vicisse te ais?

Juncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?
D. Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.
M. De grege non ausim quidquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater, est injusta noverca;
Bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.
Verum, id quod multo tute ipse fatebere majus,
(Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos edera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon, et quis fuit alter?
Descripsit radio totum qui gentibus orbem,
Tempora quae messor, quae curvus arator haberet.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
D. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus acantho;

---

26) Rom. *Vincta.* Al. *num tu in triviis*, multo minus in certamine. 27) Heins. *misere.* Al. *dispergere.* Disperdere, vitiare, corrumpere, pro canere. 28) Vicissim, ad reciprocum carmen referendum. 29) Vitulam, proprie juvencam, siquidem jam foetus binos enixa est. Ne forte recuses, mecum gratis certare. 31) Pignus dictum pro sponsione. 32) V. i. *quicquam.* 33) Schrader *infesta.* 34) Alter et haedos, foetum pecoris h. e. matrum caprarum, numerat. 35) Leid. *tute multo ipse.* Ed. Ven. 1472. *tu ipse.* 36) Insanire, sc. mecum certando. 37) Alcimedontis, nomen aptius heroi, quam sculptori. 38) Servius *facilis.* Rom. *fragilis.* Tornus hoc loco parum proprie dictus pro scalpro, seu cultro pastoritio ad scalpendum adhibito. Rottend. II. *palante.* Corymbi sunt racemi hederae in orbem circumacti. Hedera dicta pallens, quia genus ejus albo colore conspicitur. V. i. *hedera.* 40) *Conon* fuit celeberrimus mathematicus et astronomus, qui circa Ptolomaei Philadelphi tempora vixit, cuius Archimedes aliquoties tanquam sibi amicissimi et doctissimi hominis mentionem facit. *Quis fuit alter* — de celebri astronomo loqui eum necesse est, qui caeli plagas, ortus occasusque siderum, et anni tempora in agricolarum usum descripserit. Radius proprie geometrarum virga est, qua in pulvere formas delineabant. 42) Burm. *haberet arator.* 43) Goth. I. *Nondum.* 44) Duo pocula pro uno sumuntur 45) Acanthus est genus plantae Aegypt., aeque ac herbae sylvestris hortensisque ac topiariae, ex genere acaciarum Pro vite hederae implicita nunc ambit ora acanthus; in media poculi area Orpheus cantans effictus est.

Orpheaque in medio posuit, silvasque sequentes.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectas, nihil est, quod pocula laudes.
M. Nunquam hodie effugies; veniam, quocunque vocaris.
Audiat haec tantum... vel qui venit, ecce, Palaemon.
Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.
D. Quin age, si quid habes, in me mora non erit ulla;
Nec quemquam fugio: tantum, vicine Palaemon,
Sensibus haec imis, res est non parva, reponas.
P. Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba.
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos;
Nunc frondent silvae; nunc formosissimus annus.
Incipe, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca.
Alternis dicetis; amant alterna Camenae.
D. Ab Jove principium, Musae; Jovis omnia plena.
Ille colit terras; illi mea carmina curae.
M. Et me Phoebus amat; Phoebo sua semper apud me
Munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.
D. Malo me Galatea petit, lasciva puella;
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri.
M. At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas;
Notior ut jam sit canibus non Delia nostris.
D. Parta meae Veneri sunt munera: namque notavi
Ipse locum, aëriae quo congessere palumbes.

---

46) Goth. I. *in medium*. Rott. II. *sequaces* pro *sequentes*. Orpheus, Apollinis et Calliopes filius, genere Thrax. 48) V. i. *spectes — laudas*. Menag. II. *quo pocula laudes*. Ven. *cur p. l.* Si poculum tuum cum juvenca comparas, non est, quod illud vitula potius habeas. 49) V. i. *Vocabis*. — *Veniam* etc., omni conditione proposita tecum certabo. 50) Ven. *Aud. haec aliquis*. Parrhas. *vel quis*. Moret. IV. *Audeat — ipse Pal.* V. i. *Audiet*. 51) V. i. *post haec*. 52) Nec quemquam judicem recuso. 54) Maxime attendas. 55) Al. *molli* sine *in*. Ven. *consedimus umbra*. 59) Menag. et Ed. Ven. *alterni* pro alternis carminibus. 60) Servius: *A Jove*: Jovis omnia plena, quia omnium rerum mens et anima. 61) Terras amare, frequentare, et saepe in iis versari, est colere. 62) Heins. *At me Ph.* 63) Munera sacra Phoebo, sc. laurus et hyacinthus. 65) Burm. *sed se*. V. i. *fuit*. 66) Puer ille, cuius amore ardeo. 67) *Delia* est nomen amicae, quae frequenter pastorem suum conveniebat, venationis Dea. 68) Voss *iamque*. Amicas Veneres vocant. 69) *Heins. quo concessere*. Schrader *consedere*. Al. *aerii — pal.*, non quia aerii sunt coloris, sed quia editis in arboribus nidificant. Congessere, accumulavere festucas, floccos, nidum.

M. Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi; cras altera mittam.
D. O quoties et quae nobis Galatea locuta est!
Partem aliquam, venti, divum referatis ad aures!
M. Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?
D. Phyllida mitte mihi; meus est natalis, Iola;
Quum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
M Phyllida amo antea alias; nam me discedere flevit,
Et, Longum, formose, vale, vale, inquit, Iola.
D. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.
M. Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis,
Lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.
D. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam.
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.
M. Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Jam cornu petat et pedibus qui spargat arenam.
D. Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet;

---

70) Franc. *Quae potui.* V. i. *poteo.* 71) Mala citrea s. medica intelligi non possunt, sed Cydonia, melle condiri solita. 72) V. i. *O quotiens.* 73) Jam pastor ex omnibus iis blande dictis ac promissis partem saltem ratam esse et eventum habere precatur. V. i. *auras.* 74) Al. *ipso animo — Amyntas.* 75) Goth. I. *Si, tu dum.* Ven. *ret. cerno.* Pastor vult, obsequium suum fructu carere, cum puer venationi sit intentus, non suo amori. 76) Mentel. I. *meus et.* Phyllis fuisse intelligenda est sive serva sive amica Iolae, quem Damoetas, quasi praesentem, rogat, ut Phyllidem ad sacrum natalitium venire jubeat: alter, Menalcas, ut eius dictis obtrectet, se etiam amari ab ea dicit, quia se discedente fleverit, ac, tanquam ipsi comes adhaesura, Iolae amatori valedixerit. V. i. *Iolla.* 77) Pier. *vitulam.* 79) Illa vox Iola, non est Phyllidis ad Iolam, cui valedicat, sed Menalcae ad Iolam. 80) Franc. *imber*, quod Burm. praefert, cum omnes fere huius versus voces in sibilum exeant. 81) Moret *Amaryllidos.* 82) Depulsis, a lacte remotis. Arbustus est arbor fructum habens, fragis similem, ut tenuiorum victus esse possit. 83) V. i. *Leta.* 84) Vulgo *quamvis sit*; al. *et.* Pollio notissimus gratia apud Augustum, amicitia M. Antonii, ingenio, tragoediis, studiisque suis in Virgilium Horatiumque. (Od. II. 1.) 85) Pierides, musae novem sic dictae a Pierio Thessaliae monte. 86) Nova, nunquam antea facta, praeclara. 87) Rom. *cornum.* 88) Ed) Ven. et Mediol. *qui te quoque gaudet*; sed sic non supplendum est pervenisse ad felicitatem.

Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.
M. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi;
Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos.
D. Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.
M. Parcite, oves, nimium procedere: non bene ripae
Creditur; ipse aries etiam nunc vellera siccat.
D. Tityre, pascentes a flumine rejce capellas:
Ipse, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.
M. Cogite oves, pueri; si lac praeceperit aestus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.
D. Heu, heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo!
Idem amor exitium pecori pecorisque magistro.
M. His certe neque amor caussa est; vix ossibus haerent.
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
D. Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat coeli spatium non amplius ulnas.
M. Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores; et Phyllida solus habeto.
P. Non nostrum inter vos tantas componere lites.
Et vitula tu dignus, et hic. At quisquis amores

---

89) Mentel. I. *fluunt.* Amomum est fruticis genus Indici incognitum. 90) Rom. *Mevi* Ven. Meni. Bavius et Maevius poetae pessimi, Virgilio et Horatio infesti. V. i. *Babium.* 91) Al. *mulceat.* Jungat vulpes, sc. ad arandum. 93) Frigidus anguis, dictus ex natura horum reptilium, s. lethalis. 94) Rott. *producere*, ut pueros appellet. *Parcite*, nolite, cavete. 95) Menag. *etiam sua.* V. i. *vellere.* 98) Ven. *perceperit.* Pier. *aestas.* Cogite ad umbram et frigus captandum. Praecipit lac aestus siccato ubere. 99) Moret. *pulsabimus.* V. i. *pressavimus.* 100) Al. *Eheu.* Vulgo *in arvo,* sed errore Manutii. Ervum est genus leguminis, bubus saginandis utile. 101) Al. addunt *est* ante vel post *pecori*, al. post *magistro*, sc. Damoetae mercenario pecoris custodi. 102) Al. *his oss.* Hic versus in V. i. alteri postpositus est. 103) Marius Vict. *oculis.* Goth. I. *haedos.* Fascinum est species incantationis; mei agni alterius invidia fascinantur. 104) Uterque, quasi de victoria desperans, ad aenigmata confugit. Apollo est deus vatum. 105) C. et Ed. Ven. *ulnis.* Rom. *ullas.* Servius interpretatur hunc versum octo variis modis. 106) Reges sunt duces Graecorum. 107) V. i. *Nascuntur.* Phyllida, quam uterque amicam sibi vindicarat. 108) Al. *Non vestrum inter nos*, sc. est. 109) Al. *At quisq. am. Et metuat d.*, *et exp.* V. i. *Et quisq.*

Aut metuat dulces, aut experietur amaros.
Claudite jam rivos, pueri: sat prata biberunt

P O L L I O. Ecloga IV.

Sicelides Musae, paullo majora canamus;
Non omnes arbusta juvant humilesque myricae.
Si canimus silvas, silvae sunt consule dignae.
Ultima Cumaei venit jam carminis aetas;
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
Jam redit et Virgo; redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies coelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc aevi, te Consule, inibit,
Pollio; et incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri

---

110) Ven. *metuat — experiatur*. V. i. *amaras*. 111) Palaemon servis suis imperavit. ut rivos ad irrigenda prata aperirent; interea a Menalca et Damoeta arbiter advocatus, nunc, finito certamine ad servos suos iterum se convertit.

ECLOGA IV. 1) Al. *Sicilides Musae*, pastoritii carminis praesides. 2) Pier. *hum. genestae*. Myrica est virgulti genus in Italiae oris, quod ripas fluminum obsidere solet. 3) Goth. II. *sunt*. Per *sylvas* bucolica carmina intelligit. 4) Pier. *Cymaei*. Leid. *iam venit*. Menag. *temporis*. Agitur iam ultima, s. postrema, aetas carminis Sibyllini; iterum procedent saecula, quae fuerunt. 5) V. i. seculorum, sc. aetatis et temporis. 6) Redit nunc saeculum Saturnium, et cum eo hominum genus, quale saeculo illo aureo fuit regnante Saturno. Virgo sc. Astraea, seu Justitia, Jovis et Themidis filia. 7) Burm. *dimittitur*, nova successio, novum hominum genus nascitur, sc. meliores et justiores. 8) Ferrea dicuntur, quae teterrima; aurea vero, quae praestantissima sunt. 9) Menag. *et*, Goth. II. *at toto surget*, s. procedet. 10) Servius ait, ultimum saeculum ostendi, quod Sibylla solis esse memoravit. V. i. *Lucia*, Gl. Dea partui praesidens dicta sic a *luce*, quam infantibus dabat. 11) Praeclara haec aetas cursum incipiet. 12) Menses illustres. 13) A tuo consulatu expiabitur primo omne scelus, quo contaminatum est hoc hominum genus, ut sc. sanctior et castior aetas succedere possit.

Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deum vitam accipiet, divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,
Errantes ederas passim cum baccare tellus
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera; nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores
Occidet et serpens, et fallax herba veneni,
Occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes et facta parentis
Jam legere, et quae sit poteris cognoscere virtus:
Molli paullatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva;
Et durae quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
Quae tentare Thetin ratibus, quae cingere muris
Oppida, quae jubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo

---

14) Ven. *poenas*. Irrita. abolita. 15) Rottend. *divosque*. V. i. *dum*, sed male. Nam alluditur ad auream aetatem, qua Dii cum hominibus familiariter degebant. 15) V. i. *hereas*. Illis sc. permixtus. 17) Mentel. I. *patris*. Virtutibus patriis, fors maiorum. 18) Rom. *Ac tibi*. Parrhas. *primo*. V. i. *culto*. 19) V. i. *Errantis*. Baccar est herba radicis odoratae, quae vim ad fascinationem depellendam habere putabatur. 20) Gud. *fundit*, al. *fundat*. Colocasium, planta palustris Aegypt., in Italia circa haec tempora seri coepit, est latissimis foliis et caute spectabili, quo non minus ac radicis bulbo vesci solent. 21) Al. *referant*. Ipsae, sc. nullo ducente, sponte. 22) Mentel. *metuant*. 25) Pier. *Assyrium et v.*, quod est genus fruticis aromatici. 26) Al. *Ac*, *Et — facta parentum* V. i. *parentes*. Heroum laudes sunt facta laude digna. Parens aut Octavianus, aut Marcellus est. 27) Heins. *et poteris, quae sit*. Maro tria studia adolescentiae enumerat, nempe poesin, historiam et philosophiam. 28) Gud. *flavescit* molli arista, sc. matura. 29) Ubi puer adoleverit, maior iam terrae cultus et felicitas erit; nascentur sponte fruges, uvae, mel. 30) Al. *rosida* stillabunt, eliquabunt. 32) V. i. *temptare*. Thetis, Nerei et Doridis filia, Achillis mater, Pelei Thessaliae regis uxor, sumitur pro mari. 33) Rottend. III. *tellure*. Rom. *tellurem infindere sulco*. Vatic. *sulcis*. 34) Tiphys est gubernator navis Argo.

Delectos heroas; erunt etiam altera bella;
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi jam firmata virum te fecerit aetas,
Cedet et ipse mari vector; nec nautica pinus
Mutabit merces; omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem;
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores;
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto;
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.
Talia saecla, suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcae.
Adgredere o magnos, aderit jam tempus, honores,
Cara deum suboles, magnum Jovis incrementum!
Adspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum;
Adspice, venturo laetantur ut omnia saeclo.
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,

---

35) *Del. her.*, Argonautas, nobiles Graecos, praecipue e Thessalia. 36) Achilles, Thetidis et Pelei filius. 37) Parrhas. *Hic.* Cum virili aetate profectum ab omni parte succedet saeculum Saturnium. 38) Goth. II. *maris.* Mentel. *victor.* V. i. *Caedet.* Vector sumitur active et passive; hic cessabit navigatio et mercatura 39) Nulla opera humana indigebit ager. Ante nummos repertos omnia commercia per rerum commutationem fiebant, ut adhuc fit cum multis peregrinis gentibus. 40) Franc. *Nec — nec vinea.* Menag. *falces.* Rastrum, rastrus, a radendo, instrumentum, quo glebae franguntur. Erit frugum omniumque e terra nascentium proventus sine cultu. 41) Ven. *Robustis.* 42) Lana mentiri dicitur, dum fucum imbibit, alieno colore tingitur 43) In pratis, in pascuis. 44) Schrader *fucabit.* Pro coloribus poeta materias colorum posuit. Luteum s. lutum est herbae genus, qua tincta lana flavo et croceo colore inficitur. Murex est piscis marinus e concharum genere. 45) Sandyx est herba tinctoria, vel color compositus. 46) Parrhas. *currere.* Schrader *ducite.* Pro filo ex colo deducto fata sunt, seu saecla. 47) Fata sunt immutabilia, iisque vis et potestas aeque ac voluntas divina tribuitur. Parcae fata canentes adhiberi solent in nuptiis et natalibus praecipue; concordes sunt in fatis hominum rerumque definiendis et constituendis. 49) Moret. IV. *Clara.* Incrementum, s. alumnus et nutricius. V. i. *soboles.* 50) Nutat convexus pondere mundus, concutitur tanquam adventu et apparitione numinis. 51) Menag. II. *Terrasque et.* Pier. *Terramque.* 52) V. i. *laetentur.* 53) Al. *longe.* V. i. *tum.*

Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus; huic mater quamvis atque huic pater adsit:
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam, Arcadia mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se judice victum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer: cui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

DAPHNIS. Ecloga V.

MENALCAS, MOPSUS.

ME. Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus,
Hic corulis mixtas inter considimus ulmos?
MO. Tu major; tibi me est aequum parere, Menalca:
Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras,
Sive antro potius succedimus. Adspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis,

---

54) Heins. *sua.* Rottend. *fata.* Spiritus est ingenii vis vigorque poeticus. 55) Al. *Thraceus.* 56) Linus Apollinis et Terpsichores filius, pastor idem et musicae peritissimus, Orphei et Herculis in ea arte praeceptor. 57) Al. *Orphi*, *Orpheo*, *Orphea Calliopia.* Orphei est dativus graecus. Calliope, Orphei mater, heroici carminis praeses. 58) Al. *Pan, etiam A. m. s. i. cantet.* Arcadia est Peloponnesi regio intima, a mari undique remota. 59) Al. *dicet.* 61) Al. *tulerint.* V. i. *tulerant.* Cum poeta decem menses memorat, fastidia addit, cum temporis hujus decursu satis jam magna oneris sui taedia ei sint. 62) Al. *qui* 63) Al *cubili* sine *est*, al. *cubile est.* Certe comminatio est imminentis puero calamitatis, si matrem risu non agnoscat.

ECLOGA V. 1) Pier. *consedimus*, sc in unum locum. 2) Calamos leves, ut sit fistula e tenui arundine facta. 3) V. i. *corilis — consedimus.* Al. *agros.* 4 Leid. *tibi me aequum est.* Major sc. natu. 5) Al. *nutantibus*, *motantibus*, sc. moventibus se Zephyris, flantibus ab occasu aequinoctiali. 6) Zul. *subsedimus.* Parrhas. *antra.* 7) Leid. *paucis.* Schrader *variis.* Labrusca est vitis sylvestris.

ME. Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.
MO. Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?
ME. Incipe, Mopse, prior: si quos aut Phyllidis ignes
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.
Incipe; pascentes servabit Tityrus haedos.
MO. Imo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
Carmina descripsi et modulans alterna notavi,
Experiar. Tu deinde jubeto certet Amyntas.
ME. Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis:
Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.
MO. Sed tu desine plura, puer; successimus antro.
Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin
Flebant; vos coruli testes et flumina Nymphis:
Quum, complexa sui corpus miserabile gnati,
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri silvaeque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subjungere tigres

---

8) V. i. *certat.* Franc. *solum.* Tibi pro tecum. 9) V. i. *Phoebum certet.* 10) Hic nil, nisi nota aliqua pastoritiorum carminum argumenta memorari, et vulgaria pastorum nomina recitari puta. 11) Leid. Mentel. *ut Jurgia Codri* carmen respiciunt, quo is cum alio pastore cantu contenderat. Alcon est celebris sagittarius Cretensis. 13) Zul. *Immo etiam viridi.* – Parrhas. *in viridi nuper quae in c.* — Heins. *in viridis — fagi.* 14) Goth. I. *destrixi*, fors *destrinxi.* Alternatim canens versiculum, et describens. 15) Al. *jubeto, ut certet.* 17) Saliunca est herba ignota, fors. nardus Celtica. 18) Zul. *mihi.* Goth. II. *cedet.* 19) Rott. *Tu sed.* Goth. I. *succedimus.* 20) Al. *Daphnim*, cujus mater fuit Nympha, a Mercurio oppressa. J. Caesar medio in senatu tribus et viginti pugionum ictibus occisus est, ducibus conjurationis Bruto et Cassio, ejusdem familiaribus. 21) V. i. *corili.* 22) Heins. *Est complexa.* V. i. *nati.* 23) Vocat, inclamat, incusat. 24) Fr. Moret. *Non nulli*, sed male. Non pastores prae luctu armenta ad pascendum, et post pastum ad flumina egerunt. 25) Heins. *ulla nec.* Zul. *ad flumina nota, nec amnem.* Longob. *ad flumina nulla.* 26) Pier. *quadripes.* 27) Rom. *gemuisse leones*, Africanos sc. 28) Al. *ferae, silvae ferae, montes feri, loca fera.* Markland. *montesque, feras, silvasque l.* 29) Moret. *currui.* Rom. et Leid. *Armenia.*

Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.
Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenae.
Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis; inducite fontibus umbras,
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis;
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,
Formosi pecoris custos, formosior ipse.

ME. Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum;
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen haec quocunque modo tibi nostra vicissim
Dicemus, Daphninque tuum tollemus ad astra;
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.
MO. An quidquam nobis tali sit munere majus?
Et puer ipse fuit cantari dignus, et ista

---

30) Parrhas. *thyrsos.* Heins. *thiasos indicere B.* Al. *Baccho* Hunc curru tigribus juncto vehi, innumeris constat monumentis. 32) Menag. II. *decori, ut* sine *est.* — Moret. IV. *est et vitibusuvae, Et greg. t., s. et p.* — Schrader *Fetus ut arb.* 34) Goth. *tulere*, abstulerunt. 35) Pales et Apollo Nomius agros reliquerunt, deliciis suis, Daphnide inquam, sibi ereptis et ablatis, ut solitudinem agrorum fugerent. 36) Pier. *quidem.* Hordeum pro quolibet frumento. 37) Vulgo *dominantur avenae*, vani culmi vitiosi frumenti. *Infelix lolium* pro *infecundum.* 38) Rom. *viola et p.* Heins. *purpurea.* 39) Zul. *aut spinis.* Menag. I. II. *crescit* Carduus agrestis. Paliurus est frutex asperrimus. 40) Goth. I. *montibus.* Fr. Moret. *frondibus.* Leid. *frontibus.* Pier. *ind. frond. aras*, ut Manibus arae sertis cinctae ponantur. Sed inducere frontibus umbras, est obducere umbra fontes. 45) Al. *nobis carmen.* 46) Rom. *lassis.* Al. *per gramina.* 47) Al. *restringere.* 48) V. i. *aequiperas* Sed etiam voce, cantu, magistro par es. 49) Alter ab illo, i. e. loco illius. 53) Gud. *An quidquid.* Fr Moret. *tali nobis.* V. i. *quicquam.* 54) Puer, sc. Daphnis.

Jam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.
ME. Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur; amat bonus otia Daphnis.
Ipsi laetitia voces ad sidera jactant
Intonsi montes; ipsae jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: deus, deus ille, Menalca.
Sis bonus o felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.
Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,
Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi;
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.
Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon;
Saltantes Satyros imitabitur Alphesiboeus.
Haec tibi semper erunt, et quum solennia vota
Reddemus Nymphis, et quum lustrabimus agros.
Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae:
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

---

55) Al. *Stymicon*, *Stimichon*. Goth. *Sthymacon* et *Stimeton*. Ed. Parm. *Simichus*. 56) Menag. II. et Franc. *lumen*. Menag. I. *nomen*. Jam Daphnis deus factus celebratur. Candidus, splendens, ut sidus. 58) Schrader conj. *secretaque*, *securaque*. *Alacris* ratio poetica cum *voluptas* jungi docet. V. i. *alacres*. 59) Menag. II. *pastoresque simul*. Ven. *videt*. Rom. et Leid. *Dryadesque*. 61) Heins. et Pier. *Ulla malum*. Menag. I. *meditatur*. 62) Mentel. I. *laetitiae*. 63) Rom. *ipsae et jam*. Intonsi montes sunt sylvosi, incaedui. 64) Medic. et Longob. *deus ipse*. Goth. I. *Menalcas*. 65) Menag. *an*. *Felix* active et passive sumitur. 66) Al. *duoque*. V. i. *duo*. 68) Al. *Crateresque duos*. 69) Medic. *altaria B*. 70) Al. *sin aestus, in umbra*. 71) Menag. et Moret. IV. *infundam*. Moret. II. *nova inf*. Vina ex promontorio et tractu Ariusio in insula Chio. V. i. *Areusia*. Calathus est poculi et calicis species. 72) V. i. *Litius*. 74) Parrhas. *sol. dona*. Solennia vota, quae semel singulis annis fiunt. 75) Al. *et collustrabimus*, *et conl*. Ea, quae antea omnibus diebus festis se facturum esse dixerat, nunc ad duo solennia insigniora revocat, sc. Nympharum et lustrationis agrorum, juxta Siculos ritus. V. i. *lustrabimus*. 76) Gud. *amavit*. 77) Gud. *pascuntur*. V. i. *timo*.

Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolae facient; damnabis tu quoque votis.
MO. Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus austri,
Nec percussa juvant fluctu tam litora, nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.
ME. Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.
Haec nos, *Formosum Corydon ardebat Alexin;*
Haec eadem docuit, *Cujum pecus? an Meliboei?*
MO. At tu sume pedum, quod, me quum saepe rogaret,
Non tulit Antigenes, et erat tum dignus amari,
Formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

SILENUS. Ecloga VI.

FAUNORUM SATYRORUM ET SILENI CANTUS INTER NYMPHARUM LUSUS.

Prima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit silvas habitare, Thalia.
Quum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pingues
Pascere oportet oves, deductum dicere carmen.

---

79) Moret. IV. *tibi sua.* Referetur Daphnis in Deorum agrestium numerum. 80) Heins. *voti.* Spectat hoc ad numen declarandum, ut sacra, preces et vota ad eum fiant, qui inter Deos relatus est. 81) Leid. II. *pro munere.* Parrhas. *digna.* Leid. *vota.* 82) Fr. Moret. *nec mentis sib.* Veniens auster est oriens, flare incipiens. 85) Al. *donavimus.* 86) Ex his duobus versibus haud temere suspicio nata est, voluisse Maronem sub Menalcae persona agnosci, cum sua carmina memoret. 88) Moret. IV. *Ac tu.* — Ven. *me dum saepe.* 89 Mor. I. *erat cum.* — Ven. *tunc.*

ECLOGA VI. 1) V. i. *Syracusio.* Moret. II. *Syracuso.* *Prima* de aetate intelligendum est, quod in adolescentia iis carminibus se dederat, non epicis, versu 3, a quibus revocabat eum Apollo. 2) Pier. *silvis.* Silvas habitare ad genus bucolicum refertur. Thalia pro Musa dicitur, praeses comoediae et ludicrorum. V. i. *neque.* 3) Diana et Apollo nascebantur in insula maris Aegaei Delo, ubi mons est Cynthus. 4) V. i. *pinguis — avis.* 5) Moret. IV. *ducere.* Deductum pro tenui.

Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella)
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non injussa cano. Si quis tamen haec quoque, si quis
Captus amore legat: te nostrae, Vare, myricae,
Te nemus omne canet; nec Phoebo gratior ulla est,
Quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.

Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylos in antro
Silenum pueri somno videre jacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho,
Serta procul, tantum capiti delapsa, jacebant;
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Adgressi (nam saepe senex spe carminis ambo
Luserat) injiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam, timidisque supervenit Aegle,
Aegle, Naiadum pulcherrima; jamque videnti
Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri; satis est potuisse videri.
Carmina, quae vultis, cognoscite; carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit; simul incipit ipse.
Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes:
Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea.
Namque canebat, uti magnum per inane coacta

---

7) Al *cupiunt*. Varum res bello gessisse necesse est, ut de ejus bellis carmen componi posset. 9) Cano ab Apolline jussa. V. i. *invisu*. 10) Al. *leget*. *Myricae — nemus*, pro rure et pastoribus, qui carmen repetunt. 11) Leid. II. *ulla* sine *est*. 12) Parrhas. *praescribit*. *Pagina* nunc primum a poeta pro carmine dicta est. 13) *Chromis* et *Mnasylus* sunt nomina Faunorum vel Satyrorum V. i. *Nasyllus*. 15) Iaccho pro vino. 16) Rott. *capiti tantum* pro *modo* prope caput delapsa. 17) Moret. IV. *At gravis — cantharus*, vas vinarium. 18) Al. *ambos*. 19) Menag. II. *et vincula*. Voss. I. *ex ipsis*. 20) Leid. II. *tumidisque*. 21) Al. *namque videnti*, expergefacto. *Aegle*, splendor, graece. 23) Ed. Ven. *Quid vinc*. 24) Ut videamini, me vincire potuisse Silenum. 26) Ven. *inc. ille*. 27) Uratiss. *Faunos silvasque*. In numerum, ad rhythmum saltare. 28) Parrhas. *nutare*. Pier. *mutare*. 29) Parnassia rupes, mons in Phocide, Cithaeróni et Heliconi vicinus. 30) Leid. *tanto*. V. i. *miratur*. Rhodope est mons Thraciae, sicut Ismarus, quae loca peragravit Orpheus.

Semina terrarumque animaeque marisve fuissent
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis;
Tum durare solum et discludere Nerea ponto
Coeperit, et rerum paullatim sumere formas;
Jamque novum terrae stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant summotis nubibus imbres:
Incipiant silvae quum primum surgere, quumque
Rara per ignotos errent animalia montes.
Hinc lapides Pyrrhae jactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres, furtumque Promethei.
His adjungit, Hylan nautae quo fonte relictum
Clamassent, ut lítus, Hyla, Hyla, omne sonaret.
Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaën nivei solatur amore juvenci.
Ah, virgo infelix, quae te dementia cepit!
Proetides ímplerunt falsis mugitibus agros:
At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,
Et saepe in laevi quaesisset cornua fronte.

---

32) Semina sunt elementa, per chaos sparsa, quae passim per vacuum ferebantur, nunc ad quatuor rerum genera redacta. V. i. *marisque.* 33) Ed. Ven. *in his.* 34) Rott. *mundus.* Mentel. *concreverat.* 35) Zul. *ponti.* Cecinit tum, ut terra coeperit indurescere et solidari, adeoque aquas discretas et a superficie intra certos fines et littora depulsas mari includere. Pontus hic sumitur pro loco, in quo aquae segregatae sunt. — Nereus pro his. 37) Cod. vet. *nov. ut terrae.* 38) Pier. *utque cadant.* Mentel. *utque cadunt.* Rom. *subm. ignibus.* 39) Mor. IV. *Incipiunt.* Tempus praesens pro praeterito hic positum est. 40) Mentel. III. *errant* Ven. *currant.* Pier. *per ignaros — montes*, sed Gloss. in quibus tum primum ferae vagabantur. 41) Saturni regnum ad diversorum mythorum genus et ordinem spectat. Pyrrha Deucalionis uxor fuit, quo apud Thessalos regnante contigit diluvium. 42) Al. *Caucaseasque*, *Caucaseosque.* Franc. *Promethi.* Caucasus est Asiae mons inter mare Euxinum et Caspium. 43) Vulgo *Hylam.* Pier *Hylan*, qui est puer, deliciae Herculis, ejusque comes in Argonautica expeditione. 44) Pier. *quo littus.* 46) Pasiphaes amores canit. V. i. *Pasiphen*, quae est filia solis, canens amores. 47) *Virgo* pro foemina, quia nupta illi erat Minoi. 48) Al. *falsas — auras.* Proeti filiae insania correptae videbantur sibi in vaccas mutatae esse, mugiebant, et aratro jungi se putabant. 49) Medic. *secuta* sine *est.* 50) Al. *collo quamvis tenuisset.* Heins. inde coni. *renuisset*, sed male. 51) Al. *quaesiissent.*

Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas;
Aut aliquam in magno sequitur grege. Claudite, Nymphae.
Dictaeae Nymphae, nemorum jam claudite saltus:
Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia; forsitan illum,
Aut herba captum viridi, aut armenta secutum,
Perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam;
Tum Phaëthontiadas musco circumdat amarae
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montes ut duxerit una sororum;
Utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;
Ut Linus haec illi divino carmine pastor,
Floribus atque apio crines ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni: quibus ille solebat

---

52) Erras s. vagaris per montes, tauri amati insequendi caussa. 53) Gud. *fulto.* Leid. *suffultus.* 54) Ilex nigra a nigricante virore. Rumen est pars eminens gutturis, in cujus cavitatem demissi cibi a quibusdam animalibus revocantur et regustantur, quod *ruminare* dictum est. 55) Zul. *aliquam magno* sine *in.* Claudite, sc. retibus s. indagine. 56) Rott. *Dircaeae.* Fr. Mor. *nemori.* *Dictaeae* a monte Cretae, Dicte. Nemorum saltus sunt hic aditus ad silvas, angusti fere, asperi et confragosi, quae loca proprie saltus dicuntur. 57) Al. *Si quae fata ferent — vestris.* 58) Gressus bovis errantis. 60) Fr. Moret. *Producant.* Gortyna est urbs Cretae, hinc stabula vaccae nota et consueta intelligenda sunt. 61) Al. *Tunc.* Hesperidum mala dicta sunt aurea. 62) Canit, quemadmodum Phaëtontis sorores muscoso cortice circumdatae et in alnos mutatae fuerint. 63) Gud. *aque solo,* si *a* suppleatur. 64) Permessus est fluvius Boeotiae ex Helicone monte descendens. 65) Ed. Mediol. *Aonios.* Ed. Ven. *Ionas.* — Medic. *dixerit.* Aones fuerunt primi Boeotiae incolae. V. i. *montis.* 66) Al. *Atque v. Phoebi chorus,* musae novem surrexerunt e sedibus. 67) Ven. *hoc illi.* Linus cum Musis versari narratur, et earum jussu fistulam Hesiodi Gallo dare. 68) Al. *armatus.* V. i. *crinis.* Apium, persil, est herba coronaria pro victoribus et epulantibus, et qua sepulcra quoque spargi solebant. 69) Fr. Moret. *Dixerat.* Goth. II. *en aspice.* 70) Ven. *ante soleb.* Ascraeus senex est Hesiodus, a vico Boeotiae Ascra, de quo hoc novum dicitur, sylvas ejus cantum esse sequutas.

Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo:
Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.
Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis!
Aut ut mutatos Terei narraverit artus;
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit;
Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis?
Omnia, quae, Phoebo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, jussitque ediscere lauros,
Ille canit; pulsae referunt ad sidera valles;
Cogere donec oves stabulis numerumque referre
Jussit, et invito processit Vesper Olympo.

---

71) Fr. Moret. *rigidos.* Ornus est fraxinus sylvestris et montana. 72) Grynium seu Grynia oppidum Aeolidis in Asia minore, fano et oraculo Apollinis, quod in loco amoenissimo situm erat, nobile. 73) Goth. *Nec.* Rott. *Nec qui.* — Ven. *plus se.* 74) Scylla est Nisi filia, quae aliis poetis alia ac diversa est, Phorci quidem filia. 76) Goth. II. *gurgite vasto.* 77) Menag. *At.* Leid. *canibus nautas.* — Rott. II. *vexasse.* 78) V. i. *Teri narraverat.* Tereus rex Thraciae Prognen uxorem duxit, ex eaque suscepit Itym filium. 79) Mentel. I. *pararet.* Rott. II. *pararat.* 80) Ven. *Quae cursu deserta.* Paris. *petierit.* Poeta eos sequitur, qui Philomelam in hirundinem mutatam esse memorarunt. 81) Rom. *supra volitaverit ales.* 82) Medic. *quodam.* Goth. II. *quae quondam Phoebo.* 83) Parrhas. *edissere.* Pier. *edicere ramos.* Heins. *laurus.* 84) Pulsae, sc. vocibus, sonis, ut resonarent. 85) Al. *numeroque referri.* Silenus usque ad mortem canit. 86) *Vesper* est Hesperus, Veneris stella. *Invito Olympo*, quod coelum aegre ferebat, nocte ingruente carmen finiri.

MELIBOEUS. Ecloga VII.

MELIBOEUS. CORYDON. THYRSIS.

M. Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas.
Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, et respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
Vir gregis ipse caper deerraverat. Atque ego Daphnin
Adspicio; ille ubi me contra videt: Ocius, inquit,
Huc ades, o Meliboee; caper tibi salvus et haedi;
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.
Huc ipsi potum venient per prata juvenci;
Hic viridis tenera praetexit arundine ripas
Mincius, eque sacra resonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida, habebam,
Depulsos a lacte domi quae clauderet agnos;
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Coepere. Alternos, Musae, meminisse volebam!

ECLOGA VII. 1) Al. *sub antiqua.* — Paris. et Mentel. *considerat.* Arguta ilice, levi cum susurro ac murmure. 2) Rott. *Compulerat gregem* 4) *Flor. aet.*, sc. aetate florente. Arcades, ex Arcadia oriundi. 5) Leid. *certare pares.* Schrader coni. *periti.* Pares cantando, et uterque amoebaeo carmine praestans. 6) V. i. et ed. Ald. *Hic.* — Voss. *teneros.* — Gud. *myrtus.* Schrader. coni. *a sidere,* i. e. sole, sed potius, ne frigore urantur. Al. *de verno tempore.* 7) Leid *at ego.* Al. *Daphnim.* Caper pro hirco dictus. 8) Zul. *ipse ubi.* 9) Burmann coni. *ut haedi.* Idem Meliboeus armenta pascebat; quibus adjunctum capellarum et ovium gregem habebat. 10) Fr. Moret. *potest.* Leid. *velis.* 11) Leid. *veniunt.* 12) Voss. I. *pertexit.* — Franc. *virides etiam protexit.* Mincius non longe a Mantua lacum efficit, et palustres ripas habet. 13) Longob. *atque.* Examina, apum coloniae, ad novas sedes quaerendas emissae. 14) Fr. Mor. *neque Phyll.* Alcippen, nec Phyllida, famularum Meliboei nomina. 15) Medic. *claud. haedos,* s. agnos. Fr. Mor. *pasceret agnos.* A lacte, s. a matribus. 18) Rott. II. *Alt ergo.* 19) Al. *volebam.* Musae, quae amant alterna, alternis versibus canunt.

Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.
c. Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phoebi
Versibus ille facit; aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.
T. Pastores, edera crescentem ornate poëtam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro;
Aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
c. Setosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Micon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, laevi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.
T. Sinum lactis et haec te liba, Priape, quotannis
Exspectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si fetura gregem suppleverit, aureus esto.
c. Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,
Candidior cycnis, edera formosior alba:
Quum primum pasti repetent praesepia tauri,

---

20) Franc. *Haec Cor.* 21) *Libethrus* fons est cum antro in Helicone, ipsius praesides sunt Libethrides; et Nymphae musae 22) Menag. *concedunt* Codrus est nomen pastoris, poetae Virgilii temporum aequalis. Proxima, h. e. dignitate et praestantia, si eum aequare carmine non licet 24) Ven. *His arg.* — Voss. *pendebat.* — Zul. *quercu.* — Gud. *pino.* Artis instrumenta diis suspendebantur. 25) Medic. *nascentem.* Puta de se loqui Thyrsin; obtrectat sc. laudibus Codri. 26) Mor. et Gud. *Codri.* Arcades pastor memorat, qui inter Mantuanos vivebat. 27) Al. *placidum.* Si Codrus nos immodice et praeter veritatem laudat. 29) Al. *Saetosi.* 30) Vulgo *Mycon.* Medic. *Et raros Amycon.* 31) Al. *leni.* Proprium s. perpetuum, usu et fructu certum ac tutum. 32) Goth. I. *suras stabis evin.* Antiquo more in statuis etiam marmoreis vestitus coloribus pingi solitus erat. Cothurnus est calceamentum venatorium a pede ad suras usque vinctum. 33) Goth. I. *haec tibi liba.* Hoc est epigramma, Priapi signo affixum. 34) Sat est tibi haec a me quotannis offerri. 35) Rott. *et tu.* — Menag. *ac tu.* Pro tempore, sc. ut tempus et res ferebat. 36) Goth. II. *greges.* Si bona ovium faetura fuerit. 37) Nerei et Doridis filia fuit Nympha illa marina a Polyphemo adamata, quam tamen hic Corydon suam amicam vocat. Thymo mihi dulcior odore, non gustu. Hybla est mons Siciliae, thymo et apibus abundans. 39) Fr. Mor. *praesagia.* V. i. *repetunt.*

Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.
T. Imo ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco, projecta vilior alga:
(Si mihi non haec lux toto jam longior anno est.)
Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.
C. Muscosi fontes, et somno mollior herba,
Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra,
Solstitium pecori defendite; jam venit aestas
Torrida, jam laeto turgent in palmite gemmae.
T. Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis
Semper, et assidua postes fuligine nigri.
Hic tantum Boreae curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
C. Stant et juniperi, et castaneae hirsutae;
Strata jacent passim sua quaeque sub arbore poma;
Omnia nunc rident. At si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas et flumina sicca.
T. Aret ager; vitio moriens sitit aëris herba;
Liber pampineas invidit collibus umbras.
Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit;
Jupiter et laeto descendet plurimus imbri.
C. Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,

---

40) Ven. *tibi*. 41) Al. *Sardoniis*, *Sardiniis*. — Menag. II. *videor*. — Fr. Mor. *videat*. Per Sardoas herbas, batrachii s. ranunculi genus intelligunt, cujus magnus in Sardinia erat proventus. 42) Giph. *rusto*. — Parrhas. *visco*. Ruscus est virgultum breve, acutis foliis et pungentibus. Alga est herba marina, foliis lactucae similis, in mari nascens, unde ad litus ejici solet. 43) Al. *totoque est*. In V. i. hic versus postpositus est. 44) *Si quis pudor*, increpat boves, quasi dicat, pudeat vos pastos tam tarde domum procedere, et me ab amicae amplexu distinere. 46) Fr. Mor. *nos rura*. Goth. II. *Et quae rara tegit viridis vos*. 47) Prohibete a pecore calorem solis in solstitio constituti. 48) Medic. *lento*. 49) Menag. I. *et plur*. Focus est locus continens et fovens ignem; taedae sunt ligna quaelibet. 50) Utpote in paupere tugurio. 51) Servius *Hinc tantum*. 52) *Numerum lupus*, ut numerato pecori parcat. 54) Vel poma quaeque sub sua arbore, vel sub quaque arb. poma sua. 55) V. i *Alexi*. 57) Vitio aeris, ob nimium calorem. 58) Voss. *coll. uvas*. Liber, sc. Bacchus, quia animum liberat curis. Nimio aestu exsiccatae sunt vites, et folia amiserunt. 59) Ven. *adventum*. — Leid. *nostrum nemus*. 60) Burm. *descendit*. V. i. *Juppiter*. Jovem veteres aerem dixerunt, eundemque Terrae coniugem, quam imbre foecundat.

Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo:
Phyllis amat corulos; illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corulos, nec laurea Phoebi.
T. Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis:
Saepius at si me, Lycida formose, revisas,
Fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.
M. Haec memini, et victum frustra contendere Thyrsin.
Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

PHARMACEUTRIA. Ecloga VIII.

DAMON. ALPHESIBOEUS.

Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei,
Immemor herbarum quos est mirata juvenca
Certantes, quorum stupefactae carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus:
Damonis Musam dicemus et Alphesiboei.
Tu mihi, seu magni superas jam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis aequoris; en erit unquam
Ille dies, mihi quum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium; tibi desinet. Accipe jussis

62) Myrtus Veneri sacra. 63) V. i. *corylos*. 64) V. i. *corylos*. 67) Medic. *ac si*. 68) Vulgo *cedet*. V. i. *caedat*. 69) Pier. *victum et*. Al *Thyrsim*. V. i. *concedere Thyrsum*. 70) Hic versus Virgilio vix dignus est. Ex illo tempore Corydon vere dignus est ea fama, qua floret apud omnes.

ECLOGA VIII. 3) Mentel. *carmina*, ex graecismo. Lynx animal acutissimi visus. 4) Ed. Ven. *Et mirata suos*. — Medic. *suo*. Flumina requierunt mutato s. inhibito suo cursu. V. i. *mutaliquerunt*. 5) Parrhas. *iam magni superas seu*. 6) Timavus in ora Adriae, non longe ab Aquileia, fluvius ex terra novem fontibus s. capitibus progressus, brevi cursu, in unum alveum collectus, lato altoque flumine in mare exit. 7) Mor. IV. *regis*. Medic. *et erit*. 8) Mor. *liceat mihi cum tua*. Goth. II. *mihi quo*. 9) Rott. *liceat mihi totum*. 10) Tragoedias tuas Sophocle dignas, s. Sophocleam gravitatem ac maiestatem exprimentes. 11) Al. *desinit*. Laudes tuae perpetuum meorum carminum argumentum erunt; in te Pollione desinet.

Carmina coepta tuis, atque hanc sine tempora circum
Inter victrices ederam tibi serpere lauros
    Frigida vix coelo noctis decesserat umbra,
Quum ros in tenera pecori gratissimus herba:
Incumbens Tereti Damon sic çoepit olivae.
    D. Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, a mum:
Conjugis indigno Nisae deceptus amore
Dum queror, et divos, quamquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen alloquor hora.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Maenalus argutumque nemus pinosque loquentes
Semper habet; semper pastorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non passus inertes.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?
Jungentur jam gryphes equis; aevoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damae.
Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor
Sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
O digno conjuncta viro! dum despicis omnes,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellae

---

12) Rott. II. *tempore.* 13) Pier. *laurus.* Permitte, ut inter laudes tuas bellicas etiam hic ex poetico encomio honos tibi accedat, nec Musam meam dedignare. 14) Al. discesserat. 17) Zul. *postque diem.* Praeveniens diem age. 18) Indigno s. perfido. 19) Nil mihi profuit, quod Nisa suam mihi fidem dederit, eiusque testes appellaverit deos. 20) Gud. *extremam.* Al. *adloquar.* 21) Mentel. I. *mea fistula.* Maenalios s. pastoritios, quales a pastoribus cani soliti in monte Arcadiae, Maenalo. 22) Heins *pinusque.* Zul. *lucosque.* Medic. *pinosque sonantes.* Heins. *loquentes.* 24) Medic. *primum.* — Menag. I. *non pass. agrestes.* 26) Mor. I. *speramus* — Voss. *spernemus.* Schrader *quid nunc.* Burm. *quid nos sp a?* sc. fieri posse. 27) Mor. I. *Junguntur.* Parrhas. *iam tigres.* Aevo sequenti, in posterum. Griphes, fabulosum monstrum. 28) Voss. *tumidi.* Al. *timidae.* Ad pocula, ad potum. V. i. *dammae.* 29) Incisis lignis para taedas, ad novam nuptam domum ducendam. 30) Ven. *iam deserit.* Antiquus in nuptiis Romanorum mos erat, spargere nuces nupta iam in domum et thalamum ducta, adeoque nocte iam orta. Ab Oeta Hesperus oriri dicitur; est Thessaliae mons altissimus. 31) V. i. *Menalias.* 32) Leid. II. *Et digno.* — Rott. II. *cum des.* cum contemtu irrisio.

Hirsutumque supercilium, promissaque barba;
Nec curare deum credis mortalia quemquam.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Sepibus in nostris parvam te roscida mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.
Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus;
Jam fragiles poteram a terra contingere ramos.
Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio, quid sit amor: duris in cotibus illum
Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saevus Amor docuit gnatorum sanguine matrem
Commaculare manus. Crudelis tu quoque, mater.
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer; crudelis tu quoque, mater.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc et oves ultro fugiat lupus; aurea durae
Mala ferant quercus; narcisso floreat alnus;
Pinguia corticibus sudent electra myricae;
Certent et cycnis ululae; sit Tityrus Orpheus:
Orpheus in silvis, inter Delphinas Arion.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiant mare. Vivite silvae.
Praeceps aërii specula de montis in undas

---

34) Vulgo *prolixaque.* 35) Mor. IV. *credas.* Goth. II. *credes.* 37) Mor. II. *roscida mella*, sed male. *Rosc. mala*, in horto prope saepem mala rore matutino adspersa. 38) Cum matre, sc. tua. 39) Leid. *ab undeno.* V. i. *tum me iam acceperat.* Pier *tum iam me cep.* Alter ab und., sc. decimus tertius. 40) Longob. *coniungere.* 41) Error, insania, amor. 43) *Cotes* pro cautibus. 44) Medic. *Aut maros.* Vulgo *Ismarus aut.* Tmaros est mons Epiri — Rhodope mons Thraciae. Garamantes extremas Africae partes supra Gaetuliam incolebant. 45) Al. *nostri g.* — Leid. *puerum aut s. edunt*, pro ediderunt, genuerunt. 46) V. i. *Menalias.* 47) Haud dubie poeta Medeam, suos filios ex Iasone perfido marito mactantem, respicit. V. i. *natorum.* 49) Al. *An pater improbus ille.* 50) Al. Improbus ille pater. 52) Zul. *Nunc ad oves.* Ven. *ut oves ultro fugit.* 53) Fr. Mor. *ferent.* 55) Zul. *Et certent.* 56) Zul. *delphines.* Burm. *Orion.* Tityrus, rudis cantu, nunc inter reliqua, quae contra rerum naturam fient, erit alter Orpheus et Arion et quidem hic inter belluas marinas, ille inter feras. Delphini dicuntur musica et amore hominum capi. 58) Al. *fiat.* 59) Scaliger *in altum Deferar.* Specula pro cacumine.

Deferar; extremum hoc munus morientis habeto.
Desine, Maenalios jam desine, tibia, versus.
    Haec Damon: vos, quae responderit Alphesiboeus,
Dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.
    A. Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta;
Verbenasque adole pingues et mascula tura:
Conjugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus; nihil hic nisi carmina desunt.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Carmina vel coelo possunt deducere Lunam;
Carminibus Circe socios mutavit Ulixi;
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque haec altaria circum
Effigiem duco; numero deus impare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores:
Necte, Amarylli, modo: et, Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea earmina, ducite Daphnin.
Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit
Uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, et fragiles incende bitumine lauros.

---

60) *Hoc munus*, sc. carmen, quod cecinit. 61) Voss. *Maen. mecum mea tib.* 64) Gud. *Et fer.* Saga praecipit haec omnia Amaryllidi famulae. 65) *Verbena* modo de omni herba, e sacro loco petita, modo de genere aliquo dici videtur. Masculum tus est praestantissimum. 66) Mor. I. *Coni. et mag.* — Mor. IV *avertere sensus Exp. sacris.* In amoris insaniam vertere, insanum amorem reddere. Coniux pro amator. 67) *Carmina* de magica formula accipe. 69) Pier. *Carmina et e coelo.* 70) Gud. *mutabit.* V. 1 *Circae — Ulixis.* 71) Zul. *in campis.* Cantando pro fascinando, incantando. Frigidus ex natura anguium. Rumpitur pro disrumpitur. 73) Goth. II. *tripl. primum col.*, tria alba, tria rosea, tria nigra licia, quae novem tribus deinde ligantur nodis. 74) Longob. *terque hanc.* Licia sunt limbi, qui telam hinc inde cingunt, et in quibus capita staminum conduntur. 77) Ven. *trinos.* Leid. *tribus natis.* Necte tria fila diversi coloris, unumquodque suo nodo. 78) Zul. *modos.* 80) Ven. *haec ubi.* Duas Daphnidis imagines, alteram e limo, e cero alteram, igni admoveri puta. 81) *Sic* etc. sc. liquescat molliaturque in amorem mei, obdurescat vero et obfirmetur animo ad constantiam amoris. 82) Medic. *laurus.* Pier. *ramos.* Sparge molam, far et salem.

Daphnis me malus urit: ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Talis amor Daphnin, qualis, quum fessa juvencum
Per nemora atque altos quaerendo bucula lucos
Propter aquae rivum viridi procumbit in ulva
Perdita, nec serae meminit decedere nocti:
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora cara sui: quae nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando; debent haec pignora Daphnin.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Has herbas, atque haec Ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Moeris; nascuntur plurima Ponto.
His ego saepe lupum fieri, et se condere silvis
Moerin, saepe animas imis excire sepulcris,
Atque satas alio vidi traducere messes.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin
Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti
Transque caput jace; ne respexeris. His ego Daphnin
Adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Adspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!
Nescio quid certe est; et Hylax in limine latrat.

---

83) Rott. II. *me male urit.* Schrader *in hac ego Daphnida lauru*, sc. adversus Daphnideum comburo, ut is eodem modo flamma amoris comburatur. 86) Ven. *alta.* 87) Gud. *concumbit.* Vulgo *in herba*, palustri sc. Goth. II. *in umbra.* Heinsius *consedit in herba.* 88) Mor. IV. *sera mem. dec. nocte.* Fr. Mor *noctis.* 92) Goth. II. *limite.* Liminis fit sollennis mentio, cum aut admittuntur aut admitti cupiunt, aut excluduntur amantes. 93) *Debent* etc. Exspectat hoc a defossis sub limine vestibus, ut ad eas Daphnis vel invitus retrahatur et redire cogatur. 95) Lecta in Ponto, nunc pro Colchide, venena commendantur, quia Medea iis usa erat. Pontus est Asiae minoris regio. 98) Zul. *Moerim et s.* Parrhas. *animasque.* Goth. II. *exire.* 101) In rivum fluentem. 102) Al. *ne resp.* 103) Deos, qui inter incantandum vocati fuerant. V. i. *nihil.* 105) Al. *trepidis.* Mor. II. *alt. palmis.* 106) Flammae ex cinere moto sponte corripuere aram, quod est laetum omen. 107) Ed. Ald. *Nescio quis.* V. i. *Hylas.*

Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, jam parcite carmina, Daphnis.

MOERIS. Ecloga IX.

LYCIDAS. MOERIS.

L. Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?
M. O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri,
Quod nunquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: Haec mea sunt; veteres migrate coloni.
Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat,
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus haedos.
L. Certe equidem audieram, qua se subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Usque ad aquam et veteres, jam fracta cacumina fagos,
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcan.
M. Audieras; et fama fuit. Sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.
Quod nisi me quacunque novas incidere lites

---

108) Al. *omina.* Zul. *qui adamant.* 109) V. i. *carmina parcite.*

ECLOGA IX. 2) Schrader *O Lyc., vivi quo ven.* 3) Mor. IV *Quo nunquam.* 4) Ven. *migrare.* 5) Burm *Nunc, victi, tristis quoniam sors omnia versat.* Oppressi, afflicti, quibus id, quod victis evenire solet, contingit, ut fundos amittant. 7) Subducere se colles dicuntur, qui ex alto in planum decrescunt. 8) Goth. II. *Incipiant.* Goth. I. *dimittere.* Dorsum collis molliter declive lenem ad planitiem et fluvium Mincium descensum praebet. 9) Al. *confracta c.* vel *infracta.* Fagos fractas puta procella et vetustate. V. i *veteris — fagi.* 10) Al. *nostrum — Menalcam.* 12) Fr. Mor. *marcida*; sed bellica, quia Mars est praeses belli. 13) Ven. *aquila dicunt.* Aquila irruente, hostili et infesto animo. Epirus saepe Chaonia dicitur. 14) Ven. *quocunque.* — Gud. *quaecunque vel quac.* Nisi augurio monitus fuissem, ut quacunque via ac ratione, iurgia cum veteranis in agros immissis praeciderem: capitis periculum una cum hero Menalca adiissem.

Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Moeris, nec viveret ipse Menalcas.
L. Heu! cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua nobis
Paene simul tecum solatia rapta, Menalca!
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret? aut viridi fontes induceret umbra?
Vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper,
Quum te ad delicias ferres, Amaryllida, nostras?
„Tityre, dum redeo (brevis est via), pasce capellas:
„Et potum pastas age, Tityre; et inter agendum
„Occursare capro, cornu ferit ille caveto.
M. Imo haec, quae Varo necdum perfecta canebat.
„Vare, tuum nomen (superet modo Mantua nobis,
„Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae!)
„Cantantes sublime ferent ad sidera cycni.
L. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos;
Sic cytiso pastae distendant ubera vaccae.
Incipe, si quid habes. Et me fecere poëtam
Pierides; sunt et mihi carmina; me quoque dicunt
Vatem pastores: sed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

---

18) *Solatia*, carmina erepta. 19) Fr. Mor. *Q. can. silvas*? Medic. *orbis*. 20) Fr. Mor. *montes ind.* 21) Vel quis caneret ea, quae nuper, te non sentiente, cum caneres, ex te didici, quando ad Amaryllidem te conferebas. 22) *Am. del. nostr.* pro amicam meam. 24) Tityrus hic est caprarius aliquis e Virgilii famulis. 25) Medic. *capre — feret.* — Rott. II. *cornu petit.* 26) Al. *nondum.* Gud. *canebant.* 27) Meritum Vari aliquod fuisse apparet in agris Mantuanorum a veteranorum iniuria vindicandis. 28) Cum Cremonensium, qui Cassii et Bruti partes sequuti fuerant, agri militum numero, cui assignati fuerant, non sufficerent, proximi agri Mantuani additi sunt, licet ea urbs in Augusti partibus fuisset. 29) Schrader *Candentes* coni. 30) Al. *Sic sua Cyr. fugient.* Cyrneas s. Corsicanas taxos, quasi a notiore genere epitheton taxis dederit. 31) Vulgo *distentent.* Voss. I. *distentant.* — Ed. Ven *distendent.* — V. i. *scithiso.* 32) Incipe canere, si quid habes, quod memineris ex Menalca auditum. 33) Ven. *dicent.* 34) Mor. *non sum cred.* 35) Al. *Cigna*, *Cygna*, *Cyna.* — Mor. *neque dic.* — L. Varius, poeta epicus et tragicus, amicus Virgilii et Horatii. Cinna poeta Smyrnam scripserat, quod carmen 10. annorum spatio elimaverat. V. i. *Varo videar.* 36) Ven. *inter strepet.* Anser fors poeta huius temporis, M. Antonii laudator.

M. Id quidem ago; et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
Si valeam meminisse; neque est ignobile carmen.
„Huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis?
„Hic ver purpureum; varios hic flumina circum
„Fundit humus flores; hic candida populus antro
„Imminet, et lentae texunt umbracula vites.
„Huc ades; insani feriant sine litora fluctus.
L. Quid, quae te pura solum sub nocte canentem
Audieram? numeros memini, si verba tenerem.
M. „Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
„Ecce Dionaei processit Caesaris astrum:
„Astrum, quo segetes gauderent frugibus, et quo
„Duceret apricis in collibus uva colorem.
„Insere, Daphni, piros; carpent tua poma nepotes.
Omnia fert aetas, animum quoque. Saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.
Nunc oblita mihi tot carmina; vox quoque Moerin
Jam fugit ipsa: lupi Moerin videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas.
L. Caussando nostros in longum ducis amores.
Et nunc omne tibi stratum silet aequor; et omnes,
Adspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae.

---

37) Zul. *Jam pridem ago — mecum ipsa voluto.* Goth. II. *ago, tac.* sine *et.* 38) Goth. II. *Qui valeam.* 40) Ver purpureum pro pulcro, a splendore purpurae petitum. 43) Bentley *incani — fluctus.* 44) Aliud ex Menalca auditum, quod Moeridem canentem audierat Lycidas serena sub nocte. 46) Zul. *respicis.* — Gud. *suscipis.* 47) Dionaeus vocatur Caesar, quod genus ab Julo, adeoque Anchisa et Venere, cuius mater *Dione* fuit, ducere credebatur. Cuius astrum ibi dicitur stella crinita illa, quae a U. C. III. mense. Jul. inter ludos funebres, in eius honorem ab Augusto habitos, apparuit. 48) Medic. *et quod.* Astrum hic pro stella unica sumitur. 49) Zul. *a priscis.* Nonius Marc. *in vallibus.* Apricis, soli expositis. 50) Insere, planta. 52) Gud. *ducere soles.* Omnia aufert aetas, etiam animi vires, memoriam. At qui saepe ego me, dum puer essem, memini, totos dies aestivos cantando exigere: nunc tot carminum oblitus sum, ipsa etiam vox me deficit. 53) Vulgo *Moerim.* Obticui, quasi lupus me primus vidisset. 54) V, i. *Moerim.* 55) Zul. *refero.* 56) Caussas et excusationes afferendo, differs meum desiderium, canentem te audiendi. 57) Rott. *et omnis.* Aequor, sc. lacum, in quem non longe a Mantua fluvius Mincius diffunditur. 58) Triller misc. *marmoris irae.* Aura, ventus cecidit.

Hinc adeo media est nobis via; namque sepulcrum
Incipit apparere Bianoris. Hic, ubi densas
Agricolae stringunt frondes, hic, Moeri, canamus.
Hic haedos depone, tamen veniemus in urbem.
Aut si, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet usque (minus via laedet) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.
M. Desine plura, puer; et, quod nunc instat, agamus.
Carmina tum melius, quum venerit ipse, canemus.

GALLUS. Ecloga X.

Extremum hunc, Arethusa mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris,
Carmina sunt dicenda. Neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.
Incipe; sollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera attondent simae virgulta capellae.
Non canimus surdis; respondent omnia silvae.

---

59) Menag. II. *iamque.* 60) Ven. *hic tibi. Bianor* cognomen erat Ocni s. Aucni, filii Tiberis et Mantus, unde Mantua dicta est, quam urbem ille condidisse fertur. Alii putant, Bianorem fuisse solum ex heroibus vel viris illustribus Mantuanorum. 61) Stringere, decerpere. 62) Zul. *ad urbem.* 63) Menag. *At, si.* Parrhas. *nos pluviam.* Ne cum vespera nubes in pluviam colligantur. 64) Al. *laedat.* Medic. *laedit.* 65) Goth II. *hoc* abest. Hoc fasce; haedorum, quos portat, onere. 66) Leid. II. *et* abest. Desine plura dicere. 67) Al. *tunc.* — Goth. II. *cum venerit ipse Menalcas.*

ECLOGA X. 1) Zul. *hunc* abest. — Ven. *hinc.* Arethusam, Nympham Siciliae, invocat Siculus pastor et poeta. 2) *Sed quae* etc. sc ut et erubescat de levitate sua ac perfidia, et ut poeniteat, tam bonum ac constantem amatorem deseruisse. 4) Mor. *subterlabare.* Parrhas. *interlabare.* Medic. *subter labere Sicanos*, maris Siculi. Ionii, unde Doris amara pro aqua salsa ac marina. 5) Zul. *D amica.* Heins. *amata.* Doris, Oceani filia, Nerei fratris coniux, et Nereidum mater; hic maris aqua. 6) Sollicitos amores, qui animum sollicitum reddunt, cruciant. 7) Mor. *adtondunt.* — Ven. *Dum simae adt.* 8) Respondent, resonant, per echo.

Quae nemora, aut qui vos saltus habuere, puellae
Naides, indigno quum Gallus amore periret?
Nam neque Parnasi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe.
Illum etiam lauri, etiam flevere myricae;
Pinifer illum etiam sola sub rupe jacentem
Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei.
Stant et oves circum, nostri nec poenitet illas;
Nec te poeniteat pecoris, divine poëta;
Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.
Venit et upilio; tardi venere bubulci;
Uvidus hiberna venit de glande Menalcas.
Omnes, unde amor iste, rogant, tibi? Venit Apollo:
Galle, quid insanis? inquit, tua cura Lycoris
Perque nives alium perque horrida castra secuta est.
Venit et agresti capitis Silvanus honore,
Florentes ferulas et grandia lilia quassans.
Pan deus Arcadiae venit: quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit. Amor non talia curat.
Nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae.
Tristis at ille: Tamen cantabitis, Arcades, inquit,

---

9) Ven. *qui nos.* Poeta Najades alloquitur, fontium deas. 10) Al. *peribat.* 11) Ven. *nobis.* 12) Ed. Ald. *Aoniae Aganippae*; al. *Aonia Aganippe, Aonia Aganippes*, sc. fons in Helicone m. Boeotiae, quam Aonae incoluerant. 13) Longob. *Lauri, illum etiam fl.* — Zul. *laurus, etiam.* Ed. Ven. *lauri, nec non fl.* Pier. *lauri, illum fl.* 14) Barth *tacentem.* 15) Maenalus et Lycaeus, Arcadiae montes, Pani sacri. 16) *Nostri* etc sc. contentae sunt nobis pastoribus, cantibus nostris delectantur. 18) V. i. *ovis.* Adonis etiam pastoris munus ac nomen non detrectavit. 19) Mentel. *oppilio.* — Voss. *appilio.* — Longob. *opilio.* Ed. Ven. *tarde.* — Medic. *clari v. subulci.* 20) Ed. Ven. *Vividus.* Guellius *Uvidus hesterna.* Rom. *Umidus*, sed subulcus Gl. Uvidus a rore matutino. V. i. *hiverna.* 21) Unde, a qua puella? 23) Al. *Perque nives Alpum.* 24) Menag. *capiti.* Silvanus ornatus serto e ferulis et liliis. Ferula est frutex, foliis foeniculo, specie et usu arundinibus similis. 25) Goth. *violas.* Sed *ferula* est frutex, foliis foeniculo, specie et usu arundinibus, quibus pro baculis utimur, similis. V. i. *Florentis.* 27) Hebulum est herbae genus, baccas rubras in similitudinem sambuci producens. Minium est materia fossilis. 28) V. i *Et quis.* Parrhas. *nec talia.* 29) Medic. *ripis.* Lacrimis amantium crudelis animus nunquam expletur, aut ad miserationem vertitur. 30) Mor *oves* pro apes. 31) Tamen ad leniendum dolorem meum ac levandum faciet, si cantabitis haec.

Montibus haec vestris; soli cantare periti
Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
Aut custos gregis, aut maturae vinitor uvae!
Certe sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,
Seu quicunque furor, (quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigrae violae, sunt et vaccinia nigra)
Mecum inter salices lenta sub vite jaceret.
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes; hic mollia prata, Lycori;
Hic nemus; hic ipso tecum consumerer aevo.
Nunc insanus amor duri me Martis in armis
Tela inter media atque adversos detinet hostes.
Tu procul a patria (nec sit mihi credere!) tantum,
Alpinas, ah dura, nives et frigora Rheni
Me sine sola vides. Ah te ne frigora laedant!
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
Ibo, et, Chalcidico quae sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.
Certum est in silvis, inter spelaea ferarum
Malle pati, tenerisque meos incidere amores
Arboribus; crescent illae: crescetis, amores.
Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis,
Aut acres venabor apros. Non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare saltus.

---

32) Zul. *Montibus heu v.* Ven. *nostris.* Menag. *parati.* 33) Fr. Moret. *O mihi quam tum.* Mor. IV. *nunc quam — quiescent.* Fr. Moret. *quicscunt.* 34) Mor. I. *Nostra.* Barthii *sic fist.* 38) Quamcunque sive puellam, sive puerum, amarem, eum amplexibus tenerem sub vite, nec in amorem perfidae Lycoridis incidissem. 41) Goth. I. *legeret Phyllis.* 42) Medic. *Lycoris.* 43) Fr. Mor. *consumeret*; tecum senectutem consumerem. 44) Leid. *diri.* Ad Lycoridem haec spectant in castris cum amatore versantem. 46) Medic. *nec sic.* Utinam liceat mihi non credere tam atrocem rem. 47) *Alpinas*, sc excelsi montes Italiam a Gallia Germaniaque disterminant. 49) Alcuin. Gramm. *A mihi non ten.* V. i. *A tibi.* 50) Medic. *Calchidico*, s. latine reddito. Chalcis, Chalcia est urbs Euboeae insulae. 51) Zul. *moderabor.* — Goth. I. *meditabor.* Pastor Siculus est Theocritus. 53) Gud. *incedere.* Pati, s. durare amores. 54) Parrhas. *crescunt illae.* — Mor. *crescent illis.* — Rott. *illae crescent, crescetis.* 55) Burm. *mixtus.* Mor. IV. *lustrabor.* Mixtis — Nymphis, pro permixtus Nymphis. Maenala mons Arcadiae. 56) Leid. I. *necabunt*, et II. *negabunt.* Acres, animosi, iracundi. 57) *Parthenius* est mons Arcadiae, ubi virgines venari solebant.

Jam mihi per rupes videor lucosque sonantes
Ire; libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula. — Tanquam haec sint nostri medicina furoris,
Aut deus ille malis hominum mitescere discat! —
Jam neque Hamadryades rursum nec carmina nobis
Ipsa placent; ipsae rursum concedite silvae.
Non illum nostri possunt mutare labores;
Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus,
Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae,
Nec si, quum moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum versemus oves sub sidere Cancri.
Omnia vincit Amor; et nos cedamus Amori.
Haec sat erit, Divae, vestrum cecinisse poëtam,
Dum sedet, et gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides; vos haec facietis maxima Gallo:
Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.
Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra.
Juniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbrae.
Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.

---

58) Rott II. *per lucos videor rupesque.* Sonantes, resonantes. 59) Medic. *Rhodonea.* — Goth. II. *Sidonia.* Arcus Parthicus pro quolibet, et sagittae Cydoniae pro quibusvis; sicut cornu pro arcu e cornea materia fabricato. 60) Vulgo *haec sit.* Serv. *med. laboris.* In medio verborum cursu iterum amoris aestu victus damnat sua vota miser amator. 61) Mor. IV. *Miserescere.* Mitescere, flecti ad miserationem, adeoque dolores miseri amantis finire. 62) V. i *rursus.* Hic incipit Gallus se amori victum tradere. 63) Concedite, valete. 64) Al. *possunt vestri m. labores*, ad venationem refer, quam incassum susceptum a se iri ait, cum nil sit, quod animo amorem eximere possit. 65) Frigoribus mediis, media hieme. 66) Al. *Sythoniasq.*, *Scythoniasque*, *Sid.* Burm. *sulcemus.* Subeamus, duremus frigus Thraciae. 67) Fr. Mor. *Ne si commoriens alta libraret.* Liber, pars corticis interior, pro cortice et arbore. 68) Barth. *servemus.* — Mor. *opes.* Aethiopum, pro in Aethiopia. Tempore cancri aestas calidissima. 69) Medic. *vincet.* Pier. *vicit.* Ed. Ven. *sed nos.* Nil est, quod ab amoris curis solvat animum, ergo mihi est succumbendum. 70) Ven *Hoc sat erit nostrum, Divae.* Poeta, ad Musas conversus, de se loquitur 71) *Fiscella*, calathus in usum cogendi lactis. 72) Fr. Mor. *fac. carmina.* 73) Parrhas *mihi tantum.* 74) Medic. *subicit*; tenera crescit alnus, arbor aequosis locis gaudens. 75) Cerda *cunctantibus.* Gravis, s. nociva umbra. 75) Rott. *frug herbae.* V. i. *nocent frug* sine *et.* 77) Oritur, sole occidente Hesp.

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICA.

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICON

LIBER PRIMUS.

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
Vertere, Maecenas, ulmisque adjungere vites
Conveniat; quae cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori; apibus quanta experientia parcis:
Hinc canere incipiam. Vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem coelo quae ducitis annum,
Liber et alma Ceres; vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,

GEORGICON. LIBER I.

V. 1. Quid faciat laetas segetes, quo sidere serget
Agricola, ut facile terram perscindat aratris,
Semina quae iacienda modus cultusque locorum
Edocuit messes magno olim foedere reddi. (**Conf. Heynii** ed. Vol. V. 304.)

2) *Vites* pro omni arborum genere, quia altius elevantur in Italia. V. 1. *Mecenas.* 3) Cod. 2, 3 *quis cultus.* Al. *habendus*, sed male. Cultus pro cura apta. 4) C. 3 *Sit pecori, atque.* Al. *pecorique — parvis*, sc. habendis cura. In libro I ergo exponitur agricultura et rusticatio, in II. vini et omnino arborum cultura, in III. res pecuaria, et in IV. res apiaria. 5) Al. *Vos, Dii, — qui ducitis.* Bacchum et Cererem vocat mundi lumina, annique ductores. 6) Al. *Numina*, *Sidera* 7) Med. *vestro si numine.* 8) Gud. *Chaonia*, species pro genere. Pro glande grandi vesci coeperunt homines frumentis.

Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis:
Et vos, agrestum praesentia numina, Fauni,
Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae:
Munera vestra cano. Tuque o, cui prima frementem
Fudit equum, magno tellus percussa tridenti,
Neptune; et cultor nemorum, cui pinguia Ceae
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci:
Ipse nemus linquens patrium saltusque Lycaei,
Pan, ovium custos, tua si tibi Maenala curae,
Adsis, o Tegeaee, favens, oleaeque Minerva
Inventrix, uncique puer monstrator aratri,
Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum;
Dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri,
Quique novas alitis non ullo semine fruges;
Quique satis largum coelo demittitis imbrem.
Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum
Concilia, incertum est, urbesne invisere, Caesar,

---

9) C. 3. *Achelonia* Miscere vinum pro bibere — pocula Acheloia pro aqua, quia Achelous, Aetoliae fluvius, pro quovis flumine et aqua quacunque sumitur. 10) Editio Genev. 1636: *praestantia*, sed potius potentia et propitia numina. 11) Cod. Goth. I. *Satyrique* pro *Faunique*. Ferte pedem pro adeste. Dryades, tanquam deae silvarum et saltuum, in quibus greges pascuntur. V. i. *Driadesque*. 12) *Tuque*, sine: *o*, in pluribus Cod. Al. *furentem*. Munera, sc. frumenta, vitem, armenta, greges. 13) C. 2. *tridente*. Tu, cuius iussu primum e terra equus editus est. 14) C. 3. *Carae*, sed male. Schrader coni. *et cultor pecorum*, sc. pascuorum et gregum curam habens Aristaeus, Apollinis et Cyrenes filius. *Pinguia*, herbosa. Caea est insula maris Aegaei. 15) *Dumeta* pro saltibus, loco arbustis consito. Tondent, s. pascunt. Ter centum pro magno numero. 17) Moret. I. *si sint tibi*. Schrader et Brunck: *tua seu tibi munera* Quandoquidem Maenalus, Arcadiae mons, pascuis egregius, tibi est longe gratissimus, tu mihi rem pecuariam tractanti propitius, precor, adsis. 18) C. 2, 3. *Tegee*; al. *Tegeee*, *Tegaee*. *Tegaeus* Pana Tegea oppido Arcadiae, in qua et montes Lycaeus et Menalus. 19) Triptolemus Eleusinius a Cerere arationem edoctus est, et, licet heros, nunc inter deos invocatur. 20) Burmann: *a radice*, truncum cupressi. 21) C. 3. *Diique*. Videtur deos Romanorum agrestes, miris nominibus ab omni re rustica petitis, declarare voluisse. 22) C. 3. 6. *non nullo*. Pierius et Catroeus: *nullo de semine*, nulla satione. Cod. Koeleri: *messes* pro *fruges*, s. plantas sua sponte provenientes. 25) Pierius et Catroeus: *Consilia*, sc. de decreto a Diis faciendo. Al. *urbes invisere*, inspicere.

Terrarumque velis curam, et tè maximus orbis
Auctorem frugum tempestatumque potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto;
An deus immensi venias maris, ac tua nautae
Numina sola colant; tibi serviat ultima Thule;
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis;
Anne novum tardis sidus te mensibus addas;
Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentes
Panditur; ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpios, et coeli justa plus parte relinquit.
Quidquid eris; (nam te nec sperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido;
Quamvis Elysios miretur Graecia campos,
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem)
Da facilem cursum, atque audacibus adnue coeptis,
Ignarosque viae mecum miseratus agrestes
Ingredere, et votis jam nunc adsuesce vocari.
  Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris se gleba resolvit,
Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.

---

26) Curam s. administrationem. 27) Cod. Goth. II. *frugum coeli terraeque potentem.* Tempestates sunt caeli aerisque mutationes, non procellae. 28) Voss: *Accipiet.* Durum esset iungere: *Adcipiat: cingens — myrto An Deus venias*; etsi sic ad maris imperium myrtea corona respectu Veneris bene referretur, ait Heyne. 29) Goth. II. *an tua*; V. i. *et tua.* Venias, futurus sis. 30) Goth. II. *serviet.* Al. *Thile, Thylae, Thyle, Tyle,* quae est terrarum ultima insularum Shetlandicarum. 31) Al. *Thetis*, pro mari. Thetis filia Nereis, Pelei, Thessaliae regis, coniux, Achillis mater. 32) Pierius: *Atque novum.* God. et Ed. Ven. *sidus tardis te messibus.* Annorum, mensium, ac dierum mensuram siderum decursus facit. Tardos vocat menses aestivos, quia dies illorum longiores sunt. 33) C. 2. *Erigonem*, filiam Icarii, a Baccho amatam, quae inter stellas relata Virgo dicitur. *Chelae.* brachia Scorpii in coelo. 34) Servius: *Panditur ipse.* C. et ed. Ven. *tibi nam.* 35) C. 2, 3. *Scorpius.* C. 2. 6. *plus iusta — reliquit.* Al. *ut coeli — relinquat.* — Ardens Scorpius tanquam sidus. 36) C. 2. *nec te* Tartara omnino pro locis inferis dixit, non proprie: substituit paulo post campos Elysios in inferorum parte sitos. 37) C. 2. *veniet.* 39) Nec — curet, nolit, noluerit. Proserpina est Jovis et Cereris filia. 40) V. i. *annue.* 42) Mecum ingredere, incipe. 43) C. 2, 3. *cum.* Novum ver est eius initium. 44) Al. *putri*, al. *se putris gl.*, sc. emollita tepore. 45) C. 2. *tunc.*

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit;
Illius immensae ruperunt horrea messes.
At prius ignotum ferro quam scindimus aequor,
Ventos et varium coeli praediscere morem
Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum;
Et quid quaeque ferat regio, et quid quaeque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius uvae,
Arborei fetus alibi atque iniussa virescunt
Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabaei?
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges aeternaque foedera certis
Imposuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem:
Unde homines nati, durum genus. Ergo age, terrae
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni
Fortes invertant tauri, glebasque iacentes
Pulverulenta coquat maturis solibus aestas;

---

47) C. 3. *respondebit* contra metrum. Al. *voti*, al. *avaris*. Seges, sc. ager, terra. 48) C. 2. *sentit*. Al. *quae bis*, sc. hiberno et aestivo tempore. 49) Illius, sc. segetis, rup. horr., s. replent. 50) C. 2. *cum scind*. C. 3, 6. *Ac prius, immensum*. Ignotum aequor, sc. agrum, cuius natura nobis ignota sit. 51) Al. *et proprium coeli*. Sed hic variat tempestas pro regionum diversitate. Burmann. *praedicere*. 52) Al. *cultus habitusque locorum*, sc. naturam, genium agri. 53) Pierius: *quid ferre recuset*. 54) Pierius: *Hic segetes veniunt uvae felicius illuc*. 55) C. 2. *invisa* (?). Al. *iniusta*, Gl. sponte. Per gramina intellige pascua. 56) C. 2. *Molus*. Al. *Tmolos*. Rom. *cruceos uti molus*. Goth. I. *adores* Tmolus, mons Lydiae, est nobilis vino. 57) Heins. *nutrit ebur*. Medic. *mittat*. Molles, effeminati caeli indulgentia et soli bonitate. 58) V. i. *Chalibes*. Al. *Et Calybes* vel *Calibes* vel in Ponto, ferro cudendo occupati, vel in Hispania ad Chalybem fluvium. Virosa, tetri odoris. 59) C. 3. *Epeiros*. V. i. *Epyrus*. Al. *Epirus*, qui alit equos praestantissimos. Palma, ut victoria, pro victore dicitur. Castorea sunt castoris testiculi. Elis ad Peneum urbs ludis memorata. Equarum, quia velociores in cursu quam equi. 60) Foedera, sc. conditiones, leges. 61) Al. *Nam posuit — primus*. 62) Al. *lapides vanum*. 64) V. i. *extemplo mensibus* sine *a*, sc. Januario et Februario. 65) C. i. *innutant*. Al. *invortant*. 66) Pier. *maturis frugibus*. Sol maturus adultae aestatis, quo maturescunt fruges.

At si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum
Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:
Illic, officiant laetis ne frugibus herbae;
Hic, sterilem exiguus ne deserat humor arenam.
  Alternis idem tonsas cessare novales,
Et segnem patiere situ durescere campum.
Aut ibi flava seres, mutato sidere, farra,
Unde prius laetum siliqua quassante legumen,
Aut tenuis fetus viciae, tristisque lupini
Sustuleris fragiles calamos silvamque sonantem.
Urit enim lini campum seges, urit avenae:
Urunt Lethaeo perfusa papavera somno.
Sed tamen alternis facilis labor: arida tantum
Ne saturare fimo pingui pudeat sola, neve
Effetos cinerem immundum iactare per agros.
Sic quoque mutatis requiescunt fetibus arva.
Nec nulla interea est inaratae gratia terrae.
Saepe etiam steriles incendere profuit agros,
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis:
Sive inde occultas vires et pabula terrae

---

67) Al. Et si. Goth. II. *Aut si.* Secunda, tenuis, gracilis. 68) Goth. II. *splendescere sulco*, al. *solco*. Suspendere, leviter proscindere, vomere non alte descendente. Arcturus est stella primae magnitudinis prope caudam ursae maioris. 69) Illic, in pingui solo. 70) Al. *Haec*, — *non deserat.* 71) Al. *tonsis.* Ager novalis dicitur, qui alternis annis vacat et novatur, vel qui silvis excisis primum colitur. 72) C. i., 6. *Aut segnem.* Durescere pro requiescere. 73) Al. *At ibi*, *Aut tibi*, *Aut ubi fl. s.*, *mut. semine.* Sidus hic pro sole et sol pro anno sumitur, ergo altero anno. Far est optimum frumenti genus. 74) Pier. *lectum.* Reisk. *foetum.* Siliqua, involucrum seminis. Quassante, pro quassata a vento, cuius impulsu siliquae crepitant. Legumen sunt fruges, quae non secantur, sed manu leguntur. 75) Burm. Servius et al. *tenues.* — Medic. *lupinis.* Lupini seges agro stercorando admodum utilis habita. 76) C. 3. *Sust. si frag.* contra metrum. *Sonantem*, quia calami aridi sunt. 78) Al. *Letheum*, *Lethaeum.* Papavera habent vim soporificam. Undae fontis Lethae epotae rerum omnium oblivionem inducunt. 80) Al. *Nec sat.* 81) Al. *Immundos*, *Effossos*, *Effectos.* 82) Al. *requiescat*, *requiescent*, *requiescant fecibus*, sed male. 84) Moret. fragm. *Sentes et steriles.* 86) Pro varia soli, vel macri vel uliginosi vel densi vel rari natura varias caussas subjicit. Pabula sunt succi, qui nutriunt semina ac plantas, sc. ex cinere crematarum stipularum et lixivio.

Pinguia concipiunt; sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor;
Seu plures calor ille vias et caeca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua succus in herbas;
Seu durat magis, et venas adstringit hiantes:
Ne tenues pluviae, rapidive potentia solis
Acrior, aut Boreae penetrabile frigus adurat.
Multum adeo, rastris glebas qui frangit inertes
Vimineasque trahit crates, juvat arva; neque illum
Flava Ceres alto nequidquam spectat Olympo;
Et qui, proscisso quae suscitat aequore terga,
Rursus in obliquum verso perrumpit aratro,
Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.

Humida solstitia atque hiemes orate serenas,
Agricolae: hiberno laetissima pulvere farra,
Laetus ager. Nullo tantum se Mysia cultu
Jactat, et ipsa suas mirantur Gargara messes.
Quid dicam, iacto qui semine comminus arva
Insequitur, cumulosque ruit male pinguis arenae?
Deinde satis fluvium inducit rivosque sequentes?
Et, quum exustus ager morientibus aestuat herbis,

---

87) Zulich. *omne per aevum.* V. i. *ollis.* 88) Parrhas. *exundat.* C. 3. *exudat.* Inutilis humor, noxia uligo. 90) Caeca spiramenta, s. meatus occulti et latentes, *pori* dicti. 91) Al. *con-* vel *restringit*, sc. condensando molle solum. 92) Heins. *Ne tenuis.* Al. *rapidique.* 93) *Adurere* tam frigori quam calori tribuitur. 94) Glebae inertes nil generant, nisi comminuantur. 95) Goth. I. *nec.* 96) Parrhas. *spectet*, sc. propitia est. 97) Moret. I. *suscitet.* Etiam ille multum iuvat arva, qui etc. Terga sunt cumuli, qui excitantur a vomere inter snlcos, et habent speciem dorsi. 98) C. 3. *prorumpit.* Voss. *perrupit.* Al. *perrumpat arator.* 99) Bodlei. *armis.* Versat et cogit quasi agrum, ut sit secundus. 100) Moret. I. *optate serenas.* Tempestas aestatis humida opportunis pluviis mitigetur. 102) C. 3. *nullo se tantum Moesia.* V. i. *Maesia.* Al. *Mesia*, *Messia*, regio Asiae minoris ad Hellespontum et Aegaeum mare, nobilis agricultura. Laetus ex tali temperie est ager; nec ager Mysiae, etsi cultissimus, cum eo est comparandus. 104) Moret. II. *jacto cum.* Arva insequitur, sulcos factos in arvo prosequitur, alium post alium rastris frangendo. 105) Parrhas. II. *tumulosque.* Arena pinguis est solum durum. 106) Rom. *rivosque fluentes.* Aquis obducat agrum ad supplendum pluviae defectum, quae post arationem in votis habetur. 107) C. 3. *Et, cum,* ut semper. Gudian. *herbas.*

Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit? illa cadens raucum per laevia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.
Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenera depascit in herba,
Quum primum sulcos aequant sata? quique paludis
Collectum humorem bibula deducit arena?
Praesertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit, et obducto late tenet omnia limo:
Unde cavae tepido sudant humore lacunae.
Nec tamen, haec quum sint hominumque boumque labores
Versando terram experti, nihil improbus anser,
Strymoniaeque grues, et amaris intuba fibris,
Officiunt, aut umbra nocet. Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda;
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.
Ante Jovem nulli subigebant arva coloni;
Ne signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat; in medium quaerebant; ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Praedarique lupos jussit, pontumque moveri,

---

108) Al. *deversi*, *diversi*, *tr.* Clivosi tramitis, pro montis molliter clivosi, in quo rivulis tramitem facit. Supercilium est superior montis pars. 109) C. 2. *rauca.* — Rom. *Eligit.* Gudian. *Et licet* Erford. I. *illa scatens.* Medic. *raucumque.* 110) Scatebris, effusionibus, ebullitionibus. 111) Ed. Mediol. *gravidus.* 112) V. i. *segetem.* 113) Goth. I. *aequat.* 114) Goth. l. *deducit in herba.* Collecta et stagnans lacunae aqua, putris colluvies, deducitur sulcis aquariis factis. 115) C. 3. *in certis cum mens.*, veris et autumni, quod anni tempus incertae tempestatis est. 116) Gudian. *Exiit obducto*, pro evagatur ripas et obducit. 117) Menag. I. *trepide.* Unde lacunae existunt, madent humore putrido et noxio. 118) C. 3. *cum sunt hom. Deûmque labores.* 119) Insatiabilis anser. 120) C. 3, 6. *intyba*, *intiba.* E Thraciae finibus, cuius flumen Strymon, veniunt grues in Graeciam, cum hieme ingruente migrant. 122) Roman. *primusque parentem.* 123) Agros fecit moveri, arari. 124) Ed. Ven. *sua jura.* C. 3. *torpore.* *Sua regna*, homines, quibus imperabat. *Veterno* pro inertia et otio. 125) Al. *subiebant.* 126) V. i. *Nec — solum.* 127) Quidquid acquirebant, in commune afferebant. 128) Schrader: *Omnia et uberius.* *Liberius*, liberalius, felicius.

Mellaque decussit foliis, ignemque removit,
Et passim rivis currentia vina repressit:
Ut varias usus meditando extunderet artes
Paullatim, et sulcis frumenti quaereret herbam;
Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas;
Navita tum stellis numeros et nomina fecit,
Pleïadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.
Tum laqueis captare feras, et fallere visco,
Inventum, et magnos canibus circumdare saltus.
Atque alius latum funda jam verberat amnem
Alta petens, pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atque argutae lamina serrae,
(Nam primi cuneis scindebant fissile lignum)
Tum variae venere artes. Labor omnia vicit
Improbus et duris urguens in rebus egestas.
Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit: quum jam glandes atque arbuta sacrae
Deficerent silvae, et victum Dodona negaret.
Mox et frumentis labor additus: ut mala culmos

---

131) Moret. et Zulich. *discussit.* Burmann. *suppressit*, sed occuluit. 132) Ed. Ven. *rivos.* 133) Al. *extuderet*, *excuderet*, *extruderet*, *exfoderet*, ut v. 135. Al. *Et — medicando* pro *meditando*, exercendo. Usus, ut usu artes pararentur. 134) Al. *Ut vitem et sulcis.* Parrhas. *herba*, segete, frumento. V. i. *Paulatim.* Sulcis quaereret, s. aratione produceret. 135) Al. *Et sit*, *Ut sulcis.* 136) Al. *alveos*, *alnus.* V. i. *fluvii primum.* C. 3. *alnus.* 137) Servius: *cum*, Ed. Norib. *dum stellis.* Menag. 2. *stellas.* 138) Al. *Pliadasque*, Atlantis filias. Hyades, Suculae, in capite tauri, quae oriuntur Non. IV. Junii. Arctos major, quae et Helice, sicut altera Cynosura. Hoc sidus consecratum ferebant Callistoni, Lycaonis, Arcadiae regis, filiae. 139) Al. *Tunc laqueo — hibisco.* Aves hic inter feras latent. 140) Al. *Inventum est.* 141) C. 3. *funda latum.* Al. *tam everberat.* Funda est reticulum, quod in amnem projicitur. 142) Reisk. *Alta petens pelagosque*, aut *pelageque.* Menag. II. *hum. ligna.* 143) Al. *lammina sarrae*, v. *serae.* Ferri rigor sumendus est pro ipso ferro rigido. 144) Ed. Ven. *Jam primum.* Ed. Cantabr. *tindebant.* Leid. *fiss robur.* V. i. *primum.* 145) C. 3, 6. *vincit.* Ed. Ven. *rates* pro *artes.* Venere, provenere, inventae sunt. 146) C. 3, 6. *urgens*, ut semper. Al. *surgens.* 147) *Ferro*, vomere ac ligone. 148) Ed. Genev. cum Servio *sacra.* 149) Pierius: *Defuerant.* Roman. *negarent.* 150) Burmann. *ex frumentis.* Goth. II. et Gudian. *et frumenti.* Parrhas. *culmus.*

Esset rubigo, segnisque horreret in arvis
Carduus: intereunt segetes; subit aspera silva,
Lappaeque tribulique; interque nitentia culta
Infelix lolium et steriles dominantur avenae.
Quod nisi et assiduis terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci
Falce premes umbras, votisque vocaveris imbrem:
Heu, magnum alterius frustra spectabis acervum,
Concussaque famem in silvis solabere quercu.
Dicendum et, quae sint duris agrestibus arma,
Quis sine nec potuere seri nec surgere messes.
Vomis, et inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque Eleusinae matris volventia plaustra
Tribulaque, traheaeque, et iniquo pondere rastri;
Virgea praeterea Celei vilisque supellex,
Arbuteae crates et mystica vannus Iacchi.
Omnia quae multo ante memor provisa repones,
Si te digna manet divini gloria ruris.
Continuo in silvis magna vi flexa domatur
In burim, et curvi formam accipit ulmus aratri:

---

151) Al. *robigo*. Ed. Ven. *horrescet*. *Horrere* poetis dicuntur omnia, quae erecta stant aut eminent. 152) Succedit silva in segetis locum. 153) Al. *tribolique*. Parrhas. et Ed. Mediol. *virentia culta*. Lappa est herba, capitula ferens hamis aspera. Tribulus est genus spinae. 154) Moret. II. *nascuntur av.* Rus opacum est ager arboribus consitus. 155) Al. *adsiduus herbem sectabere rutris*, assiduo instare glebis. 157) Rom. *umbram*. Frondes arborum umbram facientium amputandas esse dicit. Falce premitur id, quod secatur. 158) Al. *Heu frustra mag. alt. sperabis. ac.* Al. *exspectabis*. 159) Ed. Genev. *Concessamque*. Al. *Excussa*. 160) Cuningham: *duris quae sint*. 161) Zulich. *non p. – nec*. 162) Goth I. *Vomer*. Aratrum robustum. 163) Ed. Ald. *Eleusine*. Voss. *Tardeque*, sc. quae tarde volvuntur tracta a bubus. 164) Nonius Marcellus: *Tribulaeque*. Al. *trahaeque*, – *rastra* vel *rutrum*. Trahea s. traha est vehiculi genus sine rotis. 165) Al. *Caelei*, qui est pater Triptolemi, et cui Ceres sationem frugum docuerat. 166) C. 3, 6. *Jachi*. Rom. *mustica vallus*. Crates et vannus portabatur in pompa Iacchi, quae certo Eleusiniorum die ex Ceramico Eleusinem ducebatur. 167) Leid. II. *praevisa*. Burmann. *reponas*, providebis. 168) Al. *movet*. Gl. si satis magnam ex opere et re agresti laudem consequi cupis. 169) Parrhas. *inflexa*. V. i. et Moret. fragm. *dometur*. 170) Fuit *buris* aliquando pro temonis tanquam basi ac fundo; postea ei inserta est trabs, quae pro temone esset.

Huic a stirpe pedes temo protentus in octo,
Binae aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Caeditur et tilia ante jugo levis, altaque fagus
Stivae, quae currus a tergo torqueat imos;
Et suspensa focis explorat robora fumus.

Possum multa tibi veterum praecepta referre,
Ni refugis tenuesque piget cognoscere curas,
Area cum primis ingenti aequanda cylindro,
Et vertenda manu, et creta solidanda tenaci:
Ne subeant herbae, neu pulvere victa fatiscat;
Tum variae illudant pestes; saepe exiguus mus
Sub terris posuitque domos atque horrea fecit;
Aut oculis capti fodere cubilia talpae;
Inventusque cavis bufo, et quae plurima terrae
Monstra ferunt; populatque ingentem farris acervum
Curculio, atque inopi metuens formica senectae.
Contemplator item, quum se nux plurima silvis
Induet in florem et ramos curvabit olentes.
Si superant fetus, pariter frumenta sequentur,

---

171) Menag. I. *protensus.* Moret. IV. *praetentus.* V. i. *ab stirpe.* 172) Heins. *Bina auris*, *duplicique.* V. i. et Moret. II. *dentilia.* C. 3. *aptatur.* Aures esse videntur prominentiae duae, seu affixi utrimque asserculi aut ferramenta, quibus sulcus latior efficitur, et lira seu porca altior. Dentale est ipse vomeris dens. 173) Mentel. III. *Editur et.* 174) Ed. Ven. *Stiva quoque et currus.* V i. *Stivaque.* Aratrum in nonnullis regionibus instruitur rotis. 175) C. 3. *exploret.* Dum fumus lente se insinuat, lignum exarescens rimas agit, nisi sit firmum et probum. 177) Pierius: *cognoscere caussas.* V. i. *tenuisque.* 178) Al. *quam primum*, *tum primum.* C. 3. *ingenti est.* V. i. *primus.* Area veterum erat locus in ipso agro patens et complanatus, quo frumentum ex agro congestum statim terebatur et ventilabatur. 179) Ed. Mediol. *Et verrenda.* Rottend. II. *Evertenda.* Creta, sc. terra argillosa ac tenaci. 180) Ne solum in pulverem attenuetur. 181) C. 3, 6. *illudunt.* Reisk. *Nam variae illudunt.* Nam varia animalcula nociva clam subeant, invadant. 182) Pierius: *domus.* 183) Nonius Marcell. *oculos capti fovere.* 185) Al. *populantque.* 186) Al. *Gurgulio*, *Curgulio*, *metuensque inopi.* Curculio est vermis frumenta corrodens, in quo fere nihil praeter guttur. 187) Rottend. *Contempletur.* Nux plurima, quae multa est in silvis. 188) Al. *Induit — curvavit.* Ed. Ven. *curabit.* 189) Goth. *sequuntur.* Fetus nunc flores sunt, mox in nuces, fetus arboribus abituri; si eorum maior copia est, etiam frumenti erit.

Magnaque cum magno veniet tritura calore.
At si luxuria foliorum exuberat umbra,
Nequidquam pingues palea teret area culmos.
Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius et nigra perfundere amurca,
Grandior ut fetus siliquis fallacibus esset,
Et, quamvis igni exiguo, properata maderent,
Vidi lecta diu, et multo spectata labore,
Degenerare tamen: ni vis humana quot annis
Maxuma quaeque manu legeret. Sic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri:
Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.
Praeterea tam sunt Arcturi sidera nobis
Haedorumque dies servandi, et lucidus Anguis,
Quam quibus in patriam ventosa per aequora vectis
Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi.
Libra die somnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris jam dividit orbem:
Exercete, viri, tauros; serite hordea campis

---

190) Tritura nunc dicta est pro messe, fertilitate. 191) Pierius: *luxuriae.* Heinsius *luxurians.* Voss. *luxuries.* Umbra est arbor ipsa frondosa. 192 C. 3. *pinguis paleae.* Moret I. *palea pinguis* Rom. *terit* Culmi terentur in area. V. i. *Nequiquam — terit.* 193) Medicare est inficere, macerare alienis succis. 194 Al. *praefundere armurga.* 195) Siliquae fallaces, quia saepe, folleculi cum inanes sunt, maiores videntur. 196) Al. *igne.* Madescunt propter humorem vi caloris eductum. 197 Al. *Vidi ego laeta diu, multo exspectata lab. Vidi lecta manu. Vidi lecta, diu et m.* 198) Vis hum, sc. hominum opera. 199) C. 3, 6. *Maximaq. manus* Parrhas. *legerent.* 200) Al. *hac retro sublato.* V. i. *et retro.* 201) I eid. II. *qui ex adverso.* 202) I eid. I. *Remigio* Mentel. *subiit.* Servius *subicit.* 203) Pierius juxta C. Rom. *in prono praeceps trahit.* Al. *amne* ante Heins *Atque* pro *statim.* 204) Al. *sint.* Post Septembris Idus oritur Arcturus, vehementissimum sidus, circa Nonas vero Octobris Haedi pluviales. 205) Burmann. *dies signandi.* Tres sunt angues in coelo; unus, qui in septentrione est, alter Ophiuchi; tertius australis in quo sunt Crater et Corvus etc., ait Servius. 207) Moret. fragm. *ostriferae.* Abydus, urbs Asiae ad Hellespontum sita, etiamnum ostreis nobilis. V. i. *temptantur.* 208) Al. *dii*, al. *dies — cum fecerat.* Ab aequinoctio auctumnali usque ad brumam solstitium brumale, hordei sationem esse ait. 209) Ed. Ald. *dividet.* Sol in libra dividit inter diem noctemque

Usque sub extremum brumae intractabilis imbrem.
Nec non et lini segetem et Cereale papaver
Tempus humo tegere, et jamdudum incumbere aratris:
Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis satio; tum te quoque, Medica, putres
Accipiunt sulci, et milio venit annua cura:
Candidus auratis aperit quum cornibus annum
Taurus, et adverso cedens Canis occidit astro.
At si triticeam in messem robustaque farra
Exercebis humum, solisque instabis aristis:
Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur,
Gnosiaque ardentis decedat stella Coronae,
Debita quam sulcis committas semina, quamque
Invitae properes anni spem credere terrae.
Multi ante occasum Majae coepere; sed illos
Exspectata seges vanis elusit avenis.
Si vero viciamque seres vilemque faselum,
Nec Pelusiacae curam adspernabere lentis:

---

211) Extrema bruma, usque ad brumale frigus, brumales imbres. 212) Papaver Cereale, quia Cereris ornamentum symbolicum esse solet. 213) Praecipit mature esse arandum, etsi etiam ad lini et papaveris sationem terra aratur. V. i. *rastris.* 214) Nubibus nondum in imbres solutis. 215) V. i. *cum.* al. *tunc te.* *Medica*, herba a Medis advecta, per bella Persarum Graecis illata, pabuli genus praestantissimi, quae ex uno satu denis annis durat. 216) Ed. Ven. *Accipiant.* Parrhas. *Accipient.* Putres sulci, fractis et comminutis crebra aratione. Milium seritur. 217) Ineunte vere, sole in Taurum ingresso. Sidera fulgentia dicuntur candida. 218) V. i. *averso.* Sole nimium vicino Canis conspici amplius non potest. 219) Gudian. *in mensem.* Far robustum, cuius praestantia e pondere censetur, quod aeris, ventorum pluviarumque ac frigoris iniuriam melius ferre potest. 220) Burmann. *solidisque.* Tritici et farris solius curam habebis. 221) Gudian. *abscondentur.* Atlantis filiae, Pleiades, occidunt matutino tempore. 222) Al. *Cnosia.* Ed. Ven. *discedat.* Reisk. *succedat.* Schrader: *procedat.* Al. *descendat.* Gnosia est sidus coronae, novem stellarum, a corona Ariadnae, quam Bacchus coelo affixit, appellatum. Stella decedit, occidit, occultatur. 223) Moret. II. *quamquam.* 224) Gudian. *properis.* Burmann. *caedere.* Invitae terrae, quando aratione subigenda est. 225) Pleiadum una est Maia. 226) Voss. *eluxit.* Parrhas. *delusit.* Ed. Rom. *illusit.* C. 3. *aristis.* 227) Al. *phaselum, phasillum, fasellum vitiamque.* Fasellus, genus fabarum, propter frequentiam vilis dicta est. 228) Lentis magna copia est apud Aegyptios, praesertim apud oppidum Pelusium.

Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes;
Incipe, et ad medias sementem extende pruinas.
  Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus astra.
Quinque tenent coelum zonae, quarum una corusco
Semper sole rubens et torrida semper ab igni:
Quam circum extremae dextra laevaque trahuntur,
Caerulea glacie concretae atque imbribus atris.
Has inter mediamque duae mortalibus aegris
Munere concessae divum. Viā secta per ambas,
Obliquus qua se signorum verteret ordo.
Mundus, ut ad Scythiam Rhipaeasque arduus arces
Consurgit, premitur Libyae devexus in austros.
Hic vertex nobis semper sublimis; at illum
Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi.
Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes aequore tingui.
Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox,
Semper et obtenta densantur nocte tenebrae;
Aut redit a nobis Aurora diemque reducit;
Nosque ubi primus equis Oriens afflavit anhelis,

---

229) Goth. II. *Aut obsc.* Al. *mittit, mittat.* Bootes occasu suo tempus serendae viciae certum indicat. 230) Ed. Rom. *expende.* 231) C. 3. *demensum.* Rottend. *annum* pro *orbem.* 232) Leid. II. *regat.* Sol regit per duodecim signa, quatenus cursu eius per illa facto constituuntur ea, quae in coelo sunt, siderum motus ac tempora. 233) Reisk. *coeli*, s. telluris. 234) Al. *ab igne.* 235) Sunt in extrema parte positae. 236) V. i. *Caeruleae.* 237) Aegris s. miseris. 238) Goth. I. *concessit.* C. 3, 6. *et via secta*, sc. Zodiacus, circulus obliquus, in quo duodecim signa coelestia spatiis aequalibus conscripta sunt. 239) Leid. I *verterit.* Schrader: *orbis.* 240) C. 3, 6. *Rhipheasque.* Al. *Rhipaeas, Riphaeas.* Mundus hic est caelum — arces sunt loca excelsa et montium iuga — Scythia partes mundi septentrionales. 241) Ed. Ven. *diversus.* Ed. Mediol. *ad austros.* V. i. *divexus in astros*, sc. vergit. Sub Lybia intelligatur hic regnum et desertum *Barca.* 242) Moret. II. *nobis sublimis semper.* Al. *ac illum, et illum.* Hic vertex est polus arcticus. 243) Al. *Sub pedibus, Styx atra videt*, sc. polus antarcticus non cernitur. 244) Al. *labitur.* 246) Al. *aeq. mergi.* Metuentes tingi, qui nunquam tinguntur, occidunt. 247) Nox incommoda ad agendum, ut altae eius tenebrae significentur. 248) V. i. *densentur.* Burmann. *obducta dens.* 249) Leid. I. *diemque reliquit.* 250) Goth. I. *Nos ubi.* Sol perfudit halitu et afflatu equornm.

Illic sera rubens accendit lumina Vesper.
Hinc tempestates dubio praediscere coelo
Possumus, hinc messisque diem tempusque serendi;
Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat; quando armatas deducere classes
Aut tempestivam silvis evertere pinum.
Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus,
Temporibusque parem diversis quatuor annum.
Frigidus agricolam si quando continet imber,
Multa, forent quae mox coelo properanda sereno,
Maturare datur; durum procudit arator
Vomeris obtusi dentem; cavat arbore lintres;
Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.
Exacuunt alii vallos furcasque bicornes,
Atque Amerina parant lentae retinacula viti.
Nunc facilis rubea texatur fiscina virga;
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quaedam exercere diebus
Fas et jura sinunt. Rivos deducere nulla
Religio vetuit, segeti praetendere sepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.
Saepe oleo tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis; lapidemque revertens

---

251) Al. *Illis* s. r. *ostendit.* Vesper primo apparet, unde ceteras stellas dicitur accendere. 252) C. 3. *praedicere.* Caelum dubium, sc. instantibus pluviis, procellis. 255) Zulich. *avertere.* 256) Ligna ac materiem tempestive caedere. 257) Moret. fragm. *speculantur.* 259) Al. *agricolas detinet.* 261 Ed. Ven. *Procurare datur.* Moret. II. *proscindit ar.* C. 3. *producit.* 262) Al. *obtunsi.* Parrhas. *obtuso.* Vomeris dens sumitur pro vomere. Linter est ex uno ligno exsculptum. 263) Al. *impressat*, modiorum numerum vel tesseris insculpendo, vel saccis appingendo. 264) Rottend. *Exacuant.* Brunck. *vallos alii*, sc. palos. 265) Al. *Amarina.* Ameria fuit urbs Umbriae, non longe a Tiberi. 266) Ed. Ven. *rubra*; at Servius *Rubea virga*, quae abundat circa Rubos, Italiae oppidum, Al. *Rubia tex. fascina.* 267) Al. *et frangite saxis.* Intellige panificium, quo frumentum molitur. 269) C. 3. *diducere*, quod Servius *siccare* interpretatur. Jura divina humanaque sinunt. 270) Al. *Religio prohibet — sepem.* Moret. Fr. *sepes.* Nullus respectus deorum vetuit. 271) Avibus sc. nocivis. 272) Al. *greges.* 274) Lapidem molarem ante incisam, ut sit usui terendis frugibus.

Incusum aut atrae massam picis urbe reportat.
  Ipsa dies alias alio dedit ordine Luna
Felices operum. Quintam fuge; pallidus Orcus
Eumenidesque satae; tum partu Terra nefando
Coeumque Iapetumque creat, saevumque Typhoea,
Et conjuratos coelum rescindere fratres.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet, atque Ossae frondosum involvere Olympum;
Ter Pater exstructos disjecit fulmine montes.
Septuma post decumam felix, et ponere vitem,
Et prensos domitare boves, et licia telae
Addere. Nona fugae melior, contraria furtis.
  Multa adeo gelida melius se nocte dedere,
Aut quum sole novo terras irrorat Eous.
Nocte leves melius stipulae, nocte arida prata
Tondentur; noctes lentus non deficit humor.
Et quidam seros hiberni ad luminis ignes.
Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto.
Interea, longum cantu solata laborem,
Arguto conjunx percurrit pectine telas,
Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,
Et foliis undam trepidi despumat aëni.

---

275) C. 3. *Incussum.* Ed. Ven. *Incassum.* Al. *Incisum.* 276) Al. *alios.* 278) Al. *cum parto.* — Eumenidesque furiae eo die natae. 279) V. i. *Caeum — Typhonem.* Typhaeus, Tartari et terrae filius, monstrosus atque terribilis. 280) Rescindere, exscindere. 281) Zulich. *Pelion Ossae.* Gloss. *Ossan.* Ed. Mediol. *impellere.* 282) Moret. fragm. *frondosae.* Parrhas. *invertere.* Al. *imponere ol.* Involvere s. in altiorem locum volvere. 283) Al. *obstructos dejecit.* 284) C. 3, 6. *Septima post decimam — vites.* Heins. *est ponere vitem.* Zulich. *exponere.* Ed. Ven. *imponere.* 285) Al. *Et pressos — telis.* Prensi boves, qui libere, necdum iugo iuncti, errabant. Addere licia telae, est telam ordiri. 286) Nonus dies servis fugitivis faustus, furtum tentantibus infaustus. 287) Al, *melius gelida sub nocte.* Multa se dare solent, occurrunt agenda. 288) Pierius: *Vel cum.* Al. *irrigat.* Sole novo, i. e. mane, cum rore arva rigata sunt, madent. Eous, Lucifer, pro ortu solis. 289) C. 3. *stipulae melius* 290) C. 3, 6. *noctis.* Al. *humidus noctis non defuit humor.* 292) C. 3. *facies insp. acutos.* 294) Al. *Arg. mulier percussit.* Tela est trama, cuius filis inseritur subtemen ope radii aut spathae. 295) V. i. *Vulcano*, pro igne, qui in ejus est tutela. 296) Al *tepidi ah.*, *foliis trepidis, trepidis dispumet aenis.* Proprie mustum est trepidum, quia, quod ebullit, quasi tremere videtur.

At rubicunda Ceres medio succiditur aestu;
Et medio tostas aestu terit area fruges.
Nudus ara, sere nudus; hiems ignava colono.
Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se laeti convivia curant.
Invitat genialis hiems curasque resolvit:
Ceu, pressae quum jam portum tetigere carinae,
Puppibus et laeti nautae imposuere coronas.
Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta,
Tum gruibus pedicas et retia ponere cervis,
Auritosque sequi lepores; tum figere damas,
Stuppea torquentem Balearis verbera fundae,
Quum nix alta jacet, glaciem quum flumina trudunt.
Quid tempestates auctumni et sidera dicam?
Atque, ubi jam breviorque dies, et mollior aestas,
Quae vigilanda viris? vel quum ruit imbriferum ver;
Spicea jam campis quum messis inhorruit, et quum
Frumenta in viridi stipula lactentia turgent?
Saepe ego, quum flavis messorem induceret arvis
Agricola, et fragili jam stringeret hordea culmo,

---

297) C. 3. *Aut rub.* — Goth. II. *succinditur.* Ceres rubicunda, quia flavescunt aristae. V. i. *rubigunda.* 298) Reisk. *costas* pro *coctas.* In area teruntur fruges. 299) Leid. I. *ara et sere.* Pierius: *colono est.* Al. *colonis.* Nudus est tantum tunica indutus, toga aut paenula rejecta. Hiems ignava colonum otiosum esse iubet, et ab opere sub dio faciendo avocat. 300) Al. *feruntur.* 302) Al. *curamque.* Hiems conviviorum hilaritati, risibus iocisque apta, qua genio indulgetur s. voluptatis Deo. 303) Heins. *Ceu, fessae.* Pressae carinae sunt naves mercibus onustae. 304) Reduces e navigatione coronabant navium puppes, quia hic sacrarium erat. 306) G. Goth. II. *mirtamque oleamque cruenta.* Baccae myrti nigrae succo rubicundo. 307) Pedicae sunt laquei, quibus implicantur pedes. Gruibus pro quibuscunque avibus. 308) Al. *damnas, dammas,* transfigere telo. 309) Ed. Ven. *torquentur.* Rom. *torquentes.* Ed. Ald. *Stupea.* 310) Rom. *jecit.* Burmann. *tegit.* 311) V. i. *et frigora.* Ad siderum ortus et occasus tempestatum tempora, atque etiam caussae referebantur. 312) Mead. *dies, iam mollior*, leniore calore. 313) Al. *et cum ruit umbriferum.* Quae curanda ab agricolis sub auctumnum? 314) Cum aristae iam maturae sunt, segetes et sata horrere dicuntur. 315) Leid. *ex viridi.* Rom. *iacentia.* Al. *lactantia torgent*, sed male. 317) Culmi stringuntur, dum falx admovetur.

Omnia ventorum concurrere proelia vidi;
Quae gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublime expulsam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hiems culmumque levem stipulasque volantes.
Saepe etiam immensum coelo venit agmen aquarum,
Et foedam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectae ex alto nubes; ruit arduus aether,
Et pluvia ingenti sata laeta boumque labores
Diluit; implentur fossae, et cava flumina crescunt
Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus aequor.
Ipse Pater, media nimborum in nocte, corusca
Fulmina molitur dextra: quo maxima motu
Terra tremit; fugere ferae; et mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor; ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit; ingeminant austri et densissimus imber;
Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.
Hoc metuens, coeli menses et sidera serva,
Frigida Saturni sese quo stella receptet;
Quos ignis coeli Cyllenius erret in orbes.
Inprimis venerare deos, atque annua magnae
Sacra refer Cereri laetis operatus in herbis,
Extremae sub casum hiemis, jam vere sereno.

---

318) Rom. *consurgere.* 320) Al. *Sublimem exp. eruerint.* Reisk. *ruerent.* Venti eruunt segetem, et in aerem expellunt. 321) Francian. *stipulamque volantem.* Zulich. *stipulamque levem culmosque volantes.* Goth. I. *stipulasque sonantes.* V. i. *volantis*, sed male. 322) Ed. Ven. *e coelo ruit*, al. *ex c.* Agmen aquarum de imbre denso ingruente ruit. 324) Ex aere descendunt contractae nubes. 326) Moret. Fr. *Deluit.* Cava flumina, quae in alveis cavatis fluebant. 327) Goth. I. *ferventque fretis spumantibus.* Freta spirantia sunt aestuantia, ebullientia inter gemini litoris angustias. 328) Pierius: *nimborum nocte*, sine *in.* 329) C. 3, 6. *maxima.* Moliri fulmen est vibrare, iacere. 330) Zulich. *fremit.* Al. *ferae*; *mort.* sine *et.* 331) Al. *humiles*; *humili flagrantis*; *fragranti.* 332) C. 3, 6. *Athon*, mons in Macedonia, imminens mari Aegaeo — Rhodope in Thracia — Ceraunia in Epiro. 333) Ed. Ven. *dens. aether.* 334) Al. *aequora plangit*, *littora clangunt*, personant. 335) Parrhas. *Haec metuens.* Anni tempora observanda sunt propter has tempestatum mutationes. 336) Al. *quo sese*, *qua sese.* 337) Parrhas. *signis.* Rom. Medic. *caelo.* Cyllenius, Mercurius, a Cyllene Arcadiae monte. Planetae non sunt fixa sidera, sed errantia. 339) Al. *in arvis*, *in arbis*, *in orbis.* *Operatur* pro *operans.* Sacra refer, celebra. 340) Ed. Ven. *Extremo sub casu.*

Tunc pingues agni, et tunc mollissima vina;
Tunc somni dulces, densaeque in montibus umbrae.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret.
Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho;
Terque novas circum felix eat hostia fruges;
Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes;
Et Cererem clamore vocent in tecta. Neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, et carmina dicat.

Atque haec ut certis possimus discere signis,
Aestusque, pluviasque, et agentes frigora ventos:
Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret;
Quo signo caderent austri; quid saepe videntes
Agricolae propius stabulis armenta tenerent.
Continuo, ventis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, et aridus altis
Montibus audiri fragor; aut resonantia longe
Litora misceri, et nemorum increbrescere murmur.
Jam sibi tum curvis male temperat unda carinis,
Quum medio celeres revolant ex aequore mergi,
Clamoremque ferunt ad litora; quumque marinae
In sicco ludunt fulicae; notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat ardea nubem.

---

341) Heins. *Tum.* C. 3. *Tunc agni pingues.* Reisk. *cum.* Vina mollia, sc. interiecta hiemis mora. 342) Somni dulces, in herba vel sub arbore ad concentum avium. V. i. *sonni*, ut saepius. 343) Diis agrestibus libatur ex more, lacte, melle vino. 345) C. 3. *erat.* 346) Burmann. *comitantur.* Chorus sociorum operum. 347) Al. *vocant*, invocant, ut adsit. 348) Goth. I. *quicquam.* 349) Zulich. *redimantur — quercu*, ob memoriam victus prioris sc. glandium. 350) Al. *incompositus.* 351) C. 3. *ceteris.* Al. *in certis possemus dicere.* 352) Al. *Aestus, et pl.*; *Aestusque, et pl., et agentes fulgura.* V. i. *agentis.* 353) Parrhas. *moveret.* Luna singulis circiter mensibus cursum conficit. 354) C. 3. *quod saepe.* Quod indicium esset venti mox cessaturi. 357) Ed. Ven. et Rom. *arduus.* Sonus siccus et acutus arboris, cum frangitur. 359) Mare perturbatur, ac miscetur, littora et saxa alluens. 360) Pierius: *a curvis.* Al. *Jam se cum curvis, Jam sibi tum et curvis.* 361) Mergi aliis corvi aquatici dicuntur. 362) Al. *Clangoremque.* 363) Fulicae anatibus non admodum absimiles. 364) Al. *altum super avolat, altum volitat super, altam super evolat, supervolat.*

Saepe etiam stellas, vento impendente, videbis
Praecipites coelo labi, noctisque per umbram
Flammarum longos a tergo albescere tractus;
Saepe levem paleam et frondes volitare caducas,
Aut summa nantes in aqua colludere plumas.
At Boreae de parte trucis quum fulminat, et quum
Eurique Zephyrique tonat domus: omnia plenis
Rura natant fossis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit. Nunquam imprudentibus imber
Obfuit. Aut illum surgentem vallibus imis
Aëriae fugere grues; aut bucula coelum
Suspiciens patulis captavit naribus auras;
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo;
Et veterem in limo ranae cecinere querelam.
Saepius et tectis penetralibus extulit ova
Angustum formica terens iter; et bibit ingens
Arcus; et e pastu decedens agmine magno
Corvorum increpuit densis exercitus alis.
Jam varias pelagi volucres, et quae Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores,
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
Et studio incassum videas gestire lavandi.

---

365) Ardea sunt e praepetum genere, quae altius volant. Stellas coelo labi, e vulgi mente dictum est. 366) C. 3, 6. *umbras.* 367) Al. *Longos a tergo flammarum albescere tractus.* Al. *involvere tr.*, sed male. 369) Leid. I. *molles* pro *nantes.* Al. *collidere palmas.* 370) Burmann. *Aut.* 371) Ed. Ven. *domus tonat.* V. i. *Zepherique.* Spirat ab oriente brumali. 372) Moret. Fr. *omni navita ponto.* Rura inundantur. 373) Pierius: *legunt.* Schrader: *prudentibus.* Imber tam clara dat sui signa, ut, quibuscunque nocuit, ii cavere potuerint. 374) Bynckershoeck: *Adfuit.* Moret. IV. *ac illum.* Leid. *ab* vel *in vallibus.* Nebulae solent surgere vallibus in aerem rariorem. 376) Zulich. *Suscipiens.* 377) *Arguta* ad vocem refertur. 378) Ed. Ven. *Aut veterem.* 379) Cerda: *Ocyus* et Al. *e tectis*, *e tecti pen.* 380) Goth. I. *tenens.* Cerda iter de tramite isto intelligit, quo eunt redeuntque. Irim attrahere aquas suis cornibus pluvio tempore, etiam a nostris hominibus creditur. 382) Increpuit alis densis, non vero exercitus a. d. 383) Al. *Tum variae pelagi.* Ex avibus marinis et cygnis praesagia pluviarum memorat. 384) Paris. *mirantur.* V. i. *Caistri.* In stagnis, quae Cayster fluvius, egressus ripas, inundando vicina, facit. 386) Al. *in undam*, *in unda*, *in undis.* 387) Schrader: *studio incensas.*

Tum cornix plena pluviam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena.
Nec nocturna quidem carpentes pensa puellae
Nescivere hiemem: testa quum ardente viderent
Scintillare oleum et putres concrescere fungos.
Nec minus ex imbri soles et aperta serena
Prospicere, et certis poteris cognoscere signis:
Nam neque tum stellis acies obtusa videtur,
Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna;
Tenuia nec lanae per coelum vellera ferri.
Non tepidum ad solem pennas in litore pandunt
Dilectae Thetidi Alcyones; non ore solutos
Immundi meminere sues iactare maniplos.
At nebulae magis ima petunt campoque recumbunt;
Solis et occasum servans de culmine summo
Nequidquam seros exercet noctua cantus.
Apparet liquido sublimis in aëre Nisus,
Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo.
Quacunque illa levem fugiens secat aethera pennis,
Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa legem fugiens raptim secat aethera pennis.

---

388) Al. *Tunc c. plenam.* Servius: *rauca voce.* Sive cornix improba, sive clamore improbo, s. infausti ominis. 389) Post hunc versum addunt plures editiones: *At caput obiectat querulum venientibus undis.* Al. *Et caput.* 390) Al. *Ne noct.* Pensa, lanae puellis datae, intra constitutum diem expediendae 391) Rottend. II. *cum testa*, quae est lucerna fictilis. 392) Flamma oleo nutrita scintillat. 393) Pierius: *eximbres soles.* Apertum coelum, nullis nubibus obductum. 394) Parrhas. *agnoscere* 395) Goth. I. *neque ut.* Al. *tum in stellis.* 396) Luna lucem suam a sole mutuari solita. 397) Vellera lanae, sunt nubes per caelum sparsae, mox in densiorem et obscuram nubem coiturae. 398) Al. *Nam* vel *Nec trpide ad sol pinnas.* 399) Servius: *ore soluto.* Alcyones praesagientes aeris mutationem pennis expansis esse solent. 400) Manipulos non modo messae frugis, sed herbarum, graminis, straminis etc. eos iactant solutos, sc. ita ut solvantur iactando, quod est notum signum instantis mutationis caeli 401) Al. *Aut — residunt.* 403) Al. *Nequaquam*, *Necquicquam*, *Nequiquam.* 404) Rom. *in aethere.* Nisus, rex Megarensium, Minoi II., regi Cretensium, a filia Scylla, secto ipsius capillo purpureo, proditus, et in haliaeetum mutatus, sicut filia in Cirin. *Liquidus* denotat mobilem aeris naturam. 406) Al. *Quamcunque — aera pinnis.* 408) Rottend. *qua fert se.* 409) Al. *raptum*, *partim*, *rapidis — aera.*

Tum liquidas corvi presso ter gutture voces
Aut quater ingeminant; et saepe cubilibus altis,
Nescio qua praeter solitum dulcedine laeti,
Inter se foliis strepitant; juvat imbribus actis
Progeniem parvam dulcesque revisere nidos.
Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium aut rerum fato prudentia major;
Verum, ubi tempestas et coeli mobilis humor
Mutavere vias, et Jupiter uvidus austris
Denset, erant quae rara modo, et, quae densa, relaxat;
Vertuntur species animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt. Hinc ille avium concentus in agris,
Et laetae pecudes, et ovantes gutture corvi.

Si vero solem ad rapidum lunasque sequentes
Ordine, respicies: nunquam te crastina fallet
Hora, neque insidiis noctis capiere serenae.
Luna, revertentes quum primum colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis pelagoque parabitur imber.
At, si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit; vento semper rubet aurea Phoebe.

---

410) Ed. Ven. *Cum liq.* — Moret. II. *presso corvi ter gutture*, acuto cantu. Voces liquidae opponuntur raucis, quibus corvus imbres alias denuntiat. 411) Paris. *Atque ter ingeminat.* 412) Al. *dulc. capti.* 413) Al. *strepitant* vel *crepitant foliis.* Imbribus abactis, pulsis. 414) Al. *et dulces invisere natos.* 415) Schrader: *Haud (equidem credo) quia sit divinius illis Ingenium.* 416) Al. *facto rerum.* 417) Goth. I. *mollibus humor.* 418) Markland. *Mut. vices.* C. 3, 6. *Juppiter humidus austris.* Tribuitur hic Jovi, quod nos de Natura pronuntiamus. Is aerem densum ac gravem rarefacit. Mut. vias, sc. rationem et qualitatem aeris. 419) Al. *Densat — aut, quae d., relaxet.* Densare est aliquid in minorem dimensionem contrahere, relaxare vero in maiorem dilatare. 420) Plurimi: *pectore.* 421) Al. *Tunc al.* 422) Al. *Hic ille avium contentus in auris.* Ed. Ven. *ovium.* 423) Ovantes gutture, laetam vocem edentes. 424) Al. *ad rapidum solem*, *ad solem rapidum.* 425) Al. *respicias.* Parrhas. *prospicias.* al. *prospicies.* V. i. *fallat.* 426) C. 3. *Hora, nec.* 427) Goth. II. *colliget.* Luna renascens, si obscura fuerit, est praesagium pluviae; si rubicunda venti. 428) Al. *obscurae* (sc. Lunae). Ed. Ven. *comprenditur.* Ed. Ald. *aere*, ut C. 3. 429) Cerda: *agricolae.* Pelago pro nautis. 430) Cerda: *virgineo.* Heins. *ora rubore.* 431) Vento, sc. cum ventus futurus est.

Sin ortu quarto, namque is certissimus auctor,
Pura, neque obtusis per coelum cornibus ibit:
Totus et ille dies, et qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt;
Votaque servati solvent in litore nautae
Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae.
Sol quoque et exoriens, et quum se condet in undas,
Signa dabit; solem certissima signa sequuntur,
Et quae mane refert, et quae surgentibus astris.
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe:
Suspecti tibi sint imbres; namque urguet ab alto
Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.
Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi rumpent radii, aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Heu, male tum mites defendet pampinus uvas;
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Hoc etiam, emenso quum jam decedet Olympo,
Profuerit meminisse magis; nam saepe videmus
Ipsius in vultu varios errare colores;
Caeruleus pluviam denuntiat, igneus Euros.
Sin maculae incipient rutilo immiscerier igni:

---

432) C. 3. *Sin ortu in quarto, namquè his.* Quarta dies a nova luna, si puro nitore fulserit, serenitatem per totum mensem portendit. 433) C. 3. *Pura, nec.* Al. *Plena nec obtunsis.* 434) Pierius: *nascetur*, et *nascuntur.* 435) Ed. Ven. *carebit.* 436) Rom. *ad littora.* Secunda erit navigatio. 437) Al. *Panopiae* vel *Panopae — Melicerti.* Glaucus e piscatore factus deus. Melicertes, Inoi filius, deus maris. Panopea maris nympha. 438) Ed. Ven. *Sol q. cum ex.* Moret. frag. *condit.* Goth. II. *cudet.* Moret. IV. *ad undas.* Paris. et Ven. *nec quum se.* 439) C. 3. *sequentur.* Prognostica Solis sub ortum et occasum. 440) Plures Codd. *austris.* 441) Burmann. et Parrhas. *orbem*, al. *ortu.* 442) Al. *mediove.* Medio orbe refugere, sc. e conspectu subduci. 443) C. 3. *urget ab alto*, seu mari, seu ex aethere. 445) Rottend. II. *At ubi.* Si sub ortum Sol medio orbe obscurato radios quaqua versum exterius sparserit. 446) C. 3. *Div. erumpent — surgit.* Rom. et al. *rumpunt.* 448) C. 3, 6. *defendit.* 449) Al. *Quam* vel *Tum multa.* 450) Leid. II. *emisso.* Pierius: *decedit.* Rottend. II. *descendit.* Si Solis orbi praetexuntur nubes variae, nigrae denuntiant imbres, rutilae ventum. 451) Ed. Ven. *Profuerat.* Al. *iam saepe.* 452) C. 3. *vultu.* 453) Leid. II. *Caeruleos.* 454) Rom. *Si.* Pierius: *incipiunt.* Leid. II. *miscerier.* Sin maculae, s. permixtae inter se erunt et nigrae et rutilae.

Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis
Fervere. Non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque a terra moneat convellere funem.
At si, quum referetque diem condetque relatum,
Lucidus orbis erit: frustra terrebere nimbis,
Et claro silvas cernes Aquilone moveri.
Denique, quid vesper serus vehat, unde serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster,
Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam caecos instare tumultus
Saepe monet, fraudemque et operta tumescere bella.
Ille etiam exstincto miseratus Caesare Romam,
Quum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.
Tempore quamquam illo tellus quoque, et aequora ponti,
Obscenique canes, importunaeque volucres
Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam,
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa!
Armorum sonitum toto Germania coelo
Audiit; insolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens; et simulacra modis pallentia miris

---

455) Al. *tum* vel *cum*. 456) Si venti et nimbi quaqua versus fervent. 457) Catroeus; *moveat convellere*, permoveat ut solvam. 458) Si mane et vesperi sol purus erit ac serenus, certum id serenitatis pignus puta. 460) Goth. II. *cernis silvas*. 461) Zulich. *quod serus vesp.* Rom. Medic. et Cantabrig. *ferat*. 462) C. 3. *cogat et.* Reisk. *unde serenans Eurus agat.* Schrader: *serenus.* Al. *qui cogitat*, vel *concitet*. 463) Moret. IV. *dedit.* Falsum pro fallentem. 464) Tumultus bellicos ex occulto natos, et fraudes coniurantium. 465) Bodlei. *aperta.* 467) C 3. *Tum.* Al. *tinxit.* Ferrugo hic sumitur pro caligine, rubore nigricante. 468) Impia saecula sunt homines istius aevi, quo impium facinus in Caesarem commissum erat. 470) Burmann. *Obscenaeque canes*, sc. ominosae. Ed. Ven. *Obscenique amnes.* Volucres molestae mali ominis cantu. 471) C. 3. *Quotiens.* Aestuantis Aetnae explosi ignes verbis a tempestate maris petitis describuntur. 472) Moret. I. *Aetnan.* 473) Massa liquescens, quae mox lapidescit, vulgo *Lava* appellatur. 474) Ed. Ven. *sonitum et toto.* Al. *sonitus.* 475) Zulich. et Moret. I. *timuerint.* Rom. Medic. *montibus.* 476) Paris. *est audita.* 477) Simulacra mirum in modum pallentia sunt defunctorum umbrae.

Visa sub obscurum noctis; pecudesque loquutae;
Infandum! sistunt amnes, terraeque dehiscunt,
Et moestum illacrimat templis ebur, aeraque sudant.
Proluit insano contorquens vortice silvas
Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit. Nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibrae apparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessavit; et altae
Per noctem resonare, lupis ululantibus, urbes.
Non alias coelo ceciderunt plura sereno
Fulgura; nec diri toties arsere cometae.
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi;
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.
Scilicet et tempus veniet, quum finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabra robigine pila,
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.

---

478) C. 3. *locutae.* 479) Menag. I. *sist. omnes.* Sistunt se, consistunt amnes. Terrae dehiscunt, sc. motu ac ruina soli, qua obseptus fluvii cursus est. 480) Pierius: *lacrimat.* Ebur aeraque sunt signa ex ebore et aere; ea illacrimari credebantur, forte dum tepido sudabant humore per tempus pluvium collecto. 481) Al. *Proruit.* Ut ira, rabies, sic furor et insania incitato flumini tribuitur. 482) Al. *Flujorum.* Eridanus, rex fluviorum, Padus, qui in Adriaticum mare influit. 483) Al. *armenta trahit.* 484) Ed. Mediol. *haud extis.* Gudian. *minacis.* Rottend. II. *minantes.* Exta sunt viscera. 485) Ed. Mediol. *Haut put.* Al. *Nec p.* Franc. *Aut putris.* 486) Leid II. *Per noctes.* 487) Gudian. *sinistro.* 488) C. 3. *totiens* 489) Dicit Romanos alterum praelium, post illud in priore bello civili ad Pharsalum habitum, inter se fecisse. 491) Parrhas. *Non fuit.* Markland. *Nec f. i, Superi, bis.* Iis placuit, in eodem Macedoniae regno, latius accepto, bis stragem Romanorum fieri. 492) Al. *laetus.* *Emathia* est pars Macedoniae, quo nomine poetae pro Thessalia utuntur. *Haemus* est mons Thraciae, cui urbs Philippi subiacere dici potest. 493) Al. *Scilicet, et veniet temp.* 494) C 3. *in curvo.* Al. *terra, terrae.* 495) Rottend. II. *inveniat.* V. i. *rubigine.* 497) Cum in istis praeliis fortissimi homines cecidissent, posteritas eodem modo horum ossa mirabitur, ut nos priscorum hominum.

Di patrii, Indigetes; et Romule, Vestaque mater,
Quae TuscumTiberim et Romana Palatia servas,
Hunc saltem everso juvenem succurrere saeclo
Ne prohibete. Satis jam pridem sanguine nostro
Laomedonteae luimus perjuria Trojae.
Jam pridem nobis coeli te regia, Caesar,
Invidet, atque hominum queritur curare triumphos;
Quippe ubi fas versum atque nefas: tot bella per orbem
Tam multae scelerum facies; non ullus aratro
Dignus honos; squalent abductis arva colonis,
Et curvae rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;
Vicinae ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt; saevit toto Mars impius orbe.
Ut, quum carceribus sese effudere quadrigae,
Addunt in spatia, et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

---

498) Ed. Ven. *Indigenae.* Heins. *Di patriae*, al. *Di patrii, Indigetes*, sc. heroes, qui in terris degerant, atque inter Deos relati erant, et quos Aeneas a Troia in Latium advexerat. 499) Moret. frag. *Qui.* 500) Goth. II. *Huic.* Ed. Ven. *iuvenem everso.* Al. *averso.* Iuvenem Octavianum Caesarem, tum circa 27. annum agentem. 501) Ven. *Nec pr.* Ed. Ven. *Satis nam prid.* Permittite, ut Caesar rempublicam restituat, et belli civilis scelera expiet. 502) Al. *Laumedonteae.* Laomedon Apollinem et Neptunum mercede pro muris Troiae exstruendis pacta fraudaverat. 503) Rom. *coeli nobis.* 505) Franc. *versumque.* (Conf. vita Virgilii ad a. 717 et sequentes V. C.) Apud quos fas nefasque confusum. 506) Al. *Jam*, *Tum multae — non nullus.* 507) Rottend. II. *adductis.* 508) Al. *rigidus — formantur* vel *curvantur in ensem*; sed melius *conflare* de ferro cudendo, dum liquescit. 509) A Parthis et a Germanis bellum movetur. 510) Plures Cod. *Vic. inter se ruptis jam leg*, de dissidiis civilibus accipe. 511) Al. *fremunt.* 512) Spatia pro loco, quo decurritur, et de decursu aeque bene dicuntur. 513) Al. *Add. spatio. Ardent, in spatia et fr.* 514) Equi regi non possunt.

P. VIRGILII MARONIS
GEORGICON
LIBER SECUNDUS.

Hactenus arvorum cultus et sidera coeli.
Nunc te, Bacche, canam, nec non silvestria tecum
Virgulta, et prolem tarde crescentis olivae.
Huc, pater o Lenaee; tuis hic omnia plena
Muneribus; tibi pampineo gravidus auctumno
Floret ager, spumat plenis vindemia labris:
Huc, pater o Lenaee, veni; nudataque musto
Tingue novo mecum dereptis crura cothurnis.
Principio arboribus varia est natura creandis.

LIBER SECUNDUS.

V. i. Hactenus arvorum cultus, et sidera coeli,
Pampineas canit ille comas, collesque virentis
Descriptasque loci vires, et dona Lyaei,
Atque oleae ramos pomorum ex ordine laetos. (Conf. Heyne V. 304.)

3) C. 3, 6. *tardae.* Virgulta silvestria, sc. arbores omnis generis. Per prolem olivae vel fructum, vel propaginem olearum intelligit. 4) C. 3. *Lunae.* Al. *Nunc pater.* Cerda: *tuis haec*, al. *t. sunt.* Lenaeus est Bacchus. Huc, in argumento carminis mei. 5) Tibi, per te, beneficio tuo. V. i. *autumno.* 6) Floret, s. plenus est Labra sunt vasa ad recipiendum mustum apta. 8) C. 3, 6. *Tinge — direptis.* Bacchus exhibitus olim cothurnatus. 9) Ratio arborum creandarum est triplex, aut ut sponte proveniant, aut semine, aut a radice.

Namque aliae, nullis hominum cogentibus, ipsae
Sponte sua veniunt, camposque et flumina late
Curva tenent; ut molle siler, lentaeque genestae,
Populus, et glauca canentia fronde salicta.
Pars autem posito surgunt de semine: ut altae
Castaneae, nemorumque Jovi quae maxima frondet
Aesculus, atque habitae Grajis oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis densissima silva;
Ut cerasis ulmisque; etiam Parnasia laurus
Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.
Hos natura modos primum dedit; his genus omne
Silvarum fruticumque viret nemorumque sacrorum.
  Sunt alii, quos ipse via sibi reperit usus.
Hic plantas tenero abscidens de corpore matrum
Deposuit sulcis; hic stirpes obruit arvo,
Quadrifidasque sudes, et acuto robore vallos;
Silvarumque aliae pressos propaginis arcus
Exspectant, et viva sua plantaria terra.
Nil radicis egent aliae; summumque putator
Haud dubitat terrae referens mandare cacumen.
Quin et caudicibus sectis, mirabile dictu!
Truditur e sicco radix oleagina ligno.
Et saepe alterius ramos impune videmus

---

10) Goth. I. *Atque aliae.* 11) Zulich. *campos et.* 12) C. 3. *genistae.* Al. *et molle siler, laetaeque.* Siler fors genus salicis est — genesta fruticis viminei. 13) C. 3. *Populusque.* 14) Ed. Ven. *surgant.* Zulich. *surgunt posito.* 15) Reisk. *frondent.* Al. *Castaneae, nemorumque Jovi quae maxuma frondent, Aesculus atque — quercus.* Semen castaneae est nux. 16) Al. *Esculus, atque altae.* V. i. *Grais.* Aesculus est arbor glandifera. Hab. or. q. pro sede oraculi Dodonaei. 17) Al. *a rad.* 19) C. 3. *subigit.* Gl. crescit, adolescit. 21) Goth. I. *virent.* Frutices sunt, quae statim a radice se in ramos effundunt. 22) Gudian. *Sunt alii, quos ipsa via.* Pierius: *ipse viam.* Kingius: *Sunt alii (sc. modi), queis ipse viam sibi.* Heins. *Sunt aliae, quas ipse viae s.* — Scaliger: *Sunt aliae, quas ipse vias sibi repperit usus.* V. i. *repperit.* 23) Al. *teneros abscidens.* V. i. *abscindens.* 26) Leid. II. *alii.* Servius: *flexos.* 27) Ed. Steph. *Nec se spectant.* Servius: *Nexae spectant.* Plantare in ea terra, in qua mater crevit. 28) Moret. frag. *putatum.* Infossio taleae e cacumine rami amputatae, quae absque radice crescit. 30) Caudex resectus, abscissus. 31) Pontedera: *ex sicto* pro *secto.* 32) Zulich. et Menag. *At saepe,* cum surculus unius arboris alteri immittitur.

Vertere in alterius; mutatamque insita mala
Ferre pirum, et prunis lapidosa rubescere corna.
Quare agite o, proprios generatim discite cultus,
Agricolae, fructusque feros mollite colendo;
Neu segnes jaceant terrae. Juvat Ismara Baccho
Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum
Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famae merito pars maxima nostrae,
Maecenas, pelagoque volens da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto;
Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox. Ades, et primi lege litoris oram.
In manibus terrae. Non hic te carmine ficto
Atque per ambages et longa exorsa tenebo.

Sponte sua quae se tollunt in luminis oras;
Infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt;
Quippe solo natura subest. Tamen haec quoque si quis
Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint silvestrem animum; cultuque frequenti
In quascunque voces artes haud tarda sequentur.
Nec non et sterilis, quae stirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros;
Nunc altae frondes et rami matris opacant,

---

33) Heins. *Vertere in alterius naturam atque insita.* Al. *mutata.* 35) C. 3 *Quare agite* sine *o.* V. i. *vultus.* 36) Al. *cultusque feros.* 37) Al. *Ne — iuvet.* Ismarus, mons Thraciae, vitibus, et Taburnus, mons Samnii, olivis nobilis, quanquam uterque alioquin asper et horridus. 38) Goth. I. *Tiburnum.* 39) Rottend II. *discurre.* Decurre laborem, a navigatione repetendum est. 40) C. 3, 6. *maxima.* Al. *O Deus, o patriae — nostri.* Maximam suae gloriae partem eo contineri ait, quod Maecenatis amicitia utatur. 41) Al. *volans.* 42) C. 3. *complecti.* 43) Zulich. *orave.* 44) Al. *Aenea vox.* V. i. *Aderit.* Lege s. stringe terrarum litora. 47) Ed. Ald *auras.* In luminis oras, in lucem, adeoque in aetherem. 49) Al. *soli.* Ed. Ven. *hoc quoque.* V. i. *hae.* Solo ea naturalis vis inest, quae ad procreandas illas arbores necessaria est ac propria. 50) Parrhas. *at scrob.* Moret. II. *mundata.* Reisk. *multa arte.* Sola transpositione arborum silvestrium natura mitescit. 51) Animus hic sumitur pro natura et ingenio arborum. 52) Moret. Fr. *Ad quascunque.* Gudian. *voles.* Pierius: *velis.* Quascunque artes ad maiorem earum cultum adhibeas, feliciter tibi succedere videbis. 54) Rom. Medic. *faciat.* Ed. Ven. *disiecta.* V. i. *Haec.* 55) *Nunc latae.*

Crescentique adimunt fetus, uruntque ferentem.
Jam, quae seminibus jactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram;
Pomaque degenerant succos oblita priores;
Et turpes avibus praedam fert uva racemos.
Scilicet omnibus est labor impendendus, et omnes
Cogendae in sulcum, ac multa mercede domandae.
Sed truncis oleae melius, propagine vites
Respondent, solido Paphiae de robore myrtus;
Plantis et durae coruli nascuntur, et ingens
Fraxinus, Herculeaeque arbos umbrosa coronae,
Chaoniique patris glandes; etiam ardua palma
Nascitur, et casus abies visura marinos.
Inseritur vero et fetu nucis arbutus horrida;
Et steriles platani malos gessere valentes;
Castaneae fagus, ornusque incanuit albo
Flore piri, glandemque sues fregere sub ulmis.
Nec modus inserere atque oculos imponere simplex.
Nam, qua se medio trudunt de cortice gemmae,
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso

---

56) Al. *Crescentisque*, *Crescentesque — uruntve*; sc. de subducto suco. Fetus sunt arborum fructus. 57) C. 3. *Nam — arbor*. Seminibus iactis, seu temere, cadentibus iis in solum, seu manu iactis. 59) Al. *fucos — prioris*. 60) Menag. *una*. Turpes racemi, sc. deficiente cultu, squalidi, rugosi. Uva hic pro vite sumitur. 62) Franc. *magna merc.*, multi laboris impendio. 63) Oleae felicius proveniunt. 64) C. 3. *myrtis*. Ed. Ven. *et Paphiae*. Gloss. *Respondent melius Paphiae*. Myrti, Veneri sacrae, vastiore ramo ad pali modum in terram infosso. 65) C. 3. *coryli edurae*, sc. nuces valde durae. Al. *nascentur*. V. i. *corili*. 66) Goth. I. *arbos frondosa*. 67) Al. *et iam ardua planta*. Quercus dicata Jovi in nemore Chaonio s. Dodonaeo. 69) Al. *ex foetu* vel *fetu — arbutus horrens*. Optime inseritur arbuto nux, platano malus, fago castanea, orno pirus, et ulmo quercus. Arbutus horrida dicitur a cortice hispido et aspero. 70) Al. sic interpunxere: *Et steriles platani malis: gessere valentes Cast.* 71) C. 3. *fagos*. Reisk. *ficus*. Moret. II. *incanduit*. Ornus est fraxini sylvestris genus, pirus inseritur in orno, et castanea in fago. 72) Gudian. *glandesque*. Significat quercus glandiferas ulmis fuisse insitas, ad pastum porcorum. 73) C. 3. *aut oculos*. 74) Zulich. *trudunt medio*. Moret. II. *de vertice*. 75) Inoculatio fit, dum in ea parte, qua gemmae s oculi s. nova germina se trudunt, erumpunt ex cortice, ruptis tuniculis, i. e. libro, interiore cortice, vulnus fit; sive angustus sinus, i. e. cavitas, avulsa gemma et cortice in modum scutuli, cuius loco includitur novum germen, ut coalescat cum vetere libro.

Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur, et alte
Finditur in solidum cuneis via; deinde feraces
Plantae immittuntur: nec longum tempus, et ingens
Exiit ad coelum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes et non sua poma.
 Praeterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
Nec salici, lotoque, neque Idaeis cyparissis.
Nec pingues unam in faciem nascuntur olivae,
Orchades, et radii, et amara pausia bacca,
Pomaque, et Alcinoi silvae; nec surculus idem
Crustumiis Syriisque piris gravibusque volemis.
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos;
Sunt Thasiae vites, sunt et Mareotides albae;
Pinguibus hae terris habiles, levioribus illae;
Et passo Psithia utilior, tenuisque Lageos,
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam;
Purpureae, preciaeque; et quo te carmine dicam,

---

77) Al. *Inducunt.* 78) Moret. II. *At.* Parrhas. *et alta.* Resecantur, fit sc. incisio seu fissura in trunci cortice, qua parte nullus nodus est. 80) Pierius: *immittantur.* 81) Burmann. *arbor.* Rami felices sunt arboris feracis, cuius surculi sylvestri arbori inseruntur. V. i. *Exit.* 82) Heins. *Miratisque.* Schrader: *Emirata.* Gudian. *Mirataque novas.* V. i. *Miratasque.* 83) Menag. II. *unum est.* 84) Al. *lotove.* Lotus hic est genus arboris, Italiae familiaris, dulcissimo fructu. Cupressi in Ida, Cretae monte, sponte proveniunt. 86) Manut. et Servius: *Orchites.* Al. *Orchades radiique.* 87) Reisk. *Poma neque, Alcinoi,* Phaeacum regis, hortorum studio celebris. 88) Ed. Ven. *Syr. pomis.* Rottend. *volomis.* Medic. Rom. *voluemis.* 89) Heins. *pendent.* Vindemia s. vitium proventus, uvae. 90) Al. *Quamve — de cespite Lesb.*, insulae maris Aegaei. — Methymna est urbs Lesbi. 91) Al. *et sunt Mar. uvae.* Vinum Mareoticum a locis circa lacum Mareoticum super Alexandriam. Tam vites quam vinum Thasiae celeberrima sunt. 93) Reisk. *Est passo.* Al. *Phithia, Sithia, Sichia, Phicia, Psithia.* Al. *Ligeos, Legeos.* Vinum passum ex uvis in sole coctis, ut exarescerent. Psithia vitis, et Lagea, Graeca, parum cognita, facile inebrians. 94) C. 3. *victurasque.* Gudian. *Junctura pedes.* V. i. *Temptatura.* 95) Al. *pretiae, praetiae, praeciae,* a maturitate, quasi praecoquae, quia cito maturescunt; purpureae a colore nomen habent.

Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt et Aminaeae vites, firmissima vina;
Tmolius assurgit quibus, et rex ipse Phanaeus;
Argitisque minor: cui non certaverit ulla,
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te, Dîs et mensis accepta secundis,
Transierim, Rhodia, et tumidis, Bumaste, racemis.
Sed neque, quam multae species, nec, nomina quae sint,
Est numerus; neque enim numero comprendere refert;
Quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem
Discere quam multae Zephyro turbentur arenae;
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.
  Nec vero terrae ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices crassisque paludibus alni
Nascuntur; steriles saxosis montibus orni;
Litora myrtetis laetissima; denique apertos
Bacchus amat colles, aquilonem et frigora taxi.
Adspice et extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos:
Divisae arboribus patriae. Sola India nigrum
Fert ebenum; solis est thurea virga Sabaeis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno

---

96) Rottend. *Rethia.* Burmann. *ne cellis.* Pierius: *adeo.* Vinum Rhaeticum inferius est Falerno. Al. *Sunt etiam Amynneae* vel *Amyneae*, *Aminneae.* Vinum Aminaeum e Chio insula ortum habet. 98) C. 3. *Tmolus et ads.* Heins. et Pier. *Tmolius ads.* Franc. *Thmolius.* Moret. Fr. *Timolus.* Mead. *Mollius.* 99) Moret. fr. *Argutisque.* Rottend. II. *Archivusque.* Ed. Ven. *non cui.* 100) C. 3. *Aut tantum aut fluere.* Ea vitis vino firmo ac durabili abundat. 101) C. 3. *mensis et Diis.* Cod. unus: *dis aut m.* De vino Rhodio in mensis secundis Diis ante omnia libabatur. 102) Zulich. *Transieram.* Mead: *gravidis B. rac.* 103) Moret. Fr. *et nomina.* Erford. *quot sint.* 104) Ed. Ven. *Et numerus.* Nec enumerandi facultas cuiquam suppetit, nec numeratu opus est. 105) Gudian. *Quem si.* Leid. *Quae qui.* Mead: *scire volet.* 106) Burmann. *turbantur ar.* 108) Gudian. *quod.* Moret. II. *venient.* 112) Franc. *mitissima.* Burmann. *ditissima.* Van Hoven: *apricos.* Myrti solent esse laetissimae in littoribus. 113) Leid. II. *amant.* 114) Burmann. *Aspice et externum, domitis cultoribus, orbem.* 115) Pierius: *domus.* Franc. *Gelones.* Geloni sunt populus Sarmaticus ad Borysthenem, qui corpora pingebant. 116) Mead: *Diversae.* Franc. *sed India.* 117) Al. *hebenum.* Pierius: *solis et.*

Balsamaque, et baccas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Aethiopum, molli canentia lana?
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis? ubi aëra vincere summum
Arboris haud ullae jactu potuere sagittae.
Et gens illa quidem sumtis non tarda pharetris.
Media fert tristes succos tardumque saporem
Felicis mali; quo non praesentius ullum,
Pocula si quando saevae infecere novercae,
Miscueruntque herbas et non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciemque simillima lauro;
Et, si non alium late jactaret odorem,
Laurus erat; folia haud ullis labentia ventis;
Flos ad prima tenax; animas et olentia Medi
Ora fovent illo, et senibus medicantur anhelis.

Sed neque Medorum, silvae ditissima, terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiae certent; non Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.

---

119) Al. *bacas.* V. i. *achanti.* Mead: *Bals. quid b.* Acanthus est fortasse genus arboris. Caesaris triumphus Ponticus apparatum ex acantho habuit. 120) Leid. *albantia lāna.* 121) Al. *et foliis despectant.* Servius: *depectat.* 122) Al. *proprior.* Ed. Nor. *proprio.* 123) C. 3. *ubi altae.* 124) Al. *Aut.* 125) Al. *haud tarda sagittis.* Gudian. *aut dura*, pro non tarda s. strenua. 126) Al. *durumque*, *sardumque*, *asprumque sap.* V. i. *tristis*, acidi aut amari succi — sapor diu palato immanens. 127) C. 3. *praestantius.* Malum Medicum ad citrorum genus pertinet; felix s. salubris. 128) Novercale odium, venenum, solemne fuit antiquis. 129) Al. *Miscuerant*, *Miscuerint* noxia verba, incantationes. V. i. *Miscuerantque.* 130) Vratisl. *agitata venena.* Sed *agit* pro expellit, exigit. 131) Mead: *facieque.* Rom. Medic. *tauros.* 132) Ven. *ructaret.* 134) C. 3. *Flos apprimae et.* Al. *ad prima*, *apprima*, *apprime* pro imprimis. 135) Ven. *medicatur.* V. i. *hanelis.* 136) Rom. Medic. *ditissima regna.* Al. *Medorum silvae, ditissima terra.* *Silvae* pro silvarum. 137) Zulich. *aut auro.* Rom. Med. *atque aura.* Goth. II. *neque auro.* V. i. *Hermes.* 138) Leid. *certant.* Al. *nec Indi.* 139) V. i. *Panchagia.* Al. *Totave.* Panchaia, fabulosa Euhemeri insula, Arabiae ab oriente obiecta, pro Arabia dicta. *Pinguis* aut propter tus pingue, quod resinae naturam habet, aut fertilis, solo arenoso, cui frutex turis innascitur.

Haec loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertere, satis immanis dentibus hydri;
Nec galeis densisque virum seges horruit hastis:
Sed gravidae fruges, et Bacchi Massicus humor,
Implevere; tenent oleae armentaque laeta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert;
Hinc albi, Clitumne, greges, et maxima taurus
Victima, saepe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa deûm duxere triumphos.
Hic ver assiduum, atque alienis mensibus aestas;
Bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbor.
At rabidae tigres absunt et saeva leonum
Semina; nec miseros fallunt aconita legentes;
Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem,
Tot congesta manu praeruptis oppida saxis,
Fluminaque antiquos subterlabentia muros.
An mare, quod supra, memorem, quodque alluit infra,
Anne lacus tantos? te Lari maxime, teque
Fluctibus et fremitu assurgens, Benace, marino?

---

140) Al. *nec tauri spirantis.* Maro Colchidem intelligit, in quam profectus Iason, vellus aureum in Martis loco suspensum diripuit. 141) Goth I. *immani.* Al. *immanes.* Rom. Med. *hydris.* 142) Al. *Nec galea.* Zulich. *viris.* Horruit pro exiit, nata est. 143) Mons Massicus, Campaniae, ad Sinuessam, vitibus consitus. 144) Al. *oleaeque arbustaque.* 145) Erford. *Hic.* 146) Goth. II. *Hinc albi, Tyberyne.* C. 3. *te maxima* Clitumnus Umbriae cis Appeninum fluvius, ubi iuxta urbem Mevaniam Finiae se miscuit, cum eo ad Tiberim descendit. V. i. *greges, Clitumne, et maxima.* 147) Taurus ab his arvis adductus, candidus victima in triumpho immolari solita. 148) Templa Deûm, Capitolium Jovi sacrum. 149) Ven. *Hic iter ads.* Al. *Hic ver perpetuum, atq. al. messibus* 150) Utilis, fertilis. 151) Al. *rapidae — obsunt — leones.* Reisk. *et secla leonum. Semina nec miseros fallunt aconita legentes*, i. e. nec fallunt aconita miseros illos, qui germina legunt. 152) Aconita, herbae venenosae. 153) Al. *neque lento* vel *torto tractu.* 155) Al. *labores*, opera, fabricas, aedificia. 156) Al. *Tunc coniecta.* Congesta manu, exstructa in rupibus. 157) Subter s. praeter. 158) Parrhas. *supra est.* Al. *abluit.* Mare superum et inferum, Adriaticum ac Tyrrhenum. 159) Lacus Larius, nunc Lago di Como. V. i. *maxima.* 160) Al. *insurgens.* Benacus lacus in Veronensi, propter magnitudinem ventis et procellis obnoxius non aliter ac mare.

An memorem portus, Lucrinoque addita claustra;
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Julia qua ponto longe sonat unda refuso,
Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis?
Haec eadem argenti rivos aerisque metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Haec genus acre virum Marsos, pubemque Sabellam,
Adsuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit; haec Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, et te, maxima Caesar,
Qui nunc extremis Asiae jam victor in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus;
Magna virum: tibi res antiquae laudis et artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes,
Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.
Nunc locus arvorum ingeniis: quae robora cuique,

---

161) Al. *Quid memorem*. Gudian. *abdita*. Al. *claustro*. Lucrinus, in Puteolano Campaniae sinu minor est sinus, inter Bajas et Puteolos; intra eum Avernus lacus est, eidem per angustas fauces conjunctus. 162) Wasse: *magnis clamoribus*. 163) V. i. *Julia quo*, sed qua portus Julius immisso mari erat effectus. 164) Servius: *Averni*, lacus, qui a poetis inferorum ostium habitus est. 166) Plurimum auri inest. 167) Zulich. et Mead. *Hoc*. — Goth. *viros*. Marsi, bellicosi, cum Sabinis, severa disciplina nutritis, primo loco memorari solent inter Italiae populos. 168) Zul. *Adsuetum malo*, pomis vel navibus. Rom. Med. *Ligurum*. Al. *Vulscos*, *Vulcos*, *Volcos*, *Volctos*. Lipsius: *veruto* sc. adsuetum. Volsci erant hastae genere, s. telo veruto armati. 169) Ed. Ven. *haec doctos Marios*. Caius Marius, ex municipio Arpinate humili loco natus, triumphavit de Jugurtha rege Numidiae. Decii fuerant familia Romae celeberrima. M. Furius Camillus de Veientibus triumphavit. 170) Gud. *maxima*. C. 3. *bello: te, maxime Caes.*; Scipiadas, s. e Scipionum genere. 171) Goth. I. *extremis aciem*. De bello Actiaco, vel potius Aegyptiaco intelligamus. 172) Vratisl. *In bellum advertis*. Martin. *artibus*. Avertis, dum praesidiis urbes in finibus firmat. 173) Saturnia tellus, Italia, in qua Saturnus latuit. 174) Gud. *artem*. Al. *artes*. Res rustica apud maiores in honore habita fuit. Tibi, s. tui gratia. 175) Al. *Aggredior*, *Ingrediar* — *excludere*. Virg. primus inter Romanos hoc argumentum versibus tractat. 176) Hesiodus ex Ascra, Boeotiae vico, oriundus georgica scripsit. 177) Gud. *ingentis*, *quae robora cano*, sc. quae praecipua vis ac virtus cuiusque soli sit, qua potissimum valeat.

Quis color, et quae sit rebus natura ferendis.
Difficiles primum terrae, collesque maligni,
Tenuis ubi argilla, et dumosis calculus arvis,
Palladia gaudent silva vivacis olivae.
Indicio est, tractu surgens oleaster eodem
Plurimus, et strati baccis silvestribus agri.
At quae pinguis humus, dulcique uligine laeta,
Quique frequens herbis et fertilis ubere campus,
Qualem saepe cava montis convalle solemus
Dispicere: huc summis liquuntur rupibus amnes,
Felicemque trahunt limum: quique editus Austro,
Et filicem curvis invisam pascit aratris:
Hic tibi praevalidas olim multoque fluentes
Sufficiet Baccho vites; hic fertilis uvae,
Hic laticis, qualem pateris libamus et auro,
Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis studium vitulosque tueri,
Aut fetus ovium, aut urentes culta capellas:
Saltus, et saturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niveos herboso flumine cycnos.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt;
Et, quantum longis carpent armenta diebus,

---

178) Al. *aut quae — creandis* vel *serendis*. 179) Terrae difficiles, parum feraces, quasi morosae, parcae. 180) Al. *argillae dumos. — ancris*. 181) Al. *gaudet*, quia sc. *calculus* in animo haerebat. 182) C. 3. *tracto*. 183) Leid. I. *baccis stridentibus*. 184) Al. *Atque et*, *Et quae*. C 3. *Atqui*. Solum sc. pingue vitibus colendis idoneum est. 187) C. 3, 6. *Despicere*, videre, prospicere. Al. *linquuntur*, *liquentur montibus*. 188) Schrader: *obditus* vel *uvidus austro*. Felix i. fecundans limus. Editus Austro, sc. in loco edito versus Austrum. 189) Al. *silicem*. Invisa aratris, propter late serpentes radices. 190) Ven. *Hinc*. 191) C. 6. et Gud. *Sufficiat*. Paris. *vires*, ut C. 3. — C. 6. *vitis*. 192) Ed. Mediol. *libatur*, pateris aureis. 193) Gud. et Goth. II. *ad auras*. C. 3. *Tyrrhenis*. Ebur est tibia ex ebore. 194) Al. *et pateris*, *et patulis*. Reddimus, s. diis offerimus, damus. Lances ad sacra pertinuerunt. 195) Mead. *studium est*. 196) V. i. *Aut ovium fetus*, *aut urentis c. c.*, laedentes seu serrato dente, seu saliva, ut exarescant. 197) V. i. *Et saltus satyri*. Saturum Tarentum propter insignem agrorum ubertatem. 199) C. 3. *herbosi in fl.* Mincius arundine et alga obsitus est. 200) C. 3, 6. *desunt*. 201) Rom. Medic. *reponit*. Rottend. III. *reponat*.

Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra fere et presso pinguis sub vomere terra,
Et cui putre solum, (namque hoc imitamur arando),
Optima frumentis: non ullo ex aequore cernes
Plura domum tardis decedere plaustra juvencis:
Aut unde iratus silvam devexit arator,
Et nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
Eruit: illae altum nidis petiere relictis;
At rudis enituit impulso vomere campus.
Nam jejuna quidem clivosi glarea ruris
Vix humiles apibus casias roremque ministrat;
Et tophus scaber, et nigris exesa chelydris
Creta, negant alios aeque serpentibus agros
Dulcem ferre cibum, et curvas praebere latebras.
Quae tenuem exhalat nebulam fumosque volucres,
Et bibit humorem, et, quum vult, ex se ipsa remittit;
Quaeque suo viridi semper se gramine vestit,
Nec scabie et salsa laedit robigine ferrum:
Illa tibi laetis intexet vitibus ulmos;
Illa ferax oleo est; illam experiere colendo
Et facilem pecori et patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua, et vicina Vesevo
Ora jugo, et vacuis Clanius non aequus Acerris.

---

203) Gud. *ex presso*. Rom. Med. *et pingui*. 204) Servius: *Ut cui*. Moret. Fr. *hic*. Al. *imitantur*, *imitatur*. Schrader: *rimamur*. 205) C. 3 *Optima fr.: non nullo*. 206) Moret. Fr *discedere*. Mead. *descendere*. 207) Pier. *dejecit*. Iratus ob diuturnam silvae sterilitatem. 208) Ed. Mediol. *avertit*. 209) Ven. *domus*. 210) Ven. *almum*. Paris. *petivere*. 211) Al. *Et* vel *Aut rudis*. Ed. Mediol. *impresso*. 212) Jeiuna glarea, infecunda. 213) C. 6. et Erford. *Vix apibus humilis*. 214) Al. *tofus*. Ed. Ald. *scaber nigrisque*. Erford. *chilindris*, al. *chelindris*. 216) Schrader: *furvas*, al *vacuas*, *varias*. Paris. *tenebras*. Curvas latebras pro cavis. 217) Goth. I. *Quem*. Rom. *fumosque lucoris*. 218) Ven. *Ut bibit*. Mead. *Quae vult*. 219) Al. *semper viridi*. Faber: *viridis*. 220) Mead. *Haec*. Al. *Aut salsa, et falsa*. 221) Zulich. *Ipsa*. Mead. *tibi in laetis*. Al. *intexit*. 222) C. 3. *oleae*. 223) Facilem, uberem, liberalem, copiosum pabulum praebentem. 224) Al. *erat*. V. i. *Vesaevo*. Rom. *Vesaeo* pro Vesuvio, antequam sc. eius incendiis tractus ille erat vastatus. 225) Parrhas. *Clanis*. Acerrae civitas est Campaniae, haud longe a Neapoli, quam Clanius fl. praeterfluit, cuius frequens inundatio eam exhaurit, unde ait *vacuis*, sc. infrequentibus.

Nunc, quo quamque modo possis cognoscere, dicam.
Rara sit, an supra morem si densa, requiras:
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho;
Densa magis Cereri, rarissima quaeque Lyaeo:
Ante locum capies oculis, alteque jubebis
In solido puteum demitti, omnemque repones
Rursus humum, et pedibus summas aequabis arenas.
Si deerunt, rarum, pecorique et vitibus almis
Aptius uber erit; sin in sua posse negabunt
Ire loca, et scrobibus superabit terra repletis:
Spissus ager; glebas cunctantes crassaque terga
Exspecta, et validis terram proscinde juvencis.
Salsa autem tellus, et quae perhibetur amara,
Frugibus infelix, (ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat)
Tale dabit specimen: Tu spisso vimine qualos,
Colaque prelorum fumosis deripe tectis;
Huc ager ille malus, dulcesque a fontibus undae
Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis
Scilicet, et grandes ibunt per vimina guttae;
At sapor indicium faciet manifestus, et ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaror.
Pinguis item quae sit tellus, hoc denique pacto

---

226) Moret. Fr. *Tunc, quo.* Rom. *quo cumque posses.* — Ed. Ven. *quo quaeque.* 227) Al. *aut supra — sit densa requires.* 229) Lycaeus, Bacchi nomen, quod curis liberet. 230) Noret. II. *altumque.* Al. *videbis.* Locum soli solidi eliges. 231) Moret. Fr. *In solidum.* Al. *dimitti — reponas.* Demitti, fodi. 232) Pier. *summis* 233) Franc. *rarum est.* Parrhas. *Si deerunt terrae*; sed utrumque male. Mead. *Si deserint.* Vites almae, quia praebent, quo alas te. V. i. *almos*, sed male. 234) Al. *si in, sis in, sed si in, si que in.* 235) Moret. fr. *superarit.* V. i. *superavit.* 236) Moret. IV. *versaque terga*, sed male. 237) Servius: *Et specta.* Pier. *Exerce et validis.* 238) Quam vulgo amaram appellant. 239) Infelix, infecunda. 240) Schrader: *Nec Baccho decus* 241) Mead. *tum spisso.* — Leid. *squalos.* Ed. Ven. *spissos vim. qualos.* Specimen s. probatio, documentum. 242) Al. *diripe*, sume. Praelum sunt trabes, quae uvas torculari impositas premunt. 243) Heinsius: *Huic.* Ager, i. e. particula terrae ex eo agro. Huc pro Hic. 244) Al. *aquae luctabitur amnis*, per vim et quasi cum lucta exibit. 245) Moret. II. *de vimine.* 246) Al. *Et* vel *Sat sap.* Reisk. *At sapor indicium faciet; manifestus et ora Tristia etc* 247) Al. *sensum tor. amaror.* B. 3. *amaro.* V. i. *temptantum — amaros.* 248) Al. *tellus quae sit.*

Discimus: haud unquam manibus jactata fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
Humida majores herbas alit, ipsaque justo
Laetior. Ah nimium ne sit mihi fertilis illa,
Neu se praevalidam primis ostendat aristis!
Quae gravis est, ipso tacitam se pondere prodit,
Quaeque levis. Promtum est oculis praediscere nigram,
Et quis cui color. At sceleratum exquirere frigus
Difficile est: piceae tantum, taxique nocentes
Interdum, aut ederae pandunt vestigia nigrae.

His animadversis, terram multo ante memento
Excoquere, et magnos scrobibus concidere montes,
Ante supinatas Aquiloni ostendere glebas,
Quam laetum infodias vitis genus. Optuma putri
Arva solo: id venti curant, gelidaeque pruinae,
Et labefacta movens robustus jugera fossor.
At, si quos haud ulla viros vigilantia fugit,
Ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus seges, et quo mox digesta feratur;

---

249) Al. *aut umquam manibus tractata.* 250) Al. *morem digitos* sine *ad.* Habendo, dum habetur. 251) Zulich. *alit herbas.* 252) Al. *ha, nimium ne sit tibi f. una* vel *ulla.* Heins. uvae. C. 3. *tibi — ulla.* V. i *A* pro Ah. 253) C. 3. Rom. et Par. *Nec se.* Pier. *Ne.* Arundel. *Heu.* Zulich. *praecipitem.* Ven. *ostendit.* Ed. Ald. *ostentet.* Primis aristis pro herbis surgentibus, ait Servius. 254) Rom. Med. *prodet.* Paris. et Cerda: *promit.* C. 3. *ipse.* Tacitam pro tacite vel tacita. 255) C. 3. *praedicere.* Zulich. *cognoscere.* 256) Ed. Ald. *Et quisquis color. At.* Ed. Ven. *Seu quisquis.* Rom. *Et quis cui cive color.* Pier. *Et quis cuique color.* Sceleratum pro noxio. 257) Moret. II. *tantum piceae.* Frigida terra ad cognoscendum difficilis est. C. 2. *pisceae.* 258) Rom. Med. *haut — pangunt.* Pandunt vestigia, vel pro ibi crescunt, vel indicia praebent frigoris. 259) Ven. *His etiam adversis.* 260) Rom. *circumdare montes.* Pier. *Exc., magnis scrob.* sine *et.* Excoquere, macerare. V. i. *conscindere.* 261) Moret. II. *extendere*, sed male. Aquiloni, vento septentrionali, pro hieme. Glebae supinatae sunt terra ligonibus inversa. 262) Al. *lentum.* 263) Al. *carent, gelidaeve.* Ager *putris* s. resolutus fit ventis, pruina et opere. 264) C. 2. *robustis.* 265) Rom. Med. *Ac si.* Al. *aut ulla — surgit* C. 2. *Aut, si.* 266) Leid. *exquirant.* 267) Al. *degesta, egesta ferantur.* C. 2. *dejecta.* Arbores pro vitibus. Seges de arbusculis, quae seruntur in seminario.

Mutatam ignorent subito ne semina matrem.
Quin etiam coeli regionem in cortice signant:
Ut, quo quaeque modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, quae terga obverterit axi,
Restituant. Adeo in teneris consuescere multum est.
Collibus an plano melius sit ponere vitem,
Quaere prius. Si pinguis agros metabere campi:
Densa sere; in denso non segnior ubere Bacchus.
Sin tumulis acclive solum, collesque supinos:
Indulge ordinibus; nec secius omnis in unguem
Arboribus positis secto via limite quadret.
Ut saepe ingenti bello quum longa cohortes
Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto,
Directaeque acies, ac late fluctuat omnis
Aere renidenti tellus, necdum horrida miscent
Proelia, sed dubius mediis Mars errat in armis:
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum;
Non animum modo uti pascat prospectus inanem:
Sed quia non aliter vires dabit omnibus aequas
Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami.
    Forsitan et scrobibus quae sint fastigia quaeras.

---

268) C 3, 6. *Mutata.* Moret. *ignorant.* Al. *subito ignorent neu* vel *nec.* Mutatam subito matrem, novam. ignotam terram. Semina hic non sunt grana, sed surculi. 269) Al. *signat.* 270) Al. *Et — steterint — colores.* 271) Al. *tulerint, cui terra obverteret* vel *uverterit axi*, polo septemtrionali. 272) Heins. *a teneris.* Moret. Fr. *mansuescere.* Al. *assuescere multum.* 273 Zulich. *aut plano.* Ed. Ven. *si quaerere vites*, ut C. 3. 274) Gud. *agris met. campos.* Moret. I. *mercabere.* Metari agros, sc. vineam instituere. 275) Goth. I. *Bacchum.* In solo denso s. pingui vini non minus laetus proventus 276) Rom. Med. *adclive* Mor. IV. *proclive.* Nonius: *supini.* C. 2. *adclivos.* 277) Al *setius* s. peius; al. *serius*, *sequius* pro *non secus ac.* C. 2. *segnius.* In unguem s perfecta ratione. 278) Al. *saepto, facto.* In Italia vites arboribus maritantur 279) Arundel. *ing. in bello.* 280) Al. *Explicit et regio.* 281) Rom. Med. *Deiectae.* Al. *at* vel *et lato fulgurat*, sed splendor aeris tremulus huc et illuc in terra circumvolat. 282) C. 2, 6. *renitenti*; al. *nitenti — nedum — misit* vel *miscet.* 283) Al. *mediis dubius.* C. 3. *errat*, cum incertum adhuc est, ab utra parte et quando pugna initium habitura sit. 284) V. i *demensa.* Jubet ordines vitium serere pares. 285) Burmann. *ut*, *poscat*, *profectus* Heins. *inani.* Fogginius: *inane.* 286) Terra suppeditabit alimenta, succum. 287) Rom. *nec in*, sine *se.* In vacuum s. in aerem. 288) *Fastigium* pro profunditate e re rustica petitum. V. i. *sunt.*

Ausim vel tenui vitem committere sulco.
Altior ac penitus terrae defigitur arbos,
Aesculus in primis: quae, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt; immota manet, multosque nepotes,
Multa virûm volvens durando saecula vincit.
Tum fortes late ramos et brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.

Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem;
Neve inter vites corulum sere; neve flagella
Summa pete, aut summa destringe ex arbore plantas:
Tantus amor terrae; neu ferro laede retuso
Semina; neve oleae silvestres insere truncos.
Nam saepe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui, furtim pingui primum sub cortice tectus,
Robora comprendit, frondesque elapsus in altas
Ingentem coelo sonitum dedit; inde sequutus
Per ramos victor, perque alta cacumina, regnat,
Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram
Ad coelum picea crassus caligine nubem;
Praesertim si tempestas a vertice silvis

---

289) Ed. Ven. *vel Remi.* Mead. *ter tenui.* 290) Al. *Altius — defiditur*, *defingitur arbor.* C. 2, 6. *Altius.* 291) Aesculus, arbor glandifera, e quercuum genere. 292) Al. *radicem ad Tartara.* C. 3. *Aethereas.* 293) Arundel. *nec fl.* C. 2, 6. *nec imbr.* 294) Parrhas. *convellent.* C. 2, 3, 6. *multosque per annos.* 296) V. i. Gud. et Leid. *br. pandens.* 297) Arundel. *ipsam*, 298) Ed. Ven. *vertant.* 299) Paris. *corylos.* Flagella sunt vitium minorum sarmentorum capita, in quibus uva nascitur. C. 2, 6. *corilum.* 300) Heins. *Summa puta.* Ed. Ven. *haud summa defringe*, ut C. 3, 6. Gud. *plates.* C. 2. *aut summas.* 301) Moret. Fr. *Non.* Bodlei. *Ne.* C. 2. et Pier. *retunso.* Rom. *laederet uno.* Moret. et Goth. II *laedere tuso.* Paris. *Neu ferro laede vetusto.* Mead. *lege recuso.* 302) Medic. *olea*, sed male. Semina, surculi, sarmenta, quae modo plantae. Nec intersere oleastros inter vites V. i *silvestris.* 303) Heins. *Jam saepe.* Ven. *incidit.* 304) Medic. *fortem.* Zulich. *tectus sub cortice primum* 305) Ed. Ven. *illapsus.* Robora s. truncum oleae. 306) Coelo, ad coelum. V. i. *secutus.* 307) Nonius Marc. *atque alta.* 308) Ruit, agit, emittit, eiectat. Nemus pro vineto. 310) A vertice, s. coeli, s. arborum, s. septemtrionalis poli.

Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.
Hoc ubi, non a stirpe valent, caesaeque reverti
Possunt, atque ima similes revirescere terra;
Infelix superat foliis oleaster amaris.

Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor,
Tellurem Borea rigidam spirante moveri.
Rura gelu tum claudit hiems; nec semine jacto
Concretam patitur radicem affigere terrae.
Optima vinetis satio, quum vere rubenti
Candida venit avis, longis invisa colubris;
Prima vel auctumni sub frigora, quum rapidus Sol
Nondum hiemem contingit equis, jam praeterit aestas.
Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis;
Vere tument terrae et genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether
Conjugis in gremium laetae descendit, et omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus;
Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus; superat tener omnibus humor;

---

311) Moret. II. *furens.* Mor. Fr. *frequens.* C. 2. *Incumbit.* 312) Mor. Fr. *Haec.* Al. *Hoc ubi non*: *Hoc*, *ubi*: *non — valent*, aegrotant et corruptae sunt radicitus. Caesae, praecisae. 313) Medic. *terras.* C. 2 *ima valent rev.* 314) Mor. I. *foliis superat*, superest incendii calamitati, revirescit. 316) C. 2, 6. *movere*, sc. aratro, rastris, ligone, sarculo. 317) Al. *dum*, *tunc.* Reisk. *nec semina iacta.* Semine iacto, s. surculis positis. 318) Medic. *Concretum*; ita ut cum terra concrescat, dum affigitur. 319) Goth. I. *viventis satio est.* Rubenti s. purpureo. 321) Gud. *rapidos.* Heins. *rapidis.* 322) Hiemem, signa hiemalia. 323) Parrhas. *frondi est.* Burmann. *sulcis.* 324) Servius: *Vere tument* (sc. silvae): *terrae et g. s. p* Zulich. *genialia.* Medic. *pascunt.* Semina poscunt, s. sationis tempus adest; genitalia, i. e. quibus procreantur fruges. 325) Rom. *Tunc.* Al. *Tum Pater*, *omniparens f. imbr.*, *Aether*, qui cum terra coniuge memoratur 326) Al. *late*, *latae*, sed male. C. 2. *omnis.* 327) Al. *permixtus.* Magnum corpus sc. terrae. C. 2. *faetus* 328) Al. *Laevia tunc* vel *cum.* C. 2. *tunc.* 329) Moret. Fr. *repetent.* 330) Arundel. *Part. alma Venus*, sed male. Menag. II. *omnis ager.* Al. *strepentibus*, *trementibus.* 331) C. 2. et Erford. *Lax. a. simul.* Superat, s. abundat humor, cum respectu ad lac matris,

Inque novos soles audent se germina tuto
Credere; nec metuit surgentes pampinus austros,
Aut actum coelo magnis aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, et frondes explicat omnes.
Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat; ver magnus agebat
Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri:
Quum primae lucem pecudes hausere, virumque
Terrea progenies duris caput extulit arvis,
Immissaeque ferae silvis, et sidera coelo.
Nec res hunc tenerae possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusque caloremque
Inter, et exciperet coeli indulgentia terras.
Quod superest, quaecunque premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui, et multa memor occule terra;
Aut lapidem bibulum, aut squalentes infode conchas:
Inter enim labentur aquae, tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent sata; jamque reperti,
Qui saxo super, atque ingentis pondere testae,
Urguerent: hoc effusos munimen ad imbres;
Hoc, ubi hiulca siti findit canis aestifer arva.
Seminibus positis, superest diducere terram

---

332) Vulgo: *gramina.* Al. *gramine toto.* 333) Ven. *timuit.* V. i. *surgentis.* Credunt se, dum in novum solem prodeunt. 334) Magnis Aquilonibus, s. ventis vehementibus, procellosis. 335) Ven. *tendit.* 337) Tenorem pro tempestate. 340) Vulgo: *Cum primum.* Al. *Tum pr.* 341) V. i. *Ferrea progenies.* Et cum homines primi e terra nati sunt. 343) Medic. *sufferre.* Rottend. II. *proferre.* Res tenerae sunt nova sata, frondes, gemmae. Laborem, sc. ex frigore ac calore, tanquam molestiam. 344) Ven. *Cum iam tanta.* Al. *calorem* sine *que.* Philargyrius primam lectionem fuisse ait: *calorque.* Iret s. esset. 345) Rom. *exciperent*, succederent sibi clementia. 346) Virgulta s. propagines, malleolos, surculos, sarmenta. Premere, s. infodere per vineas. 348) V. i. *squalentis.* 350) Ed. Ven. *atque homines – Namque.* Menag. II. *tollunt sata*, vigorem, sc. vites laetissime efflorescent. 351) Al. *saxa — ingenti p. testa.* V. i. *terrae.* 352) V. i. *Urgerent.* Sangerman. *Urguentur*: *et fusos.* Ven. *hic effusos*, al. *effossos.* Mead. *munimine* 353) Al. *Atque* vel *Aut ubi.* Ed. Mediol. *scindit.* 354) Ed. Mediol. *superem.* Pier. *educere.* V. i. *deducere*, sc. fodiendo. Seminibus positis, pro surculis defixis.

Saepius ad capita, et duros jactare bidentes;
Aut presso exercere solum sub vomere, et ipsa
Flectere luctantes inter vineta juvencos.
Tum leves calamos, et rasae hastilia virgae,
Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornes:
Viribus eniti quarum, et contemnere ventos
Adsuescant, summasque sequi tabulata per ulmos.

Ac, dum prima novis adolescit frondibus aetas,
Parcendum teneris; et dum se laetus ad auras
Palmes agit, laxis per purum immissus habenis,
Ipsa acie nondum falcis tontanda, sed uncis
Carpendae manibus frondes, interque legendae.
Inde ubi jam validis amplexae stirpibus ulmos
Exierint, tum stringe comas, tum brachia tonde.
Ante reformidant ferrum: tum denique dura
Exerce imperia, et ramos compesce fluentes.

Texendae sepes etiam, et pecus omne tenendum,
Praecipue dum frons tenera imprudensque laborum;
Cui, super indignas hiemes solemque potentem,
Silvestres uri assidue capreaeque sequaces

---

355) Jactare bidentes, fossionem exprimit adacto ligone. 356) Goth. I. *cum vomere.* In Italia vites ulmis aliisque arboribus fulciuntur. 357) Inter vineta, ut aretur inter vitium ordines, ut inversa aratro terra glebae utrimque versus vites insurgant. V. i. *luctantis.* 358) Ven. *cumulos.* 359) Al. *aptare trabes furcasque valentes.* V. i. *valentis.* 361) Rottend. III. *Adsuescunt.* Goth. I. *Adsuescat.* Tabulata sunt rami effusiores, et in plana tendentes. 362) Parrhas. *Et dum.* Leid. I. *Ac cum.* V. i. et Goth. I. *At dum — adolescet.* 363) Al. *Parcendum est t.*; *dum sese l* 364) Al. *laxus.* Parrhas. *lapsis.* Per purum sc, aerem. V. i. *Palmaes.* 365) Al. *At acie falcis nondum — sub undis.* Ipsa sc. prima aetas, cui tribuitur tanquam actio id, quod in ea fit. 367) Al. *viribus.* 368) Rom. *tunc.* Goth. I. *tende.* Exierint, exercuerint, in altum se sustulerint. 369) Al. *reformident.* Dura s. severa imperia. 370) Rom. *r. comp. valentes.* Ramos diffluentes, luxuriantes. V. i. *fluentis.* 371) Al. *tenendum est* vel *et*, sc. coercendum, continendum. Rom. *tuendum.* Arundel. *et iam pecus omne timendum.* 372) Al. *Praeterea cum frons* Frondes ignarae et impatientes iniuriae ex dente pecudis. 373) Schrader: *Edonas hiemes.* Super indignas, seu plus quam quis merito patitur. 374) Cerda: *tauri* vel *ursi.* Hercyniae silvae solitudines illo tempore uros incoluisse, e Caesare constat. Sed hic uri pro bubalis sumendi sunt.

Illudunt, pascuntur oves avidaeque juvencae.
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas,
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur; et veteres ineunt proscenia ludi,
Praemiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidae posuere; atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos saluere per utres.
Nec non Ausonii, Troja gens missa, coloni
Versibus incomtis ludunt risuque soluto;
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis;
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fetu;
Complentur vallesque cavae saltusque profundi,
Et quocunque deus circum caput egit honestum.
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque et liba feremus;
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
Pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis.

---

375) Ed. Ald. *Illidunt.* Gud. *aves.* All. *Illudant* et *pascantur.* Illudunt, quia capris tribuitur petulantia. Pascuntur oves, dum frondes carpunt 377) Goth. II. *herbis arentibus.* Franc. et Cantabr. *ardentibus.* Parrhas. *aestus.* 378) Venenum pro saliva noxia. 379) Al. *admorsu*, *amorso*, *amorsu*, *a morsu.* 380) Arundel. *ob caussam.* Parrhas. *Bacchi*, 381) Proscenium hic pro scena ipsa positum. 382) V. i. *ingentis — competa.* 383) Thesidae, Athenienses, a Theseo rege. 384) Al. *saliere.* Utrium fuit usus, quia in eosdem et vina e lacubus transfundere, et uvas ad torcular deportare mos erat. 385) Leid. *a Troia.* Paris. *et Troia.* Troiani sc. missi sunt ad incolendam Ausoniam s. Italiam. 386) Moret. II. *rituque.* 387) Cerda: *canunt.* 389) Larvas mobiles ex arboribus suspendebant. 390) Menag. I. *rubescit.* 391) Moret. II. *Complenturque cavae valles saltusque.* Si vitibus consita loca hic expressa sunt, improprie dicuntur de vineis, in plano et in collibus sitis. 392) Al. *Et quodcunque decus.* Gud. *Et quocunque deos.* Caput pulcrum, formosum, 393) Pier. *suos — honores.* 394) Franc. *laticesque et.* Zulich. *ferentes.* Carminibus patriis, qualia in Bacchi honorem cani solita fuere. 395) Gud. *Et ductis.* Leid. III. *Eductus stabit cornu.* Servius: *Si ductus.* Al. *ad aras.* 396) Pier. *torquebimus.*

Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui nunquam exhausti satis est: namque omne quotannis
Terque quaterque solum scindendum, glebaque versis
Aeternum frangenda bidentibus; omne levandum
Fronde nemus. Redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Ac jam olim, seras posuit quum vinea frondes,
Frigidus et silvis Aquilo decussit honorem;
Jam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus, et curvo Saturni dente relictam
Persequitur vitem attondens fingitque putando.
Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta, et vallos primus sub tecta referto;
Postremus metito; bis vitibus ingruit umbra;
Bis segetem densis obducunt sentibus herbae.
Durus uterque labor. Laudato ingentia rura.
Exiguum colito. Nec non etiam aspera rusci
Vimina per silvam, et ripis fluvialis arundo
Caeditur, incultique exercet cura salicti.
Jam vinctae vites; jam falcem arbusta reponunt;
Jam canit extremos effetus vinitor antes:

---

397) Franc. *curandus.* Ven. *alte.* 398) Exhausti s. exhaustionis. 399) Versis bidentibus, sc. ligonibus duos dentes habentibus, qui vertuntur ad glebas frangendas. 401) Paris. *laboratus.* Actus in orbem est perpetuus. 432) Al. *annis*, h. e. per annos singulos labor volvitur. 403) Al. *Et* vel *At iam.* Cum vites frondes amittunt, quae ad seriorem auctumnum duraverunt. 404) Parrhas. *e silvis.* Aquilo s. ventus septentrionalis decussit frondes arborum. 405) Medic. *extendet.* 406) Rom. *Agricola, et curvo.* Rusticus acer est vinitor diligens, labori non parcens. Dens Saturni est falx amputatoria. 407) Zulich. *Prosequitur.* Franc. *tondens.* Menag. *fugitque.* Vitem relictam, s. frondibus nudatam. 408) Ed. Ven. *deiecta*, al. *desecta.* 409) Ed. Ven. *Sarm. vallos* sine *et.* Al. *primum — reporto.* Vallos sc. pedamenta, ne imbribus putrescant. 410) Rottend. II. *Postremos.* Zulich. *umbrae.* Metere s. vindemiare. 411) Leid. *obducant.* 413) Al. *rusti, frusi, frusci.* Ruscus est virgulti genus. 414) Moret IV. *per silvas.* Al. sine *et.* 415) Menag. *Creditur.* Virgae ex salicibus sponte provenientibus parandae sunt. 416) Al. *Jam victae* vel *iunctae.* Goth. II. *falcemque.* Vites iam satis putatae sunt. 417) Rom. *Jam canit effectos extr.* Al. *effoetos, effoetus extremos.* Gaudet se ad extr. ordines vitium pervenisse. V. i. *effectus extremos.*

Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus.
Et jam maturis metuendus Jupiter uvis.

Contra non ulla est oleis cultura; neque illae
Procurvam exspectant falcem rastrosque tenaces,
Quum semel haeserunt arvis aurasque tulerunt:
Ipsa satis tellus, quum dente recluditur unco,
Sufficit humorem et gravidas, quum vomere, fruges.
Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam.

Poma quoque, ut primum truncos sensere valentes
Et vires habuere suas, ad sidera raptim
Vi propria nituntur, opisque haud indiga nostrae.
Nec minus interea fetu nemus omne gravescit,
Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis.
Tondentur cytisi, taedas silva alta ministrat,
Pascunturque ignes nocturni et lumina fundunt.
Et dubitant homines serere atque impendere curam?
Quid majora sequar? salices humilesque genestae,
Aut illae pecori frondem, aut pastoribus umbras
Sufficiunt, sepemque satis, et pabula melli.
Et juvat undantem buxo spectare Cytorum,
Naryciaeque picis lucos; juvat arva videre

---

418) Vinea denuo fodienda est, quae fossio pulveratio dicitur. 419) Jupiter pro aere, qui grandine et pluviis intempestivis infestus. 420) Leid. et Bodlei: *non nulla*. Oleae nulla fere cultura indigent. 423) Dens uncus ligonis et bidentis est. 424) Reisk. et Schrader: *cum foenore*, sed uberem olivarum proventum. 425) Burmann: *placidam*, ut V. i. — Hoc, propter hoc — nutritor pro nutri. 426) Ven. *Pomaque iam*. Medic. *calentes*. Sensere pro habuere. V. i. *valentis*. Poma pro arboribus pomiferis. 429) Mentel. Leid. *gravescit*. Goth. I. et Rottend. *virescit* Interea, dum vitibus tam gravis labor impenditur. 430) Gud. *alvearia*. Aviaria sunt secreta nemorum, quae aves frequentant. 431) Cytisus tondetur saginando pecori. Taeda est arbor e picearum genere. 432) Goth. *Pasc.* sine *que*. Pier. *ac lum*. Gud. *fundi*. 433) Hic versus abest a plur. Cod. — Goth. I. *curas*. Rottend. III. *cura*. 434) Erford. *sequor*. 435) Al. *Et tiliae pecori — umbram*. Pecori s. capellis. 436) Sata sunt non modo agri arati, sed etiam oliveta, arboreta, vineae *Pabula melli*, sc. apibus, quae mel conficiunt. 437) Heins *Ut iuvat — spectare! Cytoron*. Al. *Cytheron*, *Citheron*, *Citherum*, qui est Paphlagoniae mons, buxo nobilis. 438) Ed. H. Stephani: *Mariciae*. Narycium est urbs Locrorum Epicnemidiorum, Ajacis alterius patria, unde in Italiam deducta colonia Locros condidit in Bruttis.

Non rastris, hominum non ulli obnoxia curae.
Ipsae Caucasio steriles in vertice silvae,
Quas animosi Euri assidue franguntque feruntque,
Dant alios aliae fetus; dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedrumque cupressumque.
Hinc radios trivere rotis, hic tympana plaustris
Agricolae, et pandas ratibus posuere carinas.
Viminibus salices fecundae, frondibus ulmi;
At myrtus validis hastilibus, et bona bello
Cornus; Ituraeos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliae leves aut torno rasile buxum
Non formam accipiunt, ferroque cavantur acuto.
Nec non et torrentem undam levis innatat alnus,
Missa Pado; nec non et apes examina condunt
Corticibusque cavis vitiosaeque ilicis alveo.
Quid memorandum aeque Baccheïa dona tulerunt?
Bacchus et ad culpam caussas dedit; ille furentes
Centauros leto domuit, Rhoetumque Pholumque
Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas! quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum justissima tellus.

---

439) Leid. *Non ratris.* Gud. et Rottend. II. *non nulli.* Al. ex Prisciano: *non ullis hominum.* 440) Al. *Caucaseo*, sc. monte quocunque alto. Steriles s. sine fructu. 441) Burmann: *Quos — assiduae — teruntque.* 442) Gud. *foetos.* 443) Gud. *pinus.* Vulgo: *cedrosque.* Parrhas. *cupressus.* V. i. *pinus — cupressosque.* 444) Moret. I. *Hic — hic.* *Hinc* ad silvestres arbores refertur. *Trivere.* tornando conficere solent. Tympana sunt rotae ex solidis tabulis compactae. 445) Posuere, faciunt. Ratis metaphorice sumitur pro navi perfecta, cuius trabs ima est carina. 446) Al. *Vim. sal., fec. frond. ulmi.* Zulich. et Medic. *vitibus ulmi.* Al. *frontibus, frundibus.* 447) Medic. *Ad bona bella.* Mead: *at bona bello.* Schrader: *bona telo.* 448) Al. *Itireos, Tyraeos, Ithyrios, Ithyreos, Ithireos, Itureos.* Pier. *curvantur*, ex interpretatione. V. i. *Ityreos*, qui sunt vel e Parthia, vel e Syria. 451) Medic. *torquentem.* Reisk. et V. i. *Nec non et torrente unda levis adnatat alnus*, qui navigiis utilis est. 452) Medic. *exagmine.* Padus, Graecis dictus Eridanus, Italiae fluvius prope Patavium celeberrimus. 453) Med. *alvo.* Cavis intra corticem. 455) Parrhas. *culpas* 456) Al. *Rhoecumque.* Centauri et Lapithae vicini sunt populi Thessaliae. 457) Al. *Hyleum. Hileum, Ileum, Yleum, Leum.* Menag. I. *minacem.* 458) Franc. *bona si sua.* Moret. I. *norunt* Nimium pro valde. 460) Humo, sc. ex solo, culta sua superficie.

Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit aedibus undam;
Nec varios inhiant pulchra testudine postes,
Illusasque auro vestes, Ephyreïaque aera;
Alba neque Assyrio fucatur lana veneno,
Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi:
At secura quies, et nescia fallere vita,
Dives opum variarum; at latis otia fundis,
Speluncae, vivique lacus; at frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni
Non absunt; illic saltus ac lustra ferarum;
Et patiens operum exiguoque adsueta juventus;
Sacra deûm, sanctique patres: extrema per illos
Justitia excedens terris vestigia fecit.

Me vero primum dulces ante omnia Musae,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant; coelique vias et sidera monstrent,
Defectus solis varios, lunaeque labores;
Unde tremor terris; qua vi maria alta tumescant
Objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant;
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles

---

461) Si fastus et luxus potentium abest. 462) Pier. *vomat.* Paris. *notis.* *Undam* exprimit multitudo populi exeuntis. 463) Inhiant, habere cupiunt. 464) Medic. *Inclusasque.* Al. *Ephyraea*, *Ephyrea.* Corinthus Ephyra dicta est ab Ephyra Nympha. 465) V. i. *nec — fuscatur.* Fucus de adoptato colore quocunque, venenum de quovis suco, et Assyrium pro Syrio et Phoenicio hic sumitur. 466) Goth. II. *liquida.* Leid. *liquidae — olivae.* Casia pro frutice — corrumpi pro misceri. 467) Longob. *Ac.* Goth. II. *Sed.* Rom. *vitam.* 468) Heins. *laetis.* Gud. *lectis.* 469) Burmann. *ac fr*, al. *et.* Vivi lacus pro aqua perenni — frig. Tempe pro umbrosis vallibus. 471) Al. *Non absint*; *illi*, vel *illis*, vel *illinc saltus nec*, vel *et.* 472) V. i. *At — parvoque.* Operum, sc. operis rustici. 473) Illic sancta d. sunt et habentur, venerabilesque patres. 474) Cantabr. *vestigia figit*, cum sc. multo ante aulas et palatia beatorum reliquisset. 475) Al. *Musas.* Musae accipiunt eum, qui se eis consecrat; sunt praesides non solius carminis, sed literarum omnium 476) Veteres: *perculsus*, ut V. i. — Poetae Musarum sacerdotes dicuntur. 477) Monstrent siderum cursum in coelo. 478) Al. *laboris.* 479) Al. *tumescunt*, sc. caussae accessus et recessus maris aestuantis. 480) Al. *Obicibus — residunt.* Objices sunt litora inprimis in aestuariis. 481) Al. *properant intingere.* Soles h. pro diebus hiemalibus.

Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Sin, has ne possim naturae accedere partes,
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis:
Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes;
Flumina amem silvasque inglorius. O, ubi campi,
Spercheosque, et virginibus bacchata Lacaenis
Taygeta; o, qui me gelidis in vallibus Haemi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!
Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas,
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus strepitumque Acherontis avari!
Fortunatus et ille, deos qui novit agrestes,
Panaque, Silvanumque senem, Nymphasque sorores!
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, et infidos agitans discordia fratres;
Aut conjurato descendens Dacus ab Istro;
Non res Romanae, perituraque regna; neque ille,
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit; nec ferrea jura,
Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.

---

483) Al. *non possum.* 484) Stupor animi a frigore sanguinis ducitur. 485) Pier. *rigidi* 486) Burmann. *O ubi Tempe.* 487) Al. *Sperchiosque*, *Sperchiusque*, *Sperchios et.* Bacchata, quae bacchando frequentantur. 488) Medic. et Mead. *gelidis convallibus.* Heins. *gelidi.* Taygeta s. Taygetus, mons Laconiae, Libero sacer. Haemus est mons Thraciae silvis abundans. V. i. *Thageta.* 491) Pier. *ineluctabile fatum.* Philosophiae Lucretianae capita praecipua hic enumerantur. 492) Al. *Strepitusque Acherontis averni.* Metus ex superstitionibus falsisque opinionibus natos, praecipue de fato et de inferis. 493) Fortunatus et ille, qui silvas, valles, fontes et antra frequentat. 494) Ed. Ven. *Silvarumque senem.* Silvanus *senex* dici videtur propter antiquissimum ejus cultum in Italia. 495) Fasces erant apud Romanos insignia magistratuum, qui populi suffragiis eligebantur. 496) Moret. II. *invidia fratres.* 497) Al. *Et coni. — discedens.* Populi ad Istrum coniurati, qui arma cum iis sociabant. 498) Reisk. *Non res Comanae*, i. e. Armeniae vel Parthicae. *Res Romanae* intelligendae sunt vicissitudines et fortuna imperii Romani. Regnorum ruinas nil curat. 499) Zulich. *miserans aut non invidit h.* 500) Ven. *valentia.* 501) Al. *carpit — rura.* Jura, quae nec gratia nec metu ullius flectuntur, nec miseratione. 502) Rom. *Insanumve.* Vratisl. *trudit.* Forum insano clamore, litibus, perstrepens. Nullum nec vectigal, nec portorium, nec pascua a populo tanquam publicanus conduxit, quarum redemtionum publica instrumenta in tabulario servabantur.

Sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas et limina regum.
Hic petit excidiis urbem miserosque Penates,
Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro.
Condit opes alius, defossoque incubat auro.
Hic stupet attonitus Rostris; hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatus enim, plebisque patrumque,)
Corripuit. Gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exsilioque domos et dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quaerunt sub sole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hic anni labor; hinc patriam parvosque nepotes
Sustinet; hinc armentà boum, meritosque juvencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,
Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.
Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapetis;
Glande sues laeti redeunt; dant arbuta silvae;
Et varios ponit fetus auctumnus; et alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.

---

503) Leid. *freta rauca*. *Freta caeca* Servio sunt subito in tempestatem surgentia, nobis vero ignota, inexplorata esse videntur. 504) Menag. *penetrantque*. 505) Parrhas. *patriosque Penates*. Hic, militiae adscriptus, exscindere parat Romam patriamque suam. 506) Heins. *indormiat*. Al. *Serano*, *Sarano*, *Serrano* Ostrum Sarranum, Tyrium, Murex Sarranus, ab antiquo urbis nomine *Sarra* seu *Tsor*. 507) Militia omnino illo tempore inter modos opum ac divitiarum quaerendarum expeditiores, sc. e praeda et agris assignandis. 508) Medic. *hic plausus*. Hiantem prae admiratione ac stupore percussit. Rostra erant suggestus Rom. 509) Al. *geminatur*, *geminantur*, sc. plausus plebis et senatorum in spectaculis. Cunei sunt sedilia theatrorum. 510) Markland. *Corripit*: *hi gaudent*. Burmann. *Corrupit*. Ed. Nor. *sang. patrum*. 511) Al. *domus — lumina* Veteranis promissi per bella civilia agri assignabantur. 512) Sol pro coelo. 513) Medic. *terram molitus aratro*. Leid. et Rottend. *demovit*. 514) Med. *parv. penates*. Labor anni, annuum rustici opus. 515) Sustinet, alit et educat. 516) Menag. *et pomis exuberat*. V. i. *cum aut*. 517) Men. II. *et Cerealis*. 578) Goth. I. *Proventumque*, melius *Proventusque*. Schrader: *oneret cellas*. Medic. et Zulich. *aut horr*. V. i. *honoret*. 519) Sycion, urbs Achaiae proprie dictae, non longe ab Isthmo Peloponnesiaco, ferax oleis. Trapetum est mola olearia. 520) Rufinian. *redeunt laeti*. Arbuta sunt fructus arboris. 521) Erford. *ponit fructus*, sc. dum poma matura decidunt. 522) Maturescit solis ardore.

Interea dulces pendent circum oscula nati;
Casta pudicitiam servat domus; ubera vaccae
Lactea demittunt; pinguesque in gramine laeto
Inter se adversis luctantur cornibus haedi.
Ipse dies agitat festos; fususque per herbam,
Ignis ubi in medio, et socii cratera coronant,
Te, libans, Lenaee, vocat; pecorisque magistris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo;
Corporaque agresti nudant praedura palaestra.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini;
Hanc Remus et frater; sic fortis Etruria crevit;
Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.
Ante etiam sceptrum Dictaei regis, et ante
Impia quam caesis gens est epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.
    Sed nos immensum spatiis confecimus aequor;
Et jam tempus equûm fumantia solvere colla.

---

523) Al. *pendent dulces* circum ora: sunt enim ad osculandum porrecta. 525) V. i. *dimittunt*; *pinguis in* sine *que*. 528) Medic. *ubi ingenio*, sed potius: *Ignis ubi*, *Genio et socii*, h. e. in honorem Genii. Crater, unde libatio fit, corollis ornatur. 529) Al. *Leneaeque*. V. i. *libens*. 531) Al. *nudat perdura palaestrae*. 532) Al. *vitam veteres voluere Sabini*, Romae vicini, Apennini iugis circumvallati. 533) Etrusci ad magnas opes agricultura pervenerunt. 535) Al. *Septem quae una*. Arces s. montes, rupes, s. loca munita. 536) Ante Jovem. 537) Hominum genus, quod naturae legem violat, bovem mactando. 539) Classica inflari, cani inflato cornu, tuba, buccina. 540) Medic. *Impositis duros*. 541) Campus immensorum spatiorum. 542) Al. *spumantia*. Dum iugum demitur, colla equorum solvuntur.

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICON

LIBER TERTIUS.

Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus
Pastor ab Amphryso; vos, silvae amnesque Lycaei.
Cetera, quae vacuas tenuissent carmine mentes,
Omnia jam vulgata. Quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos?

LIBER TERTIUS.

V. i. Teque Pales, et pastorum memorande per urbem
Et pecorum cultus et gramina, pascua laeta
Quis habitent armenta locis, stabulentur et agni,
Omnia divino monstravit carmine vates. (Conf. Heyne V. 304.)

1) Pales est dea pabuli et gregum pastorumque, cuius sacra solvuntur II. Cal. Maji, et Palilia vocantur. Amphrysus est notus Phthiotidis in Thessalia fluvius, ad quem Apollo boves pavisse dicitur, cum Admeto, Pheraeorum regi, serviret. 2) Medic. *Amphreso*. Rom. *Amphrysso*. Al. *Amphriso*, *Amphrisio*, qui est fluvius Thessaliae, ubi Apollo greges pavit Admeti regis. Lycaei, sc. montis. 3) Al. *carmina*, al. *mentes* a curis vacantes. 4) Eurystheum, Mycenarum regem, sc. Herculis labores. 5) Goth. I. *illaudari*. Medic. *Bus. arces*. Busiris detestandus, rex Aegypti, quem victimas humanas Jovi sacrificantem Hercules occidit. V. i. *Bosiridis*. 6) Hylas Argonauta, raptus a Nymphis in Mysia, et frustra ab Hercule quaesitus. Delos insula, media Cycladum, ubi Latona peperit Apollinem et Dianam.

Hippodameque, humeroque Pelops insignis eburno,
Acer equis? tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas;
Primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas;
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, et tenera praetexit arundine ripas.
In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit.
Illi victor ego, et Tyrio conspectus in ostro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi, Alpheum linquens lucosque Molorchi,
Cursibus et crudo decernet Graecia caestu.
Ipse, caput tonsae foliis ornatus olivae,
Dona feram; jam nunc solemnes ducere pompas
Ad delubra juvat, caesosque videre juvencos;
Vel scena ut versis discedat frontibus; utque
Purpurea intexti tollant aulaea Britanni.

---

7) Hippodame, Oenomai, regis Pisae urbis in Pelloponneso filia, quam Pelops cursu quadrigarum obtinuit. 8) Ed. Ven. *tum danda via est.* Acer s. strenuus equis ducendis. 10) Ed. Ven. *superstes.* Primus ego inter Mantuanos nomen poetae consequar. 11) Menag. I. *veniens.* Rottend. II. *residens.* Helicone, monte Boeotiae, quae Aonia prius dicta est. 12) Al. *Idimeas*, *Idymeas*, *Hydimeas.* Paris. *Primus et Idumeas.* Idume pro tota Judaea dicitur, quae est palmis frequens. 13) Victoriae monumentum exstruam templum, Caesaris titulo ornandum. 15) Mincius est fluvius Mantuam alluens. 17) Rom. Med. *Illic victor ego*, qui carminis gloriam in patriam retulerim. 18) Ad flumina, s. ad Mincium. Centum, pro magna multitudine. 19) Alpheus fluvius Elidis prope Pisam, ludis Olympicis clarus. Molorchus Cleonaeus, homo de plebe et mercionarius, qui tamen hospitio Herculem excepit, occiso leone ludos Nemeaeos restituentem. 20) Pier. *duro — cestu*, sed melius *e crudo* corio. V. i. *decertet*; al. *decernit.* 21) Jam, quod ad se pertineat, se sacrificia ad templum esse facturum dicit, capite corona oleagina redimito. V. i. *evinctus olivae.* Tonsae, quia decerptae sunt frondes ex arbore. 22) Pompae erant imagines Deorum ferculis impositae, et alia quaelibet ludorum ornamenta. 24) Reisk. *front.*, *atque.* 25) Menag. *intexta — tollent.* Aulaea, vela ingentia, dicta sunt ab aula Attali, regis Pergami ditissimi, qui populum Rom. haeredem reliquit, primusque invenit aurum intexere, ut Babylonii colores. *Intexti*, quia Julii Caes. victoriae in ipsis aulaeis depictae erant, et inter eas fors Britannica.

In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam, victorisque arma Quirini;
Atque hinc undantem bello magnumque fluentem
Nilum, ac navali surgentes aere columnas.
Addam urbes Asiae domitas, pulsumque Niphaten,
Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis,
Et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea,
Bisque triumphatas utroque ab litore gentes.
Stàbunt et Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles, demissaeque ab Jove gentis
Nomina, Trosque parens, et Trojae Cynthius auctor.
Invidia infelix Furias amnemque severum
Cocyti metuet, tortosque Ixionis angues,
Immanemque rotam, et non exsuperabile saxum.
Interea Dryadum silvas saltusque sequamur
Intactos, tua, Maecenas, haud mollia jussa.
Te sine nil altum mens inchoat. En age, segnes
Rumpe moras; vocat ingenti clamore Cithaeron,
Taygetique canes, domitrixque Epidaurus equorum;

---

26) De ebore, qui est dens elephanti. 27) Parrhas. ***victoris et arma.*** Gangarides sunt Indi ad Gangis ostia habitantes ab occidentali parte. Quirini, Quirinalis, Romani arma, pro Quirino armato. 28) Al. *hic.* Nilus significat victoriam Alexandrinam, de M. Antonio et Cleopatra ab Octaviano relatam. 29) Surgunt columnae, ut aedificia, moenia stant. 30) Ed. Ven. *At tum urbes.* Goth. II. *Niphate.* Al. *Niphatem.* Bryant. *pulsumque Phrautem.* Niphates est fluvius Armeniae. 32) *Div. ex hoste*, de Gangaridis et Britannis. 33) Al. *a litt.* 34) Al. *Et stab. P. lapidis*; marmora candida e Paro insula. 35) Al. *dimissaeque a Jove gentes.* Assarici proles sunt gentis Juliae progenitores. 36) Apollo Cynthius dictus a Cyntho, Deli monte, Troiae conditor, magna religione ab Augusto colebatur. 38) Moret. II. *Cocytum met.*, *tortos Ix.* sine *que.* Rom. *Ixionis orbes.* Markland. *Ix. axes.* Ed. Batav. Ix. *artus* vel *ungues.* Cocytus est fluvius inferorum. Ixion, rex Lapitharum, incerto genitus, Pirithoi pater. Tortos angues, quibus, pro vinculis, religatus est ad rotam, postquam illicitos Junonis petivit amplexus. 39) Saxum Sisyphi ad summum montis verticem adduci non potest. 40) Erford. *sequemur.* 41) Haud mollia iussa, rem difficilem imponentia. 42) Zulich. *actum.* Valer. Prob. Gramm. *Eia age segnes.* Heins. *segnis.* 43) Medic. *vacat.* Cithaeron, deus montis cognominis in Boeotia, qui magno clamore vocat poetam, ut pascua sua gregesque canat. — Taygetus est mons in Laconia prope Spartam, venatu insignis, atque adeo canibus. 44) Zulich *domitorque.* Leid. *equarum.* Epidaurus cum tota Argolide equorum cura nobilis est.

Et vox adsensu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Caesaris, et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Caesar.
Seu quis, Olympiacae miratus praemia palmae,
Pascit equos; seu quis fortes ad aratra juvencos:
Corpora praecipue matrum legat. Optuma torvae
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent;
Tum longo nullus lateri modus; omnia magna;
Pes etiam, et camuris hirtae sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis et albo,
Aut juga detrectans; interdumque aspera cornu.
Et faciem tauro propior, quaeque ardua tota,
Et gradiens ima verrit vestigia cauda.
Aetas Lucinam justosque pati hymenaeos
Desinit ante decem, post quatuor incipit annos;
Cetera nec feturae habilis, nec fortis aratris.
Interea, superat gregibus dum laeta juventas,
Solve mares; mitte in Venerem pecuaria primus,
Atque aliam ex alia generando suffice prolem.
Optuma quaeque dies miseris mortalibus aevi
Prima fugit; subeunt morbi tristisque senectus;
Et labor et durae rapit inclementia mortis.
Semper erunt, quarum mutari corpora malis;

---

46) Paris. *Mox etiam.* 47) Zulich. *tot. fama.* Rufinian. *Caesaris et famam et nomen tot.* 48) Plur. Cod. *quod.* Ven. *quotus est.* — Tithonus, Trois abnepos, Laomedontis filius, ad gentis Juliae origines pertinet. Tempus, quod ab hoc progenitore effluxit ad Caesarem, pro infinito tempore ponitur. 49) Menag. II. *miratur.* Nonius Marc. *praemia pugnae*, sed male, pro studio certaminum curulium. 50) V. i. *fortis.* 52) Turpe caput, fronte lata. 53) Ven. *armento.* Goth. I. *ammento palearea.* 54) *Latus* pro toto corpore, perpetuo usu. 55) Heins. *cameris.* Medic. *camyris.* V. i. *camiris.* Voss. II. *curvis.* Medic *cum cornibus*, camuris s. incurvis, introrsum conversis. 56) Medic. *Nec tibi.* Zulich. *et auro.* 57) Pier. *detractans* Gud. *cornum.* 58) Rottend. et Voss. I. *Et facie*, ut V. i. 59) Menag. II. *una.* Franc. Goth. *vertit.* 60) Medic. *Aestas Lucina.* Zulich. *Lucinamque pati iustosque hymenaeos*, sc. matura aetate initos. 63) Heins. *iuventas.* Arundel. *confice.* 66) Ab armentis ad homines retulit brevem ac fluxam vitae conditionem. 67) Moret. I. *Pr. fuit.* Franc. *morbus.* 69) Menag. I. *Semper erit.* Mead. *Semp. enim.* Medic. *mavis.* Rottend. II. *matris.* Goth. I. *navis.*

Semper enim refice; ac, ne post amissa requiras,
Anteveni, et subolem armento sortire quot annis.

Nec non et pecori est idem delectus equino.
Tu modo, quos in spem statues submittere gentis,
Praecipuum jam inde a teneris impende laborem.
Continuo pecoris generosi pullus in arvis
Altius ingreditur, et mollia crura reponit;
Primus et ire viam, et fluvios tentare minaces
Audet, et ignoto sese committere ponti;
Nec vanos horret strepitus Illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga:
Luxuriatque toris animosum pectus. Honesti
Spadices, glaucique; color deterrimus albis,
Et gilvo. Tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit; micat auribus, et tremit artus;
Collectumque fremens volvit sub naribus ignem.
Densa juba, et dextro jactata recumbit in armo;
At duplex agitur per lumbos spina; cavatque
Tellurem, et solido graviter sonat ungula cornu.
Talis Amyclaei domitus Pollucis habenis
Cyllarus, et, quorum Graji meminere poetae,
Martis equi bijuges, et magni currus Achilli.

---

70) Rottend. II. *an ne*. Medic. *admissa*. Ven. *commissa*, sc. corpora. 71) Pier. *Ant.*, *sub.* sine *et.* V. i. *sobolem.* 72) V. i. *dilectus*. Ven. *ut pecori*. Heins *esto idem*. 73) V. i. *statuis*. Rom. *gentes*. Submittere hic proprie de equis, qui ad admissuram aluntur. 75) Cerda: *generosus*. Continuo, primo. 76) Cantabr. *reflectit*. Crura, quae facile flecti et incurvari possunt. 77(Senec. ep. 95. *Primus inire viam*. 78) Medic. *ponto*. 79) Ed. Ald. *varios*. 80) Caput non magnum et venter obstrictus 81) Tori sunt eminentiae musculorum, quasi nodosae ac tumentes. 82) Mentel. III. *glaucoque*. Parrhas. *albo E gilvo* etc., s. flavo, ad mellis colorem proxime accedente. Spadicem esse ex rubro nigricantem constat. Glaucus color proxime ad caeruleum accedit. 84) Mentel. I. *tremet*. Aures micant in capite, celeriter moventur. Tremit artus, pro artus tremunt. 85) Franc. *tremens*. V. i. *premens*. 87) Burmann. *Aut*. Parrhas. *Et*. Erford. *Ac*. Duplex spina ab omnibus veteribus in bono equo laudatur. 88) Pier. *quatit ungula*. 89) Al. *Amyclaeis — habenis*. Rom. *Amycla et*. Amyclae, Laconiae urbs, in qua Castor et Pollux educati. 90) Cyllarus equus Castori saepius, quam Polluci tribuitur. 91) Medic. *Achilles*: V. i. et Rom. *Achillis*. Martis equos Servius timorem et pavorem appellat.

Talis et ipse jubam cervice effudit equina
Conjugis adventu pernix Saturnus, et altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.

Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis
Deficit, abde domo; nec turpi ignosce senectae.
Frigidus in Venerem senior, frustraque laborem
Ingratum trahit; et, si quando ad proelia ventum est,
Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,
Incassum furit. Ergo animos aevumque notabis
Praecipue; hinc alias artes, prolemque parentum,
Et quis cuique dolor victo, quae gloria palmae.
Nonne vides, quum praecipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus,
Quum spes arrectae juvenum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans? Illi instant verbere torto,
Et proni dant lora; volat vi fervidus axis;
Jamque humiles, jamque elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri, atque assurgere in auras;
Nec mora, nec requies; at fulvae nimbus arenae
Tollitur; humescunt spumis flatuque sequentum;
Tantus amor laudum, tantae est victoria curae.
Primus Erichthonius currus et quatuor ausus
Jungere equos, rapidusque rotis insistere victor.

---

92) Al. *equinae*, *equinam*. Moret. II. *ipse comam*. Goth. II. *iubam in cervice*. 95) Medic. *Hinc*. Rom. *segn. aetas*. Ed. Nor. *s. annus*. 96) Gud. *senecta*. Al. *et turpi*, aut *turpique*. Abdere, amovere, reiicere. 97) Paris. *Fr. in Ven. est*. Laborem, pro voluptatem ingr. perficit. 98) Proelia, sc. Veneris. 99) Rom. *in stipula*. 100) Alias artes, virtutes. 101) Markland. *moremque parentum*. Schrader: *prolisque parentem*; melius: *prolemque, parentesque*. Si quos alios jam pullos iidem parentes ediderint, qua ii sint indole, quo vigore. 102) Arundel. *color*. 103) Pier. *conamine*. 104) Menag. I. *ruunt* sine *que*. Corripuere spatia per campum. 105) Pavor corda exhaurit, dum liberum sanguinis meatum intercludit et impedit; sed animi aurigarum sunt arrecti spe. 106) Verbere pro flagello. 107) Medic. *vocat*. Volat cum impetu. 108) Med. *elatis*. Gud. *alatis*. 109) Macrob. Sat. VI. 13. *Aera per tenerum*. Rom. *exsurgere*. Pier. *insurgere in aures*. 110) Zulich. *ut fulvae*. 111) Al. *uvescunt*. 112) Medic. *tanta est*. V. i. *tantae vict*. sine *est*. 113) Erichthonius, rex Atheniensium quartus, Vulcani filius, quadrigas invenit. 114) Vulgo: *rapidisque*. Meursius: *vector*. Rotis insistere, s. quadrigarum cursu certare.

Frena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere,
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo; et gressus glomerare superbos.
Aequus uterque labor; aeque juvenemque magistri
Exquirunt, calidumque animis et cursibus acrem:
Quamvis saepe fuga versos ille egerit hostes,
Et patriam Epirum referat, fortesque Mycenas;
Neptunique ipsa deducat origine gentem.

His animadversis instant sub tempus, et omnes
Impendunt curas denso distendere pingui,
Quem legere ducem, et pecori dixere maritum;
Pubentesque secant herbas, fluviosque ministrant,
Farraque: ne blando nequeat superesse labori;
Invalidique patrum referant jejunia gnati.
Ipsa autem macie tenuant armenta volentes.
Atque, ubi concubitus primos jam nota voluptas
Sollicitat, frondesque negant, et fontibus arcent.
Saepe etiam cursu quatiunt, et sole fatigant,
Quum graviter tunsis gemit area frugibus, et quum
Surgentem ad Zephyrum paleae jactantur inanes.

---

115) Pelethronius saltus in monte Thessaliae, ubi Lapithae habitant. Gyros dedere, docuere equum in gyrum flectere. 116) Goth. I. *Imposito.* Reisk. *Impositum dorsoque equitem.* 117) Gressus glomerare, quasi colligere reductis et replicatis anterioribus cruribus. 118) Al. *Durus uterq.* Goth. I. *iuvenumque magistri*, qui hoc loco alendorum equorum studiosi, non fingendorum. 119) Arundel. *calidis.* Parrhas. *in cursibus.* 120) Versos in fugam. Agitur hic de delectu equi admissarii. 121) Mead. *Cyprum referat.* Al. *fortisve, fortisque.* Epirus et Mycenae cum tota Argolide equos praestantissimos alebant. 122) Arund. *ipsam.* Rom. *or. nomen.* Ed. Ven. 1475. *or. mentem.* 123) Medic. *His anima adversis.* Menag. II. *instat.* Erford. *omnem Imp. curam.* V. i. *His — omnis.* 124) Moret. IV. *Impendent.* Leid. *distinguere.* Denso — pingui, s. non laxa pinguedine. 125) Franc. *dixisse.* Rom. *duxere.* Serv. *Quem leg. virum.* 126) V. i. *Florentisque.* Pubentes s. succi plenas. 127) Goth. I. *nec. — nequeant superesse*, i. e. supra laborem esse, neque opprimi a labore. 129) Leid. *Ipsi.* Ed. Arg. *nocte* pro *macie.* Equas et vaccas ante admissuram instituto extenuare solent. 130) Burmann. *nam nata vol.* Schrader: *ubi conc. primi iam mota vol.*, vel *ignota voluptas*, pro desiderio, stimulo voluptatis excitante ad concubitus, cuius iam sensum habent ex anno praeterlapso. 131) Pier. *et frondibus arc.* 133) Cerda: *Tum.* — Al. *tusis, tonsis.*

Hoc faciunt; nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali arvo, et sulcos oblimet inertes;
Sed rapiat sitiens Venerem, interiusque recondat.
Rursus cura patrum cadere, et succedere matrum
Incipit. Exactis gravidae quum mensibus errant:
Non illas gravibus quisquam juga ducere plaustris,
Non saltu superare viam sit passus, et acri
Carpere prata fuga, fluviosque innare rapaces.
Saltibus in vacuis pascant, et plena secundum
Flumina: muscus ubi, et viridissima gramine ripa,
Speluncaeque tegant, et saxea procubet umbra.
Est lucos Silari circa ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, quoi nomen asilo
Romanum est, oestrum Graji vertere vocantes;
Asper, acerba sonans; quo tota exterrita silvis
Diffugiunt armenta; furit mugitibus aether
Concussus, silvaeque, et sicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras
Inachiae Juno pestem meditata juvencae.
Hunc quoque, nam mediis fervoribus acrior instat,
Arcebis gravido pecori, armentaque pasces

---

135) V. i. *obtunsior.* *Usus* pro natura et habitudine ipsius rei. Luxus pro luxur anti pinguedine obtusior, ne partes genitales sint obtusiores, nimia obesitate, ad usum, quem habent in concipiendo fetu. 136) Mead. *Sint.* Goth. II. *auro.* Zul. *succos.* Ed. Bas. 1586. *sulcosque.* Serv. *inermes.* Ne eae partes pinguedine interclusae sint. V. i. *inertis.* 137) Parrhas. *Sed sitiens rapiat.* 138) Goth. II. *turba patrum.* Ven. *eadem* pro *cadere.* 139) Cum vicinae partui sunt. 140) Mead. *gravidis.* 141) Al. *sit saltus.* Acri fuga s. celeri cursu. 142) Zul. *fluvios — minaces.* 143) Cerda: *Pastibus in v.* Al. *pascant.* Saltus vacui, in quibus solae, otiosae pascantur. 144) Al. *graminu ripae, germine ripa.* Plena flumina, ne, dum aquam ex alto hauriunt, fetum elidant. 145) Moret. II. *procubat.* Medic. *protegat.* 146) Al. *Est lucus.* Medic. *Sileri.* Ven. *circum.* Parrhas. *circa.* Silarus Lucaniae fluvius, qui Tanagrum recipit. 147) Burmanni *Pluribus.* Al. *asylo, asillo.* Alburnus est mons Lucaniae. Asilus est musca boves agitans. V. i. *cui.* 148) Pier. *vocando.* 149) Goth. I. *Aspera.* 150) Al. *Diffigunt — fugit.* Furit aether, resonat repercussus furentum mugitu. 151) Fragm. Vatic. *Tanacri* s. Silari aestu solis exsiccati. 152) V. i. *horribilis.* Hoc monstro, asilo. 153) Moret. fr. *pestes.* Jo, Inachi Argivorum regis filiam, in vaccam mutatam, in furorem conjecit Juno. 154) Leid. III. *Hoc.* Zul. *Hanc.* Leid. *instant.* Mediis fervoribus, medio die. 155) Fr. Vatic. *pascis.*

Sole recens orto, aut noctem ducentibus astris.
Post partum cura in vitulos traducitur omnis;
Continuoque notas et nomina gentis inurunt,
Et quos aut pecori malint submittere habendo,
Aut aris servare sacros, aut scindere terram,
Et campum horrentem fractis invertere glebis.
Cetera pascantur virides armenta per herbas:
Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem,
Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis aetas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos
Cervici subnecte; dehinc, ubi libera colla
Servitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos
Junge pares, et coge gradum conferre juvencos;
Atque illis jam saepe rotae ducantur inanes
Per terram, et summo vestigia pulvere signent.
Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat, et junctos temo trahat aereus orbes.
Interea pubi indomitae non gramina tantum,
Nec vescas salicum frondes, ulvamque palustrem,
Sed frumenta manu carpes sata; nec tibi fetae,
More patrum, nivea implebunt mulctraria vaccae,
Sed tota in dulces consument ubera natos.

---

156) Al. *austris.* Nox astris in conspectum venientibus succedit. 157) Al. *in vit. cura deducitur.* 159) Moret I. *malunt.* Ven. et Mead. II. *malit.* Et inurunt notas, quibus designent eos, quos etc. 160) Al. *sacris.* 161) Campum horrentem, pro agro glebas duras et asperas habente. 162) V. i. *pascuntur.* 163) Al. *At quos ad studia — servabis.* 164) Jam tum mature doma. 165) Animi faciles, dociles, molles. 166) Al. *Et*, *At pr. lapsos — ciclos*, *circos*, pro circulos. 167) Mead. *deinde.* 168) Al. *ipsos tunc*, *ipsis et*, *ex*, *cum tor. aptos*, *actos.* Aptes, nexos et illigatos invicem ex vimineis illis vinculis. 169) Goth. II. *gradus.* Medic. *iuvencis.* 170) Med. *Atque illos.* Rottend. I. *ducuntur.* Ven. *ductentur.* Rotae inanes, s. plaustra vacua. 171) Rottend. II. *summa.* Mentel I. *signant.* 172) Tandem plaustro onusto iungantur. Faginus, e fago. 173) Goth. II. *Instrepet.* Pier. *vinctos — orbis.* Erford. *terat.* 174) Indomitae, donec domentur vituli. 175) Rottend. II. *Non.* Mentel. III. *vescae.* Pier. *silvamque.* Fr. Vatic. *ulvasque*, s. herbas quaslibet palustres. Vescas edules, quae famam excitent. 176) Moret I. *Nec ubi.* Frumenta sata, herbas, novellas segetes. 177) Al. *mulgaria*, *mulctralia*, *multralia*, *multraria*, *mulcraria*, *mulctaria*, *multaria*, vasa mulgendo pecori. 178) Vatic. *Et tota.* Al. *consumment*, *consumunt*, *consumant.*

Sin ad bella magis studium, turmasque feroces,
Aut Alphea rotis praelabi flumina Pisae,
Et Jovis in luco currus agitare volantes:
Primus equi labor est, animos atque arma videre
Bellantum, lituosque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, et stabulo frenos audire sonantes;
Tum magis atque magis blandis gaudere magistri
Laudibus et plausae sonitum cervicis amare.
Atque haec jam primo depulsus ab ubere matris
Audeat, inque vicem det mollibus ora capistris
Invalidus, etiamque tremens, etiam inscius aevi.
At, tribus exactis ubi quarta accesserit aestas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare
Compositis, sinuetque alterna volumina crurum,
Sitque laboranti similis; tum cursibus auras,
Tum vocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Aequora, vix summa vestigia ponat arena:
Qualis, Hyperboreis Aquilo quum densus ab oris
Incubuit, Scythiaequa hiemes atque arida differt
Nubila; tum segetes altae campique natantes
Lenibus horrescunt flabris, summaeque sonorem
Dant silvae, longique urgent ad litora fluctus;
Ille volat, simul arva fuga, simul aequora verrens.

---

179) Ven. *in turmasque fer.* 180) Alpheus fluvius. 181) Mead. *Si Jovis.* Fr. Vatic. *volentis.* 182) Medic. *equis.* Rottend. II. *animosque ad bella.* Schrader: *Primus equis labor est animosis, arma videre.* 183) Lituus, species incurvae buccinae. Tractu gementem, sc. stridentem, dum trahitur. 184) Mead. *stabulis* Medic. *audere.* V. i. *sonantis.* 186) Zul. *Plausibus et plausae.* Fr. Vatic. *amarae.* 188) Vulgo: *Audiat.* Schrader: *inque diem*, *inque viam*, *inque fidem.* Audeat, s. faciat, quatenus pullus non expavescit ad plausus. 189) Al. *et iamque — et iam.* Inscius aevi, nondum habens ab annis fiduciam. 190) Al. *Ac.* Rom. *acceperit.* 191) Incedere gressibus numerosis, in orbem ire. 192) Medic. *currum.* 193) Paris *cum curs.* Ed. Nor. *tum cruribus.* 194) Zul *Tum movet.* Menag. II. *Cum vocet.* Vulgo: *Provocet.* Arund. *Advocet.* Rott. *Tum petat.* 195) Moret. II. *ponit.* Moret. IV. *verrat.* Serv. *signat.* 196) Menag. II. *condensus.* Al. *horis.* Aquilo, qui magna cum vi et impetu late fertur. Hyperbor. pro septentrionalibus. 197) Goth. II. *Incumbit.* Al. *arrida, horrida defert*, dissipat sc. procellas, s. nubes sine pluviis. 198) Al. *dum seg.* Paris. *cum seg* Fr. Vatic. *natantis.* Schrader urget, campos natantes dici aqua submersos. 199) Voss. fragm. *sonoris.* 200) Al. *longeque Urgent* s. volvuntur. 201) Arund. *Ipse*, sc. aquilo. Paris. *arma.* Serv. *verrit*, s. perflet. *Fuga*, de celeri motu.

Hic vel ad Elei metas et maxima campi
Sudabit spatia, et spumas aget ore cruentas;
Belgica vel molli melius feret esseda collo.
Tum demum crassa magnum farragine corpus
Crescere jam domitis sinito: namque ante domandum
Ingentes tollent animos, prensique negabunt
Verbera lenta pati, et duris parere lupatis.
  Sed non ulla magis vires industria firmat,
Quam Venerem et caeci stimulos avertere amoris,
Sive boum sive est cui gratior usus equorum.
Atque ideo tauros procul atque in sola relegant
Pascua, post montem oppositum, et trans flumina lata;
Aut intus clausos satura ad praesepia servant.
Carpit enim vires paullatim uritque videndo
Femina; nec nemorum patitur meminisse nec herbae.
Dulcibus illa quidem illecebris et saepe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantes.
Pascitur in magna Sila formosa juvenca:
Illi alternantes multa vi proelia miscent
Vulneribus crebris; lavit ater corpora sanguis,
Versaque in obnixos urgentur cornua vasto
Cum gemitu; reboant silvaeque et longus Olympus.
Nec mos bellantes una stabulare: sed alter
Victus abit, longeque ignotis exsulat oris;

---

202) Medic. *Hinc.* Al. *Hic et ad* Campus Eleus s. Olympiacus. 203) Leid. *agit.* *Sudabit*, plus quam, decurret. 204) Medic. *Bellica.* Al. *ferat.* Parrhas. *heseda.* Essedum vehiculi genus tam ad iter, quam ad bella comparatum. 205) Paris. *Tu dem.* Al. *sartagine*, *feragine*, *ferragine.* 206) Burmann. *domiti.* 207) Al. *tollunt.* Zul. *animos pressique.* 208) Moret. fr. *Verb dira.* Paris. *dura.* Lupatum, fraenum asperrimum, uncis armatum ferreis. 209) Fr. Vatic. *nonnulla.* Ed. Ven. *servat.* 210) Amoris caeci, occulti, clam per venas et ossa saevientis. 212) Moret. IV. *Atque adeo.* Ven. *atque infusa resurgunt.* Franc. *relegat.* 213) Leid. *appositum.* Medic. *nata.* Dum mons est interpositus inter duo, utrique est objectus. 214) Zul. *Atque intus.* Satura, sc. plena. 215) V. i. *vivendo*, sed: dum videtur, macerat. 216) Pier. *neque herbae.* 217) Illa quidem saepe amantes etiam pugnare cogit inter se. 218) Mentel. *subicit.* 219) *Sila* est mons silvosus, Apennini huc procurrentis iugi pars extrema, in ultimis Bruttiorum oris. V. i. *Silva.* 220) Mead. *proel. tollunt.* 221) Lavit, defluit de corpore. 222) Franc. *vergentur.* 223) Al. *Tum g.*; *resonant* s. V. i. *magnus Olympus*, qui est coelum, proprie mons in Thessalia. 225) Ven. *excubat.*

Multa gemens ignominiam plagasque superbi
Victoris; tum, quos amisit inultus, amores;
Et stabula adspectans regnis excessit avitis.
Ergo omni cura vires exercet, et inter
Dura jacet pernix instrato saxa cubili,
Frondibus hirsutis et carice pastus acuta;
Et tentat sese, atque irasci in cornua discit
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, et sparsa ad pugnam proludit arena.
Post, ubi collectum robur viresque refectae,
Signa movet, praecepsque oblitum fertur in hostem:
Fluctus uti, medio coepit quum albescere ponto,
Longius, ex altoque sinum trahit; utque volutus
Ad terras, immane sonat per saxa, neque ipso
Monte minor procumbit; at ima exaestuat unda
Verticibus, nigramque alte subjectat arenam.
  Omne adeo genus in terris hominumque ferrumque,
Et genus aequoreum, pecudes, pictaeque volucres,
In furias ignemque ruunt. Amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leaena
Saevior erravit campis; nec funera vulgo
Tam multa informes ursi stragemque dedere
Per silvas. Tum saevus aper, tum pessima tigris;
Heu, male tum Libyae solis erratur in agris.

---

226) Leid. et Menag. II. *ignominia.* 228) Medic. *stabuli.* Zul. *excedit.* 229) Ven. *et intus.* 230) Al. *pernox.* V. i. *infracto.* Non strato cubili, in nudo solo. 231) Carex, junci genus. 232) Irascens exercet se ad cornuum usum. 233) Al. *innixus*, *adnixus*, *obnixos.* Menag. II. *truncos.* 234) Franc. *praeludit* Rom. *aut sparsa.* 235) Goth. II. *Postquam.* Medic. Colot. *Ast ubi.* Rom. et Gud. *robor.* Heins. *viresque resectae*, al. *receptae*, *repletae*, *recepit.* 236) Medic. Colot. *oblicum* (obliquum). Mentel. *et fertur.* Heins. *effertur.* Signa movet, ex re militari. 237) Al. *uti in medio*, *ubi in primo — ponto* vel *vento.* Albescere pro oriri, sc. ex spumantibus maris fluctibus. 238) Menag. I. *sinus.* Parrhas. *atque volutus.* 239) Goth. II. *neque ipse.* Al. *nec ipso.* 240) Al. *at una.* 241) V. i. *Vorticibus — subvectat.* *Sub* aliquando significat super. 242) Al. *ferarum* sine *que.* 243) Leid. II. *et pecudes.* Ven. *pecudis.* Al. *Et g. aeq. p.* sine interpunctione. 245) Tum ferae efferatissimae sunt. 246) Heins. *Saev. occurrit.* 247) Zulich. *infames ursi.* 248) Al. *Per silvam*, *tunc.* 249) Al. *versatur in arvis*, *erratur arenis.* Lybia subinde pro tota Africa sumitur, cuius pars est.

Nonne vides, ut tota tremor pertentat equorum
Corpora, si tantum notas odor attulit auras?
Ac neque eos jam frena virûm, neque verbera saeva,
Non scopuli, rupesque cavae, atque objecta retardant
Flumina, correptosque unda torquentia montes.
Ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit sus,
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas
Atque hinc atque illinc, humerosque ad vulnera durat.
Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? Nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat caeca serus freta: quem super ingens
Porta tonat coeli, et scopulis illisa reclamant
Aequora; nec miseri possunt revocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variae, et genus acre luporum,
Atque canum, quique imbelles dant proelia cervi?

Scilicet ante omnes furor est insignis equarum;
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumsere quadrigae.
Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem
Ascanium; superant montes, et flumina tranant
Continuoque avidis ubi subdita flamma medullis:
Vere magis, quia vere calor redit ossibus; illae
Ora omnes versae in Zephyrum stant rupibus altis,

---

250) Al. *pertentet.* V. i. *pertemptet.* 251) Aer impulsus attulit odorem. 252) Al. *At.* V. i. *nec.* 253) Al. *Nec — retardent.* 254) Al. *subjectosque, correptos — montes,* saxa ruentium montium. 255) Al. *dentemque, dentesque.* Sus Sabellicus, ex montibus Sabinis Romae vicinis. 256) Zul. *Et pedibus subigit.* 258) Al. *durum cui.* 259) Al. *adruptis, obruptis, a brutis.* Procellae cum impetu ruentes. 260) Al. *Caeca nocte natat, Nocte natat tota.* Caeca, qua nihil cernimus; sero tempore. 263) Rottend. II. *funera.* Ven. *vulnere.* 264) Gud. *pecus acre.* 265) Erford. *canes.* Rom. *in bellis.* Al. *quisque; quidque; quaeque; quid, quae.* 266) V. i. *omnis — insegnis.* 267) *Mentem* s. indolem. Glaucus, Sisyphi filius, Potniis habitans in Boeotia, qui cum equas admissura perhiberet, quo velociores essent, Venere instigante mordicus ab iis discerptus est. 268) Rom. *adsumsere.* Goth. *assumsere.* V. i. *assumpsere.* 269) Al. *Illam.* *Gargara* est vertex quidam Idae iuxta Troiam. 270) Ascanius fluvius Bithyniae, exiens e lacu sub Olympo monte. 272) Al. *redit omnibus.* Rom. *redit calor ossibus illis.* 273) Ven. *Ore — verso.* Pier. *ad Zephyrum.* Crediderunt veteres, Zephyro gravidas reddi posse equas.

Exceptantque leves auras; et saepe sine ullis
Conjugiis vento gravidae (mirabile dictu)
Saxa per et scopulos et depressas convalles
Diffugiunt; non, Eure, tuos, neque Solis ad ortus;
In Borean Caurumque, aut unde nigerrimus Auster
Nascitur, et pluvio contristat frigore coelum.
Hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum destillat ab inguine virus:
Hippomanes, quod saepe malae legere novercae,
Miscueruntque herbas et non innoxia verba.

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.
Hoc satis armentis. Superat pars altera curae,
Lanigeros agitare greges hirtasque capellas.
Hic labor; hinc laudem fortes sperate coloni.
Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam sit, et angustis hunc addere rebus honorem.
Sed me Parnasi deserta per ardua dulcis
Raptat amor; juvat ire jugis, qua nulla priorum
Castaliam molli devertitur orbita clivo.

Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.
Incipiens stabulis edico in mollibus herbam
Carpere oves, dum mox frondosa reducitur aestas;
Et multa duram stipula filicumque maniplis
Sternere subter humum, glacies ne frigida laedat

---

274) Medic. *Exspectantque.* 276) Plotius: *depressos.* 278) V. i. et Rom. *In Boream Chaurumque.* Al. *Chorumque, Corumque*, qui septemtrionalibus ventis adnumeratur. 279) Rom. *sidere coelum.* Ven. *constringit.* Pluvium frigus molestias creat. 280) Al. *Hinc.* Hippomanes est humor, non venenum. 281) Al. *distillat.* 282) Malae, impiae, iniustae. 283) Al. *Miscuerantq., Miscuerintq.* Non innoxia verba, carmina magica. 284) Zul. *irremeabile tempus.* 285) Rottend. II *cum.* Ven. *rapti.* Erf. *rapti circum sectamur.* 286) Ven. *Hic.* Medic. *Superest.* 287) Menag. II. *Lanigeras Agitare*, pascere. 288) Al. *Hinc labor; hinc laudes fortes sperare.* 289) Rottend. *Non sum.* Gud. *verbis evincere.* 290) Al. *hunc add.* Honorem, dignitatem. 293) V. i. *divertitur.* Molli clivo, ut facilis adscensus et descensus sit. Fons Castalius est in radicibus montis Phocidis. 294) Mead. *ore canendum.* 295) Gud. *Inc. tabulis.* 296) Menag. I. *educitur.* Parrhas. *inducitur.* V. i. *ovis.* 297) Goth. II. *Et multam duram.* Ven. *Et multum dura.* Al. *durum in stipula felicumque.*

Molle pecus, scabiemque ferat turpesque podagras.
Post hinc digressus jubeo frondentia capris
Arbuta sufficere, et fluvios praebere recentes;
Et stabula a ventis hiberno opponere soli
Ad medium conversa diem; quum frigidus olim
Jam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno.
Hae quoque non cura nobis leviore tuendae;
Nec minor usus erit: quamvis Milesia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.
Densior hinc suboles; hinc largi copia lactis.
Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra,
Laeta magis pressis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, setasque comantes,
Usum in castrorum, et miseris velamina nautis.
Pascuntur vero silvas, et summa Lycaei,
Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos.
Atque ipsae memores redeunt in tecta, suosque
Ducunt, et gravido superant vix ubere limen.
Ergo omni studio glaciem ventosque nivales,
Quo minus est illis curae mortalis egestas,
Avertes; victumque feres, et virgea laetus

---

299) Podagra turpes reddit pedes, deformes tuberibus et nodis. 300) Serv. *digrediens.* Leid. *degressus.* 301) Arbuta sunt proprie fructus arbuti. 302) *Olim* significat mox tempus praeteritum, mox futurum, mox praesens. 303) Menag. I. *At.* Ven. *tum fr. o. Jam redit.* Arund. *dum fr.* 304) Parrhas. *extremo nudatque.* Aquarius oritur Januario, cadit Februario, sc. extrema anni parte, si is a vere initium habet. V. i. *inrotat*, sed male. 305) Rom. *Haec quoque — tuendae.* Al. *Haec — tuenda.* Heins. *Haec — tuendum.* 306) Al. *Nec m. u. erit. Quamv. Mil. magno — rubores: Densior hinc* (a capris) *soboles.* Milesia lana praestantissima. 307) Goth. II. *colores.* Vellera incocta ruboribus, lanae coquendo tinctae purpureo colore. 308) Fr. Vatic. *hic largi.* 309) Al. *Quo magis — multra* s. *mulcra.* Rottend. II. *exhausta* (expressa) *sp. ubera.* 310) V. i *ubera mam.* 312) Rom. *hircis.* Pier. *hirquis.* Cinyps fluvius Libyae, in ora nunc Tripolitana, apud quem nascuntur grandes hirci. Tondent pro tondentur. 314) Parrhas. *vere.* Mons Lycaeus pro quocunque. 316) Ven. *suasque.* Medic. *immemores.* 317) Al. *Deducunt grav.* 318) Parrhas. *ventos glaciemque.* Vratisl. *ventosque minaces.* Ven. *nivosis.* 319) V. i. *Quo minor.* 320) Menag. II. *Avertas.* Ven. *avertis.* Schrader: *largus* pro laetus, lubenter.

Pabula; nec tota claudes foenilia bruma.
At vero, Zephyris quum laeta vocantibus aestas,
In saltus utrumque gregem atque in pascua mittet:
Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.
Inde, ubi quarta sitim coeli collegerit hora,
Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae;
Ad puteos aut alta greges ad stagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam;
Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos; aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra
Tum tenues dare rursus aquas, et pascere rursus
Solis ad occasum: quum frigidus aëra vesper
Temperat, et saltus reficit jam roscida luna,
Litoraque alcyonen resonant, acalanthida dumi.
Quid tibi pastores Libyae, quid pascua versu
Prosequar, et raris habitata mapalia tectis?
Saepe diem noctemque, et totum ex ordine mensem,
Pascitur, itque pecus longa in deserta sine ullis
Hospitiis: tantum campi jacet. Omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque, laremque
Armaque, Amyclaeumque canem, Cressamque pharetram.

---

321) Medic. *claudis*. Erford. *claudas*. Parrhas. *feralia*. Foenilia sunt loca, in quibus foenum includitur. 322) Aestas sc. erit. 323) Al *mittes*, *mittas*. 324) Burmann. *Lucifero*. 325) Al. *carpantur*, *carpentur*. Schrader: *Quaeramus*. Carpamus viam ad rura. 326) *Quum ros in tenera est*. 328) Arbusta, sc. inter vites iugatas. 329) Rom. *At p. adque alta*. Fr. Moret. *Aut puteos*. Al. *ad* vel *et ad alta*. Erford. *aut leta*. Al. *iubebo*. 330) Ilex est arbor glandifera. 331) Al. *ast*, *aut med*. — *adquirere*. 333) Leid. II. *tendet*. Moret. II. *In patulos tendat*. Gud. *nigra*. Mentel. I. *nigram*. 334) Moret. I. *sacrum nemus* Rottend III. et Erford. *incubet*. Medic. *gressus* pro *crebris*. Adcubet, adstet, sita sit. 335) Rom. *Tunc*. 336) Goth. I. *aere*. Vesper est stella Veneris. 337) Al. *rofida*. Ros cadens, dum luna lucet, noctu. 338) Paris. *alcyonem*. Rottend. II. *resonent*. Acalanthis est fors eadem atque acanthis. 339) Leid. *pastoris*. Goth. I. *versa*. 340) Zulich *persequar*. Mapalia, casae seu tuguria cannis ferulisque confecta in coni speciem, sparsae per agros. 343) Arundel. *campis*. 345) Menag. II. *Crassamque* s. Creticam.

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam quum carpit, et hosti
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.
At non, qua Scythiae gentes, Maeotiaque unda,
Turbidus et torquens flaventes Ister arenas,
Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem;
Illic clausa tenent stabulis armenta; neque ullae
Aut herbae campo apparent aut arbore frondes:
Sed jacet aggeribus niveis informis et alto
Terra gelu late, septemque assurgit in ulnas.
Semper hiems, semper spirantes frigora cauri.
Tum sol pallentes haud unquam discutit umbras,
Nec quum invectus equis altum petit aethera, nec quum
Praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum.
Concrescunt subitae currenti in flumine crustae,
Undaque jam tergo ferratos sustinet orbes.
Puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris.
Aeraque dissiliunt vulgo, vestesque rigescunt
Indutae, caeduntque securibus humida vina,
Et totae solidam in glaciem vertere lacunae,
Stiriaque impexis induruit horrida barbis.
Interea toto non secius aëra ninguit:
Intereunt pecudes, stant circumfusa pruinis
Corpora magna boum; confertoque agmine cervi

---

346) Al. *Nec vel Haud secus.* 347) Fr. Vatic. *Inulto.* Medic. *et hostem.* Injusto sub fasce, qui plus aequo gravis est. 348) Al. *stat in ordine.* Ante exspectatum hosti, antequam hostis exspectaret. 350) Franc. *fluentes.* Hister turbidus, dum torquet. 351) Al. *Quaque radit*, *Quamque iacet.* Franc. *Rhodope medium.* Gud. *sub axe.* Schrader: *gelidum sub axem*, sc. polum septentrionalem. 352) Rom. *nec ullae.* 354) Ven. *arboribus.* Goth. I. *aggregibus.* 355) Franc. *surgit.* 356) Al. *spirantes frigore venti*, *spirantis — Chauri* 357) Umbrae sunt nebulae et caliginosum caelum interdiu. 358) Al. *Nec dum*, *Nec cum vectus.* Ed. Ven. *altus.* V. i. *dum.* 359) Ven. *latet aequore.* Goth. II. *cursum.* Rubro pro igneo a colore decedentis solis. 360) Paris. *curr. fl.* sine *in.* 361) Orbes sc. rotarum. 363) Ven. *dissolvunt.* 364) Gud. *Indutis.* Humida, fluida vina. 365) Rom. *Et t. in sol. gl.* Lacunae s. fossae, in quibus aquae pluviae, aliaeque versae sunt et colliguntur. 366) Hic versus abest Rom. Cod. 367) Serv. *non segnius.* Al. *non setius.* Arund. *aequore.* Franc. *mingit.* 368) Pruinis pro nivibus. 369) Al. *Corp. pigra.* Zul. et Paris. *conserto*, al. *confecto.*

Torpent mole nova, et summis vix cornibus exstant.
Hos non immissis canibus, non cassibus ullis,
Puniceaeve agitant pavidos formidine pinnae:
Sed frustra oppositum trudentes pectore montem
Cominus obtruncant ferro, graviterque rudentes
Caedunt, et magno laeti clamore reportant.
Ipsi in defossis specubus secura sub alta
Otia agunt terra, congestaque robora, totasque
Advolvere focis ulmos, ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt, et pocula laeti
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.
Talis Hyperboreo Septem subjecta trioni
Gens effrena virûm Rhipaeo tunditur Euro,
Et pecudum fulvis velatur corpora setis.
  Si tibi lanitium curae: primum aspera silva
Lappaeque tribulique absint; fuge pabula laeta;
Continuoque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,
Nigra subest udo tantum cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis
Nascentum; plenoque alium circumspice campo.
Munere sic niveo lanae, si credere dignum est,

370) *et* deest C. Medic. Mole insolenti nivis. 371) Parrhas. *Quos non.* Zul. *immensis.* Fr. Moret. *nec cass.* 372) Mead. *Puniceaque.* Paris. *agitant pecudes.* Vulgo: *pennae.* Obvium est, hic funiculum illum venatorum plumis intextum esse, quo cervi territi in retia aguntur. 373) Rom. *Et frustra.* Gud. *pectora.* 376) Ven. *defossa.* Rom. *speciebus.* Gud. *specibus.* Vratisl. *scrobibus.* 378) Ven. *ulmosque.* 379) Franc. *Hinc.* Rott. II. *ludo noctem*, sc. noctes longas hiemis. Goth. I. *spolia.* 380) Medic. *Firmento* Franc. *Fromentoque*, sed frumento fermentato. 381) Al. *Quin et Hyperboreis.* 382) *Euro R.* pro quocunque vento frigido. V. i. *Riphco.* Gens effrenorum virorum. 383) Ven. *vellatur*, al. *fluviis velantur.* 384) Al. *Sit tibi lanicium.* 385) Rom. *tribolique.* Schrader: *f. p. tetra.* Tribulus est herba e carduorum genere. Fuge pabula laeta, quia succus omnis ex hoc cibo in adipem abit, non in lanam. 388) Al. *cui tantum l. polatu.* In V. i. hic versus post duos sequentes positus est. 389) Gud. *nam maculis.* Menag. *inficiet.* 390) Medic. *Nascuntur.* Ven. *Poscentum*, quod *Pascentum* credebat Burmann. Mead. *Nascentis.* Paris. *pleno.* Rottend. II. *plenumque.* Paris. *campum.* 391) Serv. *sic credere.* Schrader: *vellere.* Munus est pretinm, quo fallimur.

Pan deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans; nec tu adspernata vocantem.

At, cui lactis amor, cytisum lotosque frequentes
Ipse manu salsasque ferat praesepibus herbas.
Hinc et amant fluvios magis, ac magis ubera tendunt,
Et salis occultum referunt in lacte saporem.
Multi jam excretos prohibent a matribus haedos,
Primaque ferratis praefigunt ora capistris.
Quod surgente die mulsere horisque diurnis,
Nocte premunt; quod jam tenebris et sole cadente,
Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor;
Aut parco sale contingunt, hiemique reponunt.

Nec tibi cura canum fuerit postrema: sed una
Veloces Spartae catulos acremque Molossum
Pasce sero pingui. Nunquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem incursusque luporum,
Aut impacatos a tergo horrebis Iberos
Saepe etiam cursu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporem, canibus venabere damas.
Saepe volutabris pulsos silvestribus apros
Latratu turbabis agens, montesque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.

Disce et odoratam stabulis accendere cedrum,

---

392) Rottend. II. *capta*. Pan in arietem mutatus nivei velleris pulchritudine Lunam in nemorum recessus pellexerat. 393) Parrhas. *nec ads.* sine *tu*. Gud. *ne es adsp.* Moret. I. *nec es asp.* 395) V. i. et Rom. *Ille manu.* 396) Al. *mag. et mag.* V. *et magis.* 397) Gud. *occultam.* Ven. *referant.* Rottend. III. *referent.* 398) Al. *Multi etiam excretos* s. validiores secernunt. 399) Heins. *Simaque.* Leid. *praefingunt* Schrader: *praestringunt.* 401) Leid. *a tenebris.* Rottend. III. *cadenti.* Rom. *cadentes.* 402) Rottend. III. *Sub luce.* V. i. et Rom. *exportant.* 403) Rottend. II. *Ut parco.* Al. *Ac parce.* 405) Rott. II. *actumque Molosum.* Spartani canes praestant sagacitate et odoratu, Molossi autem ex Epiro tum venationi tum gregum curae adhibentur. V. i. *Velocis.* 407) Leid. *cursusque.* 408) Medic. *Aut indignatos.* C. et Ed. Ven. *implacatos.* Iberi sunt gens rapinis et praedationibus infamis. 409) Arund. *tumidos.* Leid. *onagris*, ferum sc. asinorum genus. 410) Al. *lepores — dammas*, *damnas.* V. i. *et timidas v. d.* 411) Rott. II *pulsis.* 412) Rom. *terrebis.* 413) Al. *Ingenti* cl. Erford. *Ingentes — cervos.* 414) Menag. II. *in stabulis.* Al. *incendere.*

Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.
Saepe sub immotis praesepibus aut mala tactu
Vipera delituit, coelumque exterrita fugit;
Aut tecto adsuetus coluber succedere et umbrae,
Pestis acerba boum, pecorique adspergere virus,
Fovit humum. Cape saxa manu, cape robora, pastor,
Tollentemque minas et sibila colla tumentem
Dejice. Jamque fuga timidum caput abdidit alte,
Quum medii nexus extremaeque agmina caudae
Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbes.
Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squamea convolvens sublato pectore terga,
Atque notis longam maculosus grandibus alvum:
Qui dum amnes ulli rumpuntur fontibus, et dum
Vere madent udo terrae ac pluvialibus austris,
Stagna colit; ripisque habitans, hic piscibus atram
Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet.
Postquam exusta palus, terraeque ardore dehiscunt,
Exsilit in siccum, et flammantia lumina torquens
Saevit agris, asperque siti atque exterritus aestu.

---

415) V. i. et Serv. *gravi.* Al. *celidros*, *colydros*, *chelindros*, *cylidros* graves, quia sunt foetore intolerabili. Galbanum est succus gummi aut turis modo expressus e ferula s. narthece, cuius nidore serpentes fugantur. 416) Rom. *sub ignotis.* Mala tactu, sc. noxia, si tangatur. 417) Rott. III. *delicuit.* Gud. *dilituit.* Coelum fugit, sc. lucem stratis motis admissam. Vipera, quasi vivipara, est serpentis species. 418) Gud *adsuetos.* Rott. II. *colubris.* 419) Gud. *pecorisque.* 420) Pier. male *Fodit.* Fovet humum, qui assiduus in eo moratur. V. i. *et cape.* 421) Menag. I. *timentem.* Goth. I. *tuentem.* Tollentem ruinas, sublato pectore et capite minantem. 422) Medic. *cumque fuga.* Zul. et Goth. I. *namque f. tumidum.* Rott. II. *addidit.* 423) Moret. IV. *Dum.* Goth. II. *Tum.* Rom. *agmine*, quod de serpente dicitur, quia corporis pars post partem succedit, atque agitur. 424) Medic. *trahunt.* Heins. *tard. sin. tr. ult. orbes.* 425) Rom. *Esse iam ille*, sc. Chersydrus s. Dryinus, ex hydrorum genere forma similis fere aspidi Chersaeae parvae. 426) Al. *Lubrica.* 428) Parrhas. *Et qui dum amnes ullis.* Gud. *amnis.* Ed. Ven. *ruperunt.* Rumpuntur pro erumpunt. 429) Ven. *terrae palustribus.* 430) Gud. *colet.* Atram, exitiosam. 431) Ed. Ven. *Improbat.* Gud. *implet.* Ingluviem pro ventre. Improbus, vorax, immodice avidus. 432) Vulgo: *exhausta.* 433) Al. *Exulit*, *Extulit*, *Exiit.* 434) Zul. *Serpit.* Medic. *asperque sinus.* Cerda: *exercitus aestu* Markland. *extorridus*, *expergitus*, pro furens, insanus.

Ne mihi tum molles sub dio carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbas:
Quum positis novus exuviis nitidusque juventa
Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens,
Arduus ad solem et linguis micat ora trisulcis.

Morborum quoque te caussas et signa docebo.
Turpis oves tentat scabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum persedit et horrida cano
Bruma gelu; vel quum tonsis illotus adhaesit
Sudor, et hirsuti secuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magistri
Perfundunt, udisque aries in gurgite villis
Mersatur, missusque secundo defluit amni;
Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca,
Et spumas miscent argenti, vivaque sulfura,
Idaeasque pices, et pingues unguine ceras,
Scillamque, elleborosque graves, nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis praesens fortuna laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os. Alitur vitium, vivitque tegendo:
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, aut meliora deos sedet omina poscens.
Quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa
Quum furit, atque artus depascitur arida febris,
Profuit incensos aestus avertere, et inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam:

---

435) Al. *Nec mihi — sub dio*, s. coelo et aere. 436) Al. *sileat*, *liceat iac.* 437) Franc. *Compositis.* 438) Serv. *reponit* pro *relinquens.* Cerda ait: ova aut catulos iam ovis exclusos. 439) Micat, movetur, vibratur. Arduus s. erectus ad solem, cuius calore recreatur. 441) Rom. *cum frig.* V. i. *ovis.* 442) Persedit, penetravit. 443) Ed. Ven. *cum intonsis.* Medic. et Rom. *inlutus.* Pier. *adlutus.* 444) Medic. *hirsutis.* Franc. *hirsutae.* 447) Gud. *misosque.* Zul. *mersusque.* Rottend. II. *amne.* 448) Gud. *amurga*, sedimentum olei. 449) Al. *et sulfura* vel *sulpura viva.* Spumas argenti, sc. defervescentis, dum coquitur. 450) V. i. *pinguis.* 452) Goth. II. *laborum* sine *est.* Labores sunt mala, aerumnae, morbi. 453) Schrader: *properat* pro *properat.* 454) Ulcera, vulnera. Tegendo, dum tegitur. Vitium, sanies 456) Vulgo: *et m. — omnia.* Meliora omina, auxilium deorum. 457) Dolor depascitur, morbus absumit. 458) Pier. *aut artus.* Al. *horrida febris.* 459) Heins. *intensos.* 460) Paris. *saliente.*

Bisaltae quo more solent, acerque Gelonus,
Quum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino.
Quam procul aut molli succedere saepius umbrae
Videris, aut summas carpentem ignavius herbas,
Extremamque sequi, aut medio procumbere campo
Pascentem, et serae solam decedere nocti:
Continuo culpam ferro compesce, prius quam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.
Non tam creber agens hiemem ruit aequore turbo,
Quam multae pecudum pestes. Nec singula morbi
Corpora corripiunt; sed tota aestiva repente,
Spemque gregemque simul, cunctamque ab origine gentem.
Tum sciat, aërias Alpes et Norica si quis
Castella in tumulis, et Iapydis arva Timavi,
Nunc quoque post tanto videat, desertaque regna
Pastorum, et longe saltus lateque vacantes.

Hîc quondam morbo coeli miseranda coorta est
Tempestas, totoque auctumni incanduit aestu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum;
Corrupitque lacus; infecit pabula tabo.

---

461) Bisaltae, Scythae, Getae, Sarmatae. 462) Al. *aut in des. ferarum.* Fugit, migrat. 464) Paris. *ut molli succumbere mollius umbrae.* 465) Medic. *et summas.* Rom *segnius herb.* 466) Ven. *Extremumque.* 467) Al. *Pasc., sera solum discedere nocte*, al. *recedere*, *deducere.* 468) Zul. *Cont. morbum ferro.* Ed. Ald. *ferro culpam.* Statim occide causam morbi. 470) Gud. *ruit aequora.* Franc. *rubit* pro *subit.* Vratisl. *aere.* Non tam crebri ac frequentes turbines in mari exoriuntur. 471) Ven. *pecorum.* Goth. I. *Ac singula* 473) Zul. *totaque ab origine.* Spemque gregemque, agnos cum matribus. 474) Medic. *Tunc* Parrhas. *aut Norica.* Ven. *et congrua.* Goth. II. *ac Nor.* V. i. *aut Nor.* 475) Al. *Japygis arma*, sed male. Norica castella sunt habitationes in montibus. Timavus fluvius est in Carnorum finibus, Aquileiam inter et Tergeste. Japydes sunt Illyrici populus. 476) Goth II. *tantam.* Tanto, sc. tempore; regna past. s. agros. 477) Goth I. *laeteque.* Erford. *et saltus longe lateque.* Gud. *vagantis.* Mentel. III. *vagantes.* 478) Ven. *Hinc.* Zul. *coeli morbo*, vitio aeris. 479) Auctumni aestus solet esse gravis et intolerandus, ac morbos gignere. 481) Al. *Corripuitque — pab. morbo.* Tabum sumitur pro corrupto sanguine, sanie.

Nec via mortis erat simplex; sed ubi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,
Rursus abundabat fluidus liquor, omniaque in se
Ossa minutatim morbo collapsa trahebat.
Saepe in honore deûm medio stans hostia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros.
Aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos;
Inde neque impositis ardent altaria fibris,
Nec responsa potest consultus reddere vates;
Ac vix suppositi tinguuntur sanguine cultri,
Summaque jejuna sanie infuscatur arena.
Hinc laetis vituli vulgo moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad praesepia reddunt.
Hinc canibus blandis rabies venit, et quatit aegros
Tussis anhela sues, ac faucibus angit obesis.
Labitur infelix, studiorum atque immemor herbae,
Victor equus, fontesque avertitur, et pede terram
Crebra ferit; demissae aures; incertus ibidem
Sudor; et ille quidem morituris frigidus; aret
Pellis, et ad tactum tractanti dura resistit.
Haec ante exitium primis dant signa diebus.
Sin in processu coepit crudescere morbus:

---

482) Medic. *ign. ventis.* 483) Parrhas. *aucta.* Goth. I. *apta.* Ed. Ald. *abduxerat*, quod Philargyr. *contraxerat* explicat. Sitis pro aestu. 484) Gud. *abundabant.* Medic. *fluvidus liquor*, sc. humores corrupti. 486) Ven. *media.* Ed. antiqu. *ad aras.* Hostia maior sc. taurus in medio sacrificio. 487) Pier. *Linea*, al. *Laurea.* Lanea quidem, quia lanae magnus in sacris usus fuit. 488) Rom. *magistros.* 489) Rott. et Zul. *At si* Leid. II. *mactaverit.* Antequam moriens caderet. 490) Inde neque fibrae ardent impositae altaribus. 491) Goth. I. *potes.* Gud. *consulto.* 492) Al. *At*, *Aut.* 493) Al. *scabie fuscatur.* Jejuna sanie, sc. tenui ac exiguo humore, eoque corrupto. 494) Goth. II. *vitulis laeti.* 496) Parrhas. *blandis canibus.* 497) Goth. I. *et fauc.* Angina est morbus fauces occupans. 498) Zul. *herbis.* Al. *Lab. inf. stud.*, etc. 499 Erford. Gl. *fortisque.* Al. *advertitur.* Fontes avertitur, potum aversatur. V. i. *fontisque.* 500) Burmann. *Crebro.* Mentel. I. *dimissae.* Incertus, inconstans, non certis intervallis circa aures. 501) Medic. *morituri* Paris. *moriturus.* Franc. *arret.* Moret. II. *arcet.* Rom. *ares.* 502) Al. *et attactum, at tractum*, *ad tractum*, *attractum.* Al. *tractandi.* Ad tactum, cum tangeretur. 503) Al. *Huic — dat.* 504) Erf. *Sive in.*

Tum vero ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo
Ilia singultu tendunt; it naribus ater
Sanguis, et obsessas fauces premit aspera lingua.
Profuit inserto latices infundere cornu
Lenaeos: ea visa salus morientibus una.
Mox erat hoc ipsum exitio, furiisque refecti
Ardebant, ipsique suos, jam morte sub aegra,
(Dî meliora piis erroremque hostibus illum!)
Discissos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
Concidit, et mixtum spumis vomit ore cruorem,
Extremosque ciet gemitus. It tristis arator,
Moerentem abjungens fraterna morte juvencum;
Atque opere in medio defixa reliquit aratra.
Non umbrae altorum nemorum, non mollia possunt
Prata movere animum, non, qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis; at ima
Solvuntur latera, atque oculos stupor urguet inertes,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor aut benefacta juvant? quid vomere terras
Invertisse graves? atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulae nocuere repostae:
Frondibus et victu pascuntur simplicis herbae;

---

505) Paris. *abstractus.* 506) Leid. *gemitus.* Al. *Spir. interd., gem. gr.* Medic. *altaque longo.* Parrhas. *unaque l.* Reisk. *imaque longi Ilia singultus tend.* 507) Paris. *in naribus.* Mead. *nar. autem.* 508 Goth. II. *obesas*, al. *oppressas.* Moret. IV. *arida.* Premit, quia lingua simul intumuerat. 511) Moret. *referti.* Ven. *refecto.* Furiis ardebant, furore corripiebantur, quos vinum infusum refecerat 512) Rom. *in morte* 513) Parrhas. *Di meliora prius.* Rom. *ardoremque.* Goth. II. *horrorem.* Hostibus, s. impiis. 514) Al. *Discisos.* Mead. *Diffissos.* Medic. *udis.* Sed nudi sunt nudati a labiis ore reducto, more ringentium, canum imprimis ac furiosorum. 515) Fumans sudore. 516) Mentel. III. *spumis mixtum.* 517) Ven. *Et tristis.* 519) Vulgo: *relinquit.* 520) Burmann. *Non umbra — non gramina possunt.* 521) Zul *Parta*, al. *Grata mov.* 522) Paris. *et ima* Electrum metallum, non succinum, intelligendum puto. 523 Flaccescunt latera ima. 524) Erf. *ruit.* Menag. II. *deflexo.* Paris. Gl. *vertice.* 525) Non. Marcell. *iuvent.* Al. *terram* vel *glebas.* 526) Terras graves, pingue solum, unde difficilis aratio. Vina e Massico, monte Campaniae. 527) Epulae appositae. 528) Pier. *et victum*, sed male.

Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina; nec somnos abrumpit cura salubres.
Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quaesitas ad sacra boves Junonis, et uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo aegre rastris terram rimantur et ipsis
Unguibus infodiunt fruges, montesque per altos
Contenta cervice trahunt stridentia plaustra.
Non lupus insidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat; acrior illum
Cura domat; timidi damae cervique fugaces
Nunc interque canes et circum tecta vagantur.
Jam maris immensi prolem, et genus omne natantum,
Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit; insolitae fugiunt in flumina phocae.
Interit et curvis frustra defensa latebris
Vipera, et attoniti squamis adstantibus hydri.
Ipsis est aër avibus non aequus, et illae
Praecipites alta vitam sub nube relinquunt.
Praeterea jam nec mutari pabula refert,
Quaesitaeque nocent artes; cessere magistri
Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.
Saevit et in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone, Morbos agit ante Metumque,

---

529) Ed. Elzev. *aut exerc.* Gud. *cursum.* Al. *atque excita cursu*, sed fatigata potius, vexata. 530) V. i. et Burmann. *abrupit.* 531) Rott. II. *ducunt.* 532) Uris. s. bobus sylvestribus. 533) Impares, diverso animo et colore, alter maior — alter minor. Donaria pro templis, pro locis donariorum. 534) Moret. II. *terram rastris.* Schrader: *rutris.* Ven. *rimentur.* 535) Goth. II. *effodiunt.* Unguibus s. digitis — fruges s. semina. V. i. *montisque.* 536) Al. *Contempta*, *extenta*, quae intenditur. 537) Rom. et. Gud. *insidians.* 538) Al. *Non.* 539) Rott. II. *Timidae.* Al. *dammae morbique fugaces.* 543) Paris. et Longob. *ad flum.* Insolitae phocae, insolito more vituli marini pestilentiae metu fugiunt. 541) Burmann. *furvis.* 545) Schrader: *exstantibus*, stantibus, erectis. Attoniti, torpentes. 548) Macrob. Sat. VI. 2 *Praet. nec mutari iam pab.* 549) Medic. *cessare.* Quaesitae artes, parata remedia. Cedunt morbo medici praestantissimi. 550) Chiron Centaurus, Saturni ex Philyra filius, artis medicae valde peritus. Melampus, filius Amythaonis, qui fuit Aesonis frater, augur celeber. 551) Rott. III. *a Stygiis.* Gud. *semissa.* Styx, fons Arcadiae, fluvius habitus inferorum. 552) Ed. Ven. *agitare Metumque.* Erford. *agitansque Met.* Tisiphone furia emittitur ad ultionem.

Inque dies avidum surgens caput altius effert.
Balatu pecorum et crebris mugitibus amnes
Arentesque sonant ripae, collesque supini.
Jamque catervatim dat stragem, atque aggerat ipsis
In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo:
Donec humo tegere ac foveis abscondere discunt.
Nam neque erat coriis usus; nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest, aut vincere flamma;
Nec tondere quidem morbo illuvieque peresa
Vellera, nec telas possunt attingere putres.
Verum etiam invisos si quis tentarat amictus:
Ardentes papulae, atque immundus olentia sudor
Membra sequebatur; nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus sacer ignis edebat.

---

553) Ven. *Ingue diem.* Rott. II. *affert.* Mors est avida. 554) Burmann. *mug. aer.* 555) Rom. *Horrentesque.* Pestilenti enim anno omnia apud poetas *horrent*, *squalent*, sc. tabe, illuvie. *Arentes* vero ob aestum morbi. Moret. I. *collesque superni.* 556) Goth. I. *stragem dat.* Paris. *aggregat.* 557) Burmann. *delapsa.* Rott. II. *cad. morbo.* 558) Goth. I. *teg.*, *fov.* — *dicunt* sine *ac.* Moret I. *discant.* 559) Nihil enim ex toto animante usui alicui inservire poterat. Coriorum nullus erat usus; corpora, quomodo in tanta copia, aut aqua, aut igni consumi potuissent. 560) Goth. I. *flammis.* 561) Nec lanae ullus erat usus, corrupta pelle per ulcera et saniem, nec tutum erat eas lanas (telas) pestilenti putredine infectas attingere. Al. *Ne tond.* Erford. *ingluvieque.* 562) Al. *ne possint telas adjungere putres.* 563) Rom. *Quin etiam.* Ven. *miseros.* Medic. *temptaret.* Amictus invisos, quos abhorreres. 564) Papulae, carbunculae, pustulae, rodenti sanie tumentes. Foetidus sudor per omnes partes se diffundebat. 565) Ven. et Rott. II. *sequebantur.* Zul. *longe.* 566) Vulgo: *contractos.* Goth. I. *cum tactos.* Rom. *sacer artus.*

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICON

LIBER QUARTUS.

Protenus aërii mellis coelestia dona
Exsequar. Hanc etiam, Maecenas, adspice partem.
Admiranda tibi levium spectacula rerum,
Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
Mores, et studia, et populos, et proelia dicam.
In tenui labor: at tenuis non gloria; si quem
Numina laeva sinunt, auditque vocatus Apollo.

LIBER QUARTUS.

V. i. Protinus aerei mellis redolentia regna
Hyblaeasque apes alvorum et cerea tecta.
Quidque albi flores examina quaeque legenda
Indicat humentisque avos coelestia dona. (Heyne. V. 305.)

1) V. i. *Protinus*. Rott. III. *aerei mellis*, quia ex rore, defluente ex aere, colligi ab apibus credebatur. 2) Vratisl. *Persebuar*. 3) Moret. II. *miracula rerum*. 4) Ven. *totique ex ord.* Moret. IV. *totasque ex ord.* 6) Paris. *ac ten.* Al. *si qua*, *si quam*. Gl. Non exiguam ex tali quamvis tenui argumento gloriam reportari posse, modo ne quod numen adversetur. 7) Paris. *laeta*. Potius *laeva*, i. e. ex augurali disciplina petita, augurium a laeva parte. Sinunt, sc. hoc dicere.

Principio sedes apibus statioque petenda,
Quo neque sit ventis aditus, (nam pabula venti
Ferre domum prohibent), neque oves haedique petulci
Floribus insultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, et surgentes atterat herbas.
Absint et picti squalentia terga lacerti
Pinguibus a stabulis, meropesque, aliaeque volucres;
Et manibus Procne pectus signata cruentis.
Omnia nam late vastant, ipsasque volantes
Ore ferunt dulcem nidis immitibus escam.
At liquidi fontes et stagna virentia musco
Adsint, et tenuis, fugiens per gramina, rivus;
Palmaque vestibulum aut ingens oleaster inumbret:
Ut, quum prima novi ducent examina reges
Vere suo, ludetque favis emissa juventus,
Vicina invitet decedere ripa calori;
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.
In medium, seu stabit iners, seu profluet humor,
Transversas salices, et grandia conjice saxa:
Pontibus ut crebris possint consistere, et alas
Pandere ad aestivum solem; si forte morantes
Sparserit, aut praeceps Neptuno immerserit Eurus.

---

8) Al. *ab. sed. st. petendae.* Ven. et Leid. *petenda est.* Schrader: sed *petere* est *parare.* 10) Goth. I. *nec.* 11) Moret II. *insultant.* Franc. *aut haerens.* Al. *bacula, buccula.* 13) Parrhas. *pallentia terga.* Varia animantia apibus insidiantia ab alveari arceri iubet. 14) Medic. *ab stabulis* s. alvearibus. Al. *meropes* sine *que.* Schrader: *malaeque* v. *avidaeque* v. *blattaeque* v. *vespaeque volucres.* Merops est nota avis, apibus inimica. 15) Markland: *Et maculis Procne.* V. i. *Progne*, hirundo. 16) Nonius *ipsasque volucres*, in *nidos*, s. pullos. 17) Et ipsas apiculas rapiunt, ut pullis (pro nidis suis comedendas apponant. 18) Men. II. *Et liq.* Stagna intellige dulcis aquae, sive ripa musco obducta, sive saxis musco coopertis exstantibus. 19) Al. *at tenuis.* Medic. rivos. 20) V. i. *obumbret.* 21) Mor. IV. *Et cum.* Mentel. *ducunt.* Cum primum evolaverint. 22) Al. *reges; Vere suo lud. f.* Ven. et Rott. II. *luditque.* Men. II. *laudique.* Mead. *laudetque.* Schrader: *cavis emissa*, de alveari. Sed *favi* de melle, cellis et loculamentis poetae dicuntur. Vere sibi grato et aptissimo. 23) Ven. *Vicino.* Men. II. *vita colori.* Rom. male *discedere.* 25) V. i. et Gud. *profluit.* — *Iners* sine motu, nec tamen putre ac situ corruptum. 27) Gud. et Goth. I. *Pont. et cr. possunt.* 28) Moret. IV. *non forte.* 29) Mead. *immiserit* aquae ventus cum impetu irruens.

Haec circum casiae virides, et olentia late
Serpylla, et graviter spirantis copia thymbrae
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.
Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Angustos habeant aditus. Nam frigore mella
Cogit hiems, eademque calor liquefacta remittit.
Utraque vis apibus pariter metuenda; neque illae
Nequidquam in tectis certatim tenuia cera
Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
Explent, collectumque haec ipsa ad munera gluten
Et visco et Phrygiae servant pice lentius Idae.
Saepe etiam effossis, si vera est fama, latebris
Sub terra fovere larem, penitusque repertae
Pumicibusque cavis, exesaeque arboris antro.
Tu tamen et laevi rimosa cubilia limo
Ungue fovens circum, et raras super injice frondes.
Neu propius tectis taxum sine, neve rubentes
Ure foco cancros; altae neu crede paludi,
Aut ubi odor coeni gravis, aut ubi concava pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.

Quod superest, ubi pulsam hiemem Sol aureus egit
Sub terras, coelumque aestiva luce reclusit,

---

30) Mentel. II. *viridis.* Circa fontes et stagna amoena prata esse debent. Casia est rosmarinus aut lavendula. 31) Medic. *Serpulla.* Al. *Serpila*, *Serpilia*, *Serpilla.* Thymbra est herba condimentaria. 32) Et violae proveniant. Irriguum, qui irrigat. 33) Ven. *iura cav.* 34) Franc. *Seu f. l.* Pier *alvaria.* Gud. *vimene.* 35) Medic. *aditos.* 36) Rom. *calorique facta.* Parrhas. *calefacta remittit.* Rott. II. *resolvit*, i. e. liquefacit. 38) Zul. abest *in.* V. i. *Nequiquam.* 39) Ven. *succo.* 40) Moret. IV. *collectum haec.* Goth. I. *ipsa haec.* 41) Al. *Frigiae servent p. l. idem.* Goth. II. *viscosque.* 42) Mentel. *e fossis.* 43) Pier. *sub terram*, Al. *Sub terras fodiere.* Reperiri solent in sacorum arborumque cavitatibus. 44) Ed. Ven. *ilicis antro pro caverna.* Pier. *arboris alvo* pro *alveo.* 45) V. i. *e laevi.* Zul. *limosa.* Bodlei *cubicula.* Apum diligentiam apiarii opera adiuvandam dicit. 47) Rott. III. *Nec propius.* Arus. *Ne.* Moret. II. *taxum sine tectis.* Pier. *taxum tectis sine.* 48) Crede, sc. eas. Palus altitudine submergit apes. 49) Barth. *olor.* Gud. *dolor.* Rott. III. *odos.* Vratisl. *grandia pulsu*, al. *pulso.* Coenum nocet odoris gravitate. 50) Ed. Nor. *voci.* 51) Egit pulsam, pepulit sub polum Australem. 52) Moret. II. *Sub terram.* Medic. *terra.* Parrhas. *refulsit* caelum tectum adhuc et nubibus obductum.

Illae continuo saltus silvasque peragrant,
Purpureosque metunt flores, et flumina libant
Summa leves. Hinc nescio qua dulcedine laetae
Progeniem nidosque fovent; hinc arte recentes
Excudunt ceras, et mella tenacia fingunt.
Hinc ubi jam emissum caveis ad sidera coeli
Nare per aestatem liquidam suspexeris agmen,
Obscuramque trahi vento mirabere nubem:
Contemplator; aquas dulces et frondea semper
Tecta petunt. Huc tu jussos adsperge sapores,
Trita melisphylla, et cerinthae ignobile gramen;
Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum.
Ipsae consident medicatis sedibus; ipsae
Intima more suo sese in cunabula condent.
 Sin autem ad pugnam exierint: nam saepe duobus
Regibus incessit magno discordia motu,
Continuoque animos vulgi et trepidantia bello
Corda licet longe praesciscere; namque morantes
Martius ille aeris rauci canor increpat, et vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum.
Tum trepidae inter se coëunt, pennisque coruscant,
Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos,
Et circa regem atque ipsa ad praetoria densae

---

53) Franc. *silvas saltusque.* Varii *pererrant.* 54) Purpureos, s. pulcros flores. 55) Ex his fontibus et floribus alunt novos fetus suos. 57) Rott. III. *Exeludunt.* Moret. I. *Extudunt.* Varii *figunt.* 58) Paris. *Hic.* Heins. *Quin ubi.* Gud. et Rott. III. *missum.* 59) Paris. *per aestivam*, per aerem liquidum, aestiva serenitate. Nare, volare. 60) Goth. I. *mirabile.* 62) Al. *Huic*, *Hic* sc. in arborem. Reisk. *Huc tu caveis adsperge favorum* aut *tunsos adsperge sapores*, quos iubeo. 63) Al. *meliphylla — cerinthe.* Ven. *ign carmen.* V. i. *germen.* Cerintha in Italia valde frequens et silvestris, hinc ignobile gramen. 64) Menag. II. *et* abest. Cymbala in Magnae Matris Deorum Cybeles cultu adhiberi solita. 65) Mentel. I. et Moret. II. *considunt.* Goth. I. *concident.* Franc. *meditatis* pro *medicatis* sedibus, in loco sucis oblito. 66) Mor. II. *condunt.* 68) Reisk. *incussit magnos discordia motus.* Reges sunt apum matres. 69) Corda bello trepidantia, h. e. animos pugnae ardore trepidantium, dum se ad bellum accingunt. 70) Ven. et Vratisl. *praediscere.* 71) Sangerm. *can. invocat.* 72) Gud. *Auditor.* Schrader *tractos sonitus.* Sangerm. *tonitus.* Sonitus fracti sunt non continui, modo fortiore, modo remissiore spiritu. 73) Goth. *trepide.* Mentel. I. et Gud. *pinnisque.* 75) Praetoria s. cellae regum.

Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.
Ergo, ubi ver nactae sudum camposque patentes,
Erumpunt portis; concurritur; aethere in alto
Fit sonitus, magnum mixtae glomerantur in orbem,
Praecipitesque cadunt. Non densior aëre grando,
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.
Ipsi per medias acies, insignibus alis,
Ingentes animos angusto in pectore versant,
Usque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos
Aut hos versa fuga victor dare terga subegit.
Hi motus animorum atque haec certamina tanta
Pulveris exigui jactu compressa quiescunt.
Verum ubi ductores acie revocaveris ambo:
Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
Dede neci; melior vacua sine regnet in aula.
Alter erit maculis auro squalentibus ardens;
Nam duo sunt genera; hic melior, insignis et ore,
Et rutilis clarus squamis: ille horridus alter
Desidia, latamque trahens inglorius alvum.
Ut binae regum facies, ita corpora plebis.
Namque aliae turpes horrent: ceu pulvere ab alto
Quum venit, et sicco terram spuit ore viator
Aridus; elucent aliae, et fulgore coruscant
Ardentes auro, et paribus lita corpora guttis.

---

76) Miscentur, conveniunt. 77) Erford. *ver sudum nactae*, h. e. caelum sudum verni temporis. Gud. *nanctae*. Goth. I. *nate*. Gud. *campusque pot·ntis*. Campi patentes sunt aer purus et liquidus, non nubibus clausus. 78) Goth I. *Irrumpunt*. Ven. et Goth. II. *Concurrunt*. Heins. *se rumpunt*. Paris. *aeth. ab alto*. 79) Mixtae, pugna congressae. 81) Paris. et Menag. I. *Non de*. Gud. el Rott. II. *fluit*, al *pluet*. 82) Rott. II. *Ipsi inter sese reges fulgentibus alîs*. 83) Moret. II. *in corpore* 85) Al. *coegit* Heins. *fugae*. 87) Al. *quiescent*, *quiescant*, comprimuntur. 88) Al. *ambos*. 89) Zul. *ne providus*. Medic. *obstet*. Prodigus, qui tantum mel consumit, nullum ipse parat. 90) Melior, fortior. V. i. *reget*. 91) Sangerm. *Alter enim*. Rott. II. *mac. alvo*. Maculae auro obductae. 92) Menag. *hinc melior*. Al. *meliorque*. Ed. Ven. *insignis et auro*. Reisk. *meliori insignis et ore*, sc. forma. 93 Burmann *clarus geminis*. Alter ille horridus, foedus aspectu. 94) Moret. IV. *lateque*. 95) Al. *corp. gentis*. 96) Al. *quam pulvere ab alto cum venit*. sed alte a vento in aerem levato. 97) Al. *et terram sicco spuit*, aspuit, inspuit; terram pro pulvere. 99) Al. sine *et*. Moret. IV. *ita*. Corpora aureis maculis oblita, pro ard. corporibus.

Haec potior suboles; hinc coeli tempore certo
Dulcia mella premes; nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, et durum Bacchi domitura saporem.
　At quum incerta volant, coeloque examina ludunt,
Contemnuntque favos, et frigida tecta relinquunt:
Instabiles animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor. Tu regibus alas
Eripe. Non illis quisquam cunctantibus altum
Ire iter, aut castris audebit vellere signa.
Invitent croceis halantes floribus horti,
Et custos furum atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.
Ipse thymum pinosque ferens de montibus altis
Tecta serat late circum, cui talia curae;
Ipse labore manum duro terat; ipse feraces
Figat humo plantas, et amicos irriget imbres.
　Atque equidem, extremo ni jam sub fine laborum
Vela traham, et terris festinem advertere proram:
Forsitan et, pingues hortos quae cura colendi
Ornaret, canerem, biferique rosaria Paesti;
Quoque modo potis gauderent intuba rivis;
Et virides apio ripae, tortusque per herbam
Cresceret in ventrem cucumis; nec sera comantem

---

100) V. i. *soboles.* Coeli tempore certo, sc. vere et autumno. 101) Al. *premens.* 102) Al. sine *et.* Gud. *edomitura.* Liquida, sc. pura et sine faece. Durum saporem, sc. vinum asperum, quod melle temperabatur. 104) Barth. *Contemtuque favos — relinquam.* Frigida tecta, eo quod alvearium ab apibus destitutum est. 105) Medic. *In stabulis.* Rott. II. *prohibetis.* V. i. *ludo animos.* 106) Paris. *Tu rigidus.* 108) Al. *et castris* Mead. *tollere signa*, quasi de militibus loqueretur. 109) Al. *olentes*, *alantes.* Croceis s. versicoloribus. 110) Medic. *custos frugum.* Goth. II. *florum.* Rott. II. *aut avium.* 111) Priapus, Bacchi fere et Veneris creditus filius, hortorum Deus, Lampsaci ad Hellespontum in Mysia praecipue cultus. 112) Al. *tinosque feres.* 113) Moret. IV. *ferat* 114) Mor. IV. *ferentes.* 115) Amici imbres, aqua ex fonte aut pluvio. Inriget imbres, pro inriget plantas imbribus s. aqua ex fonte aut fluvio. 117) Mentel. I. *properarem.* Al. *avertere proras.* 118) Al. *colentis.* Hortos solo pingui adeoque fertili. 119) Medic. *Basti.* Paestum, seu Posidonia, Lucaniae urbs ad sinum Paestanum, non longe a Silaro fluv. Biferi, in quo uno anno bis nascitur rosa. 120) Ed. Ven. *positis.* Longob. *fibris.* Al. *intiba*, *intyba.* 121) Fr. Vatic. *viridis.* Toll. *totusque.* Al. *per herbas.* 122) Pier. *sero.*

Narcissum, aut flexi tacuissem vimen acanthi,
Pallentesque ederas, et amantes litora myrtos.
Namque sub Oebaliae memini me turribus altis,
Qua niger humectat flaventia culta Galaesus,
Corycium vidisse senem, cui pauca relicti
Jugera ruris erant; nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus, albaque circum
Lilia, verbenasque premens, vescumque papaver,
Regum aequabat opes animis; seraque revertens
Nocte domum dapibus mensas onerabat inemtis.
Primus vere rosam atque auctumno carpere poma,
Et quum tristis hiems etiamnum frigore saxa
Rumperet, et glacie cursus frenaret aquarum,
Ille comam mollis jam tondebat hyacinthi,
Aestatem increpitans seram zephyrosque morantes.
Ergo apibus fetis idem atque examine multo
Primus abundare, et spumantia cogere pressis
Mella favis; illi tiliae, atque uberrima pinus;
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos
Induerat, totidem auctumno matura tenebat.
Ille etiam seras in versum distulit ulmos,
Eduramque pirum, et spinos jam pruna ferentes,
Jamque ministrantem platanum potantibus umbras.
Verum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis

---

124) Rott. II. *Pallantesque*. Rott. III. *Pallantisque*, ut palantes hederae sint. 125) Al. *urbis*, *arcis*, *autis*. Goth. I. *Oebalio*. Al. *Parces ubi Italia*, quod Barth emendat: *Pace sub Iliaca*. Ars Tarenti dicta Oebolia, s. Spartana, ab Oebolo, vetere Spartanorum rege, patre Tyndarei. 126) Al. *Qua piger — Galesus*, quo fluvio Tarentinorum ager fertilissimus irrigatur. 127) Al. *Corytium*. Ciliciae oppidum, antro et croco satis notum. 128 Nec fertilis iuvencorum labore. 129) Seges pro agro. 130) Longob. *Hinc*. Erf. *Huic*. In solo spinoso ac dumis indulgenti. Rarum, raris ordinibus. Circum in oris alearum oleribus consitarum. 131) Falce premes, resecabis, plantabis. 132) Moret. IV. *aequabit*. Burmann *animo*. 133) Franc. *ineptis*. 135) Al. *etiamnunc* 136) Mor. II. *firmaret*. Al. *glacies*.. 137) Carpebat hyacinthos media hieme. V. i. *iam tum tond. acanthi*. 138) Erford. *zeph. vacantes*. 139) Gud. *multum*. Apes fetae melle. 141) Medic. *filia*. 142) Burmann: *Quodque*, *Quoque*. 143) Fr. Moret. *legebat*, al. *ferebat*. 144 Ille etiam ulmorum adultarum ordines posuit. 145) Leid. *Iduramque*. Goth. I. *Edurasque pinus*. Al. *spinas*. Ven. *prunos jam spina fer. Piros valde duras* 146) Goth. I. *platanus—umbram*. 147) Al. *ipse quidem*. Ven. *ipse eadem*. Medic. *ipsa quidem*. Menag. I. *seclusus*, vulgo *disclusus*.

Praetereo, atque aliis post me memoranda relinquo.
Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipse
Addidit, expediam; pro qua mercede, canoros
Curetum sonitus crepitantiaque aera sequutae,
Dictaeo coeli Regem pavere sub antro.
Solae communes gnatos, consortia tecta
Urbis, habent, magnisque agitant sub legibus aevum;
Et patriam solae et certos novere penates;
Venturaeque hiemis memores aestate laborem
Experiuntur, et in medium quaesita reponunt.
Namque aliae victu invigilant, et foedere pacto
Exercentur agris; pars intra septa domorum
Narcissi lacrimam, et lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina; deinde tenaces
Suspendunt ceras; aliae, spem gentis, adultos
Educunt fetus: aliae purissima mella
Stipant; et liquido distendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti;
Inque vicem speculantur aquas et nubila coeli;
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum, fucos, pecus a praesepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
Ac veluti, lentis Cyclopes fulmina massis
Quum properant, alii taurinis follibus auras

---

148) Al. *post. haec m., post comm.* Ed. Ven. *aliis primo mem.* V. i. *commemoranda.* 149) V. i. *Juppiter.* 151) V. i. *secutae* 152) Dictaeus rex est Jupiter in Dicte, monte Cretensi, nutritus ab apibus, quas Curetes, Cretae insulae primi cultores, Cybelesque sacerdotes, qui et Corybantes dicuntur, cymbalorum suorum sono allexerant. 153) V. i. *natos.* 154) Moret. IV. *magnis ag.* sine *que.* 155) Pier. *A* pro *Ah patriam.* Longob. *solae certos* sine *et.* 156) Arund. et Erf. *labores.* 157) Voſs *reportant.* 158) Mor. IV. *victum.* Mor. II. *victui.* Paris. *foedere parco* Aliae victui quaerendo operam dant. 159) Arund. *inter.* Mead. *tecta domorum.* Discursu et vagatione fatigantur per agros. 160) Mor. IV. *lente.* Longob. *lectum.* Narcissi lacrimam, guttam, nectar, humorem melleum. 161) Al. *tenaces* Favis, cellulis mel recepturis. 163) Medic. *durissima*, al. *liquentia.* 164) Ven. *nectare telas.* 165) Arund. *ad portam tendit.* Al. *sorte.* 166) Ven. *quae nub.* An futuri sint imbres, ne reliquae exeant. 167) Al *acciviunt.* 168) Barth. *Agrinum.* Arund. *a praesep. urgent.* Fucos, sc. apes maiores iis, quae mel faciunt. 169) Al. *fervit — flagrantia, flaglantia, frangentia.* 170) Fr. Vatic. *lenti.* Lentis massis ferri, quod duci potest. 171) Cum cito conficiunt fulmen.

Accipiunt redduntque, alii stridentia tinguunt
Aera lacu; gemit impositis incudibus Aetna;
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum:
Non aliter, si parva licet componere magnis,
Cecropias innatus apes amor urguet habendi,
Munere quamque suo. Grandaevis oppida curae,
Et munire favos, et daedala fingere tecta.
At fessae multa referunt se nocte minores,
Crura thymo plenae: pascuntur et arbuta passim,
Et glaucas salices, casiamque, crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, et ferrugineos hyacinthos.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt portis; nusquam mora; rursus easdem
Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit sonitus, mussantque oras et limina circum.
Post, ubi jam thalamis se composuere, siletur
In noctem, fessosque sopor suus occupat artus.
Nec vero a stabulis pluvia impendente recedunt
Longius, aut credunt coelo adventantibus Euris;
Sed circum tutae sub moenibus urbis aquantur,
Excursusque breves tentant, et saepe lapillos,
Ut cymbae instabiles fluctu jactante saburram
Tollunt; his sese per inania nubila librant.

---

172) Pen. *stringentia.* V. i. *tingunt.* 173) Al. *antrum* pro *Aetna.* Lacus pro aqua. 174) Rott. II. *multa vi.* 175) Al. *fornus* vel *massam* pro *ferrum.* In numerum, s. numeroso malleorum concentu. 176) Goth. II. *opponere.* 177) Al. *Cecropeas.* Amor habendi, s. studium acquirendi, cum mel parant. Cecropias, a primo Atticorum rege Cecrope; mel Atticum celebre fuit. V. i. *Cecropeas.* 178) Franc. *quaeque suo.* 179) Mead *figere.* Daedala, s. artificiosa quaelibet opera, quia Daedalus, ingeniosissimus Atheniensium faber, labyrinthum condidit. 180) Zulich. *multae.* 183) Gud. *taliam.* 184) Rott. I. *omn idem.* 187) Ed. Nor. *dum.* Rott. II. *pectora.* 188) Leid. *musatque*, al. *musantque.* Ed. Nor. *lumina.* Mussant, fremunt, murmurant. 190) Al. *suus sopor.* Ven. *suos sop.* 191) Medic. *recludunt.* 192) Leid. Franc. *haud cred.* Goth. I. *advenientibus Euris*, s. quibuslibet ventis. 193) Franc. *Sed tutae circum.* Heins. *aquari.* 194) Cymbae levitate oneris fluctuantes. 195) Medic. *cumbae – suburram*, al. *saburam*, arenam graviorem, qua naves ad certam usque mensuram onerantur. 196) Leid. *hi sese.* Gud. *is saepe.* Menag. II. *vibrant.*

Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvunt, aut fetus nixibus edunt:
Verum ipsae e foliis natos et suavibus herbis
Ore legunt; ipsae regem parvosque Quirites
Sufficiunt, aulasque et cerea regna refingunt;
Saepe etiam duris errando in cotibus alas
Attrivere, ultroque animam sub fasce dedere.
Tantus amor florum, et generandi gloria mellis.
Ergo ipsas quamvis angusti terminus aevi
Excipiat: neque enim plus septuma ducitur aestas;
At genus immortale manet, multosque per annos
Stat Fortuna domus, et avi numerantur avorum.
Praeterea regem non sic Aegyptos, et ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes,
Observant. Rege incolumi mens omnibus una est;
Amisso rupere fidem; constructaque mella
Diripuere ipsae, et crates solvere favorum.
Ille operum custos; illum admirantur, et omnes
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes;
Et saepe attollunt humeris, et corpora bello
Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.
His quidam signis atque haec exempla secuti,

---

197) Alia, eaque nec minus mira, natura est, quod concubitui non indulgent, nec concipiunt, nec pariunt. 198) Rom. *Quod neque.* Mentel. I. *concubito*, pro concubitui. 199) Gud. *nisibus*, al. *nexibus.* 200) Al. *et fol. natas.* Rom. *sed suav.* V. i. *ipsae foliis* sine *et.* 201) Medic. *pabulumque Quirites*, manifesto socordiae vestigio. Heins. *paulosque.* 202) Franc. *aulas* sine *que.* Longob. *aluorum et cerea.* V. i. et Ed. Ald. *refigunt* 203) Erf. *Ipsae etiam.* Cet. Ed. Ven. *certando.* Cos et cautes sumuntur pro quolibet lapide aspero. 204) Paris. *utroque.* 205 Rott. II. *gignendi.* Schrader *gratia mellis.* 206) Al. *angustus.* Ergo, cum tam facili ac promta natalium ratione ex floribus se reficiant, genus immortale manet. 207) Mor. IV. *Excipiant.* Ed. Ven. et Erf. *Accipiat* Al. *aetas.* 208) Rom. *Et.* Franc. *manent.* Al. *At genus imm. tamen* 210 Erf. *nec sic.* Vulgo *Aegyptus.* V. i. *Aegiptus.* 211) Rom. *Ludia*, al. *Lybia.* V. i. et Moret. IV. *Lydia Parthorum populi.* Burmann *India*, quae rectius *ingens* dicitur. Medic. *et Medus.* Lydia ingens est respectu victoriarum Croesi. Medus est Persicus fluvius ad occidentem Parthorum. 212) Al. sine *est.* 213) Rott. II. Vratisl. *constrictaque.* 214) Al. *Dirupere.* Favi in modum craticularum cancellati sunt; apes amisso duce solvunt fidem. 215) Moret. *Ipse op.* Medic. *ille admiratur.* 216) Al. *frementes.* Bello, armis hostilibus. 217) Obiectant ingruentibus hostibus. 218) Goth. I. *per funera.*

Esse apibus partem divinae mentis, et haustus
Aetherios dixere. Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum;
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas;
Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
Omnia; nec morti esse locum, sed viva volare
Sideris in numerum, atque alto succedere coelo.
Si quando sedem augustam, servataque mella
Thesauris, relines: prius haustu sparsus aquarum
Ora fove, fumosque manu praetende sequaces.
Bis gravidos cogunt fetus, duo tempora messis,
Taygete simul os terris ostendit honestum
Plias, et Oceani spretos pede repulit amnes;
Aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi
Tristior hibernas coelo descendit in undas.
Illis ira modum supra est, laesaeque venenum
Morsibus inspirant, et spicula caeca relinquunt
Affixae venis, animasque in vulnere ponunt.
Sin duram metuens hiemem, parcesque futuro,

---

221) Al. *Aethereos.* 222) Zul. *Et terras.* Moret. IV. *Terras et.* Medic. *Terrarum tractusque.*, sed male. Caelum profundum s. altum. 223) Rom. *Hic pec.* 224) Mor IV. *nascentur.* Erf. *nascentum*, quod defendi posset. Mead. *accessere.* Paris. *vitam*, Tenues vitas, s animas aethereae naturae. 225) Gud. Rott. II. *hac res.* (forte pro *huc*). Paris. *ad res.* Mead. *aere soluta.* Medic. *referre.* Al. jungunt *Scilicet* c. anter. versu. 226) Al. *Omnium*, h. e. spiritum omnium, quae vitam sibi ex aethere accessiverunt. 227) Rom. *alto se condere caelo*, i. e. se recipere in coelum animas. Leid. *succidere.* Toll. *solo.* 228) Pier. *angustam.* Erf. *ang. sedem.* 229) Al. *haustos sparsus aquarum*, *Ore fave.* V. i. *haustos.* Relines, aperies thesauros mellis servati. 230) Schrader: *Ora*, *move.* Ore fove, sc. ipsos haustus. V. i. *Ora fave.* 231) Rott. I. *foetus*, al. *flores.* Bis in anno mella eximuntur, vere transacto et circa aequinoctium. 232) Taygete est una Pleiadum. 233) Vulgo *Pleias.* V. i. *reppulit.* Oceani amnes, quia Oceanus terram ambit. 234) Barth. *Piscis amoris.* Aquosus est, qui aquas, imbres concitat. Piscis aquosi sidus J. H. Vossio dici videtur tempus hiemale. 235) Occidit in undas tempestatibus vexatas. 236) Al. *modum super est.* 237) Obvium est, morsus pro aculeorum ictibus dici. Spicula caeca sunt occulta, brevia, quae possunt latere. 238) Al. *Affixae venis*, *Adfixa in venis.* Leid. II. *Afixa venis.* Ed. Ven. *Affixas venis animas in.* Ed. Mediol. *Affixae venis animas in.* Moret. *animosque in vulnera.* In vulnere, in inferendo vulnus. 239) Moret. II. *metuis*, al. *metues.* Parces futuro, conditioni ac necessitati apum futurae.

Contusosque animos et res miserabere fractas:
At suffire thymo, cerasque recidere inanes,
Quis dubitet? nam saepe favos ignotus adedit
Stellio, et lucifugis congesta cubilia blattis;
Immunisque sedens aliena ad pabula fucus,
Aut asper crabro imparibus se immiscuit armis;
Aut dirum, tineae, genus, aut invisa Minervae
Laxos in foribus suspendit aranea casses.
Quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes
Incumbent generis lapsi sarcire ruinas,
Complebuntque foros, et floribus horrea texent.

Si vero, quoniam casus apibus quoque nostros
Vita tulit, tristi languebunt corpora morbo;
Quod jam non dubiis poteris cognoscere signis:
Continuo est aegris alius color; horrida vultum
Deformat macies; tum corpora luce carentum
Exportant tectis, et tristia funera ducunt;
Aut illae pedibus connexae ad limina pendent,
Aut intus clausis cunctantur in aedibus omnes,
Ignavaeque fame et contracto frigore pigrae.

---

240) Al. *Contunsos*, *Concussosque* — *miserabile* vel *mirabere*. V. i. *Contunsosque*. 241) Vulgo: *Aut*. Reisk. *An*. Medic. *Aut sufferre thumo*. Burmann. *thymum*. Schrader: *At suffire simo*. Zul. *recindere*. Parrhas. *incidere*. 242) Goth. I. *dubites*. Rom *adhaesit*. Ignotus, non observatus Stellio. 243) Al. *Stelio*, *Stilio*, *Stillio et lucifugi c. c. blatti*. Schrader: *contexta cul*. Pier. *exesa cub*. Al. *blatis*, *blactis*, *plattis*. Lucifugis, s. per noctem vagantibus. 244) Gud. *fucos*. Medic. *ad pocula*. Fucus immunis, quod ipse nihil operae ad mellificium confert. 245) Al. *crebro*, *scabro* — *se miscuit*. Moret. IV. *imparibusque immiscuit*. 245) Vulgo: *durum*, *tiniae*. 247) Al. *In foribus laxos*. Zul. *Laxosque in for*. Toll. *arachnea*. 248) Medic. *fuerunt*. Ven. *fuerit*. Al. *omnis*. Exhaustae melle subducto, eo acrius operam dant, ut jacturam tantam reparent. V. i. *exustae*. 249) Zul. *Incumbunt* — *fulcire ru*. Ed. Ven. *ruinam*. Schrader: *operis lapsi*. 250) Medic. *Complerunt*. Pier. et Cerda *fores*. Florum succo ac polline conficient favos, proprie cellulas, in quibus tanquam horreis mel reconditur. 251) Burmann. *Sin*. Rom. *nostris* 252) Moret. II. *tristis*. Moret. I. *languebant*. Voss. *tabo* pro *morbo*. Vita tulit, s. natura apum. 254) Medic. *color horridus alia*. Franc. *horrida multum*. 255) Arundel. *Difformat*. Al. *et corpora*. 257) Pier. *Atque illae*. Al. *connixae*. 259) Rom. *Ignavaque fama*. Goth. I. caret *et*. Cerda: *contractae*.

Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant:
Frigidus ut quondam silvis immurmurat Auster;
Ut mare sollicitum stridit refluentibus undis;
Aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.
Hic jam galbaneos suadebo incendere odores,
Mellaque arundineis inferre canalibus, ultro
Hortantem et fessas ad pabula nota vocantem.
Proderit et tunsum gallae admiscere saporem,
Arentesque rosas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel psithia passos de vite racemos,
Cecropiumque thymum, et grave olentia centaurea.
Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolae, facilis quaerentibus herba;
Namque uno ingentem tollit de cespite silvam,
Aureus ipse; sed in foliis, quae plurima circum
Funduntur, violae sublucet purpura nigrae.
Saepe deûm nexis ornatae torquibus arae.
Asper in ore sapor. Tonsis in vallibus illum
Pastores et curva legunt prope flumina Mellae.
Hujus odorato radices incoque Baccho,
Pabulaque in foribus plenis appone canistris.
Sed, si quem proles subito defecerit omnis,

---

260) Mentel. *tractuque.* Goth. I. *tractumque.* Franc. *susurant.* Tractim, trahendo se. 261) Longob. *silvas immurmurat.* Frigidus Auster pro quolibet vento. 262) Al. *Aut mare.* V. i. *stridet.* Mare sollicitum, commotum. 263) Serv. *Aest. inclusis.* 264) Medic. *Hinc iam.* Rott. III. *infundere.* 265) Al. *inferre can. ultro*, sine interp. 266) Fessas, aegras. 267) Al. *tusum*, *tuscum*, *tutum*, *tonsum.* Franc. et Paris. *immiscere.* Galla, excrescens ille in glandiferarum non nullarum arborum foliis tumor, insectis gravidus, adstringentem habet naturam. 268) Paris. *Ardentesque.* 269) Medic. *psythiae.* Paris. *Sithia.* Mentel. I. *passus* Psithia est vitis utilissima passis uvis et conficiendo inde vino passo. Defrutum vinum est dulce ac coctum. 270) V. i. *Cecropeumque.* 271) Amellus est Aster Atticus coeruleus vulgaris. 273) Pier. *Namque imo — de vertice.* Philargyrius ait, seu uno eodemque soli loco, seu una eademquo radice. 275) Leid. *Fundentur.* Zul. *Eduntur.* Moret. IV. *sublucent.* Zul. *succumbit.* Flore flavo, foliis purpureis violaceo colore. 276) Burmann. *hinc nexis.* Solent arae sertis ex hoc amello nexis ornari. 277) In vallibus, quas pecudes tondent. 278) Medic. *incurva.* Rom. *per flumina.* Medic. *Amellae.* Mella, Mela, fluvius prope Brixiam. 279) Odorato Baccho, pro vino generoso. 281) V. i. et Medic. *Sed si quidem.*

Nec, genus unde novae stirpis revocetur, habebit:
Tempus, et Arcadii memoranda inventa magistri
Pandere, quoque modo caesis jam saepe juvencis
Insincerus apes tulerit cruor. Altius omnem
Expediam prima repetens ab origine famam.
Nam qua Pellaei gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura faselis;
Quaque pharetratae vicinia Persidis urguet,
Et viridem Aegyptum nigra fecundat arena,
Et diversa ruens septem discurrit in ora
Usque coloratis amnis devexus ab Indis:
Omnis in hac certam regio jacit arte salutem.
Exiguus primum, atque ipsos contractus ad usus,
Eligitur locus. Hunc angustique imbrice tecti
Parietibusque premunt artis, et quatuor addunt,
Quatuor a ventis, obliqua luce fenestras.
Tum vitulus, bima curvans jam cornua fronte,
Quaeritur: huic geminae nares et spiritus oris
Multa reluctanti obsuitur, plagisque peremto
Tunsa per integram solvuntur viscera pellem.

---

282) Rom. *habenis*, al. *habebis*. 283) Arcadii magistri, pastoris Aristaei. 284) Moret. I. *caesis iam forte iuv.* 285) Cruor corruptus ex putredine generaverit. 286) Ven. *patria repetens*. Goth. I. *primam*. Omnem famam, s. rei memoriam. 287) Medic. *Nam quam*. Gud. *quae*. Franc. *Penei*, al. *Pellei*, *Pelei*, *Palei*. Pellaeus dicitur Canopus s. Macedonicus eo, quod Macedones sub Ptolemaeis Aegyptum obtinuere. 288) Zul. *Attulit*. Goth. I. *et fuso*. Effuso flumine stagnat aqua in locis vicinis, etsi ipso alveo aqua concitatiore cursu fertur. 289) Rott. II. *pactis*. Cerda *phasellus*. V. i. *phaselis*. 290) Goth. I. *Presidis*. Al. *vicina Papremidis*, *Prosopidis*, *Pathyridos* Ab ea parte, qua Aegypto Persis contermina est. 291) Codices variant in transpositione antecedentis et sequentis versus. V. i. *foecundet*. 293) Rott. II. *Ille col.* Al. *devectus*. Franc. *ab undis*. 294) Rom. *in hanc*. Franc. *regio certam*. Medic. *certe*. Rom. *iacet*. Ven. *petit*. 295) Erf. *Exiguis*. V. i. et Medic. *in usus*. Contractus, spatio angusto factus ad hunc ipsum usum. 297) Ed. Ven. *premunt aras*. V. i. *quattuor*. 298) Cerda *adversa luce*. Quatuor venti flant ex oppositis mundi partibus. 299) Burmann *bina*. Medic. *vima*. Gud. *corvans*. 300) Spiritus oris, s. os. 301) Menag. I. *Multa resultanti*. Ven. *obruitur*. Vulgo *obstruitur*. 302) Al. *Tonsa*, *Tusa*. Resolvuntur contusa, ut in putredinem tanto citius abeant, pelle tamen integra manente.

Sic positum in clauso linquunt, et ramea costis
Subjiciunt fragmenta, thymum, casiasque recentes.
Hoc geritur, zephyris primum impellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Aestuat, et visenda modis animalia miris,
Trunca pedum primo, mox et stridentia pennis,
Miscentur, tenuemque magis magis aëra carpunt:
Donec, ut aestivis effusus nubibus imber,
Erupere; aut ut, nervo pulsante, sagittae,
Prima leves ineunt si quando proelia Parthi.
Quis Deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingressus hominum experientia cepit?
Pastor Aristaeus fugiens Peneïa Tempe,
Amissis, ut fama, apibus morboque fameque,
Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis,
Multa querens, atque hac affatus voce parentem:
Mater Cyrene, mater, quae gurgitis hujus
Ima tenes, quid me praeclara stirpe deorum
(Si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo)
Invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri

---

303) Moret. IV. *positum clauso* sine *in*, luto etiam denso obducta ianua et fenestra. 304) Casias, rosmarinum vel lavendulam. 305) Hoc faciunt circa initium veris. 306) Nov. col. rub., s. floribus niteant. 307) Zul. *Sarcula quam.* Voss. *signis.* Al. *suspendit.* 308) Humor, vitiatus putredine sanguis. Teneris ossibus, quia haec ipsa contusa colliquescunt. 309) Aestuat, fermentescit. 310) Pier. *pinnis.* Truncis pedibus. 311) Mentel. I. *tenuem magis ac m.* 312) Moret. IV. *et aest. effusis.* 313) Pier. *Eripuere.* Franc. *vel ut.* Arcu propellente sagittas. 315) Moret. IV. *Q. D. aut Musae.* Pier. *qui nobis.* Erf. *vobis.* 316) Mentel. II. *ingressum.* Ed. Ven. *ingressum hominem.* Burmann *coepit.* 317) Goth. II. *Aristheus*, Apollinis et Cyrenes Nymphae filius. Tempe Peneia, Thessaliae vallis amoenissimus ad Peneum fluvium. 319) Fr. Moret. *extremum sacri.* Medic. *placidum caput.* 320) Mentel. I. *affatur.* Goth. I. *effatus v. p. est.* 321) Al. *Mater! Cyrine mater!* Cyrene una ex Nymphis hujus fluminis. 322) Mentel. I. *tenens.* Erf. *de clara.* Rom. *a stirpe.* 323) Thymbraeus, a Thymbra Troadis oppido, ubi templum Apollinis celebre, in quo ferunt Achillem a Paride fuisse occisum. 324) Menag. *an quo.* Medic. *noster.*

Pulsus amor? quid me coelum sperare jubebas?
En etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers
Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo.
Quin age, et ipsa manu felices erue silvas;
Ter stabulis inimicum ignem, atque interfice messes;
Ure sata, et validam in vites molire bipennem;
Tanta meae si te ceperunt taedia laudis.
At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit. Eam circum Milesia vellera Nymphae
Carpebant, hyali saturo fucata colore;
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,
Caesariem effusae nitidam per candida colla;
Nesaee, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,
Cydippeque, et flava Lycorias; altera virgo,
Altera tum primos Lucinae experta labores;
Clioque et Beroë soror, Oceanitides ambae,
Ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae;
Atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deïopea;
Et tandem positis velox Arethusa sagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem

---

325) Moret. IV. *quis me.* Goth. II. *videbas.* 327) Al. *pecorum.* 328) Burm. *extulerat.* Ven. et Paris. *excuderat.* Mead. *excuterat.* *Extundere* est invenire, parare. 329) Felices sylvas, arbusta fructiferarum arborum. 331) Medic. *duram in vitis.* Zul. *in vitem.* Goth. I. *in vires.* Rom. *bipinnem*, a bina pinna, quae est fastigium. 333) Menag. II. *thalamos.* Franc. *thalamo sonitum*, sc. confusum. 334) Pier. *Sentit.* Gud. *Melesia.* Medic. *verbera*, lanam ex urbe Mileto ducebant fuso. 335) Rom. *satyro.* Goth. I. *phaucata.* Hyali colore, vitreo, inter caeruleum et viridem medio, tincta. 336) Al. *Drimo*, *Drumo*, *Dremo*, *Xanto*, *Legea.* Heins. *Phyllidoceque.* V. i. *Legeaque.* 338) Al. *Nisiae*, *Nisaee*, *Nisaei*, *Nesea*, *Nisaea* etc. *Theleiaque*, *Taliaque.* *Chimodoceque*, *Cynodoceque*, *Cymodoceque.* 339) Rom. *Lycoris alternaque.* Goth. I. *Lyceris* V. i. *Cydippe.* 340) Al. *primum.* 341) Oceanitides ambae, hae igitur solae Oceani filiae, adeoque ceterae Nereides. 342) Erf *invictae*, Rott. II. *incinctae vestibus*, sc. variis pellibus, tanquam Nymphae venatrices. 343) Medic. *Ephyra.* Goth. I. *Epyre.* Al. *atque Asia et Diopea*, *Deiopia*, *Diopeia.* 344) Med. *At tand.* Al. *velox positis.* 345) Erf. *Clymene curam.* Gud. *curas — inanes.* Goth. I. *narravit.* Erf. *mandabat.* Venus, Vulcani coniux, Martem amavit, et in adulterio deprehensa est a marito.

Vulcani, Martisque dolos et dulcia furta;
Aque Chao densos divûm numerabat amores.
Carmine quo captae dum fusis mollia pensa
Devolvunt, iterum maternas impulit aures
Luctus Aristaei, vitreisque sedilibus omnes
Obstupuere; sed ante alias Arethusa sorores
Prospiciens, summa flavum caput extulit unda;
Et procul: O gemitu non frustra exterrita tanto,
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura,
Tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam
Stat lacrimans, et te crudelem nomine dicit.
Huic percussa nova mentem formidine mater,
Duc, age, duc ad nos; fas illi limina divûm
Tangere, ait: simul alta jubet discedere late
Flumina, qua juvenis gressus inferret. At illum
Curvata in montis faciem circumstetit unda,
Accepitque sinu vasto, misitque sub amnem.
Jamque domum mirans genetricis, et humida regna,
Speluncisque lacus clausos, lucosque sonantes,
Ibat, et ingenti motu stupefactus aquarum,
Omnia sub magna labentia flumina terra
Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque,
Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus,

---

347) Rom. *Atque chadens os.* Erf. *divum densos.* Mead. *narrabat.* Al. *enumerabat.* Chaos, indigesta moles, ex qua omnia eruperunt, primus Deorum fuit. 348) Gud. *fusis dum.* Mollia pensa, manipulos lanae. 350) Rott. II. *vitreis in sedibus.* Paris. *vitreis quoque sedibus.* Medic. *amnes.* 351) Al. *Obstipuere.* 352) Al. *placidum cap.* Leid. *summaque suum cap.* 353) *Et procul, at gemitu.* Zul. *Atque procul gemitu.* 357) Goth. II. Rott. I. *Hic p.* Ven. *Hinc.* Pier. *perculsa.* 358) Fas illi, quia Deo patre, matre Nympha genitus est. 359) Menag. II. *discernere.* Mead. *descendere.* 360) Gud. *quia iuv.* Heins. *qua iuveni.* Gud. *ad illum.* 361) Medic. *speciem.* Parrhas. *in faciem montis.* Erf. *in facie* Macrob. Sat. *in molis speciem.* 362) Accipere nos dicitur locus, quem ingredimur, mittere, dum per eum transimus. 363) Rom. *genetrix.* 364) V. i *sonantis.* Plato aquas e visceribus terrae — Aristoteles e mari profluere existimat. Lucos sonantes appellat poeta herbas in fluviis et lacubus magna copia enascentes. 367) Menag. I. *Spectabant.* Goth. I. *Phasin*, qui et Lycus sunt fluvii in Colchide, immittentes se in Pontum Euxinum. 368) Medic. *primus se erumpit.* Paris. *primus erupit.* Al. *primum erumpit*, *erupit.* Zul. *se primum er.* Rott. III. *primum se rupit.* Caput hic est fons — Enipeus flumen Thessaliae.

Unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta,
Saxosumque sonans Hypanis, Mysusque Caicus,
Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus: quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior effluit amnis.
Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Perventum, et gnati fletus cognovit inanes
Cyrene: manibus liquidos dant ordine fontes
Germanae, tonsisque ferunt mantelia villis.
Pars epulis onerant mensas, et plena reponunt
Pocula. Panchaeis adolescunt ignibus arae.
Et mater, Cape Maeonii carchesia Bacchi;
Oceano libemus, ait. Simul ipsa precatur
Oceanumque patrem rerum, Nymphasque sorores,
Centum quae silvas, centum quae flumina servant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam;
Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, sic incipit ipsa:
  Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor
Et juncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiae portus patriamque revisit
Pallenen. Hunc et Nymphae veneramur, et ipse

---

369) Mead. *Unde caput Tib.* Franc. *Armena.* 370) Al. *Saxosusque.* Burm. *Hypanus.* Pier. *Mesos*, *Misus.* V. i. *Misiusque.* Hypanis est Sarmatiae flumen, nunc Bog dictum. 371) Medic. *taur. corpore.* 373) Leid. *influat.* Vulgo *influit.* Toll. *violentius.* 374) Zul. *Postq. inter th.* Al. *pomice*, *punice.* Pumex est lapis, ob foraminum multitudinem levissimus. 375) Medic. sine *et.* Paris. *flentes.* Goth. II. *flexus.* V. i. *fletus nati — inanes*, levi de causa susceptum dolorem. 377) Vulgo *mantilia*, lanea, lanugine in texti, superficie adtonsa, adeoque tenuia. 378) Moret. IV. *Parce.* Parrhas. *Pars onerat ep.* 379) Medic. *pinguibus*, quasi pinguia sint unguenta. Serv. *adolescent.* Leid. *Sabaeis.* Menag. *alae.* 380) Bacchi Maeonii, s. Lydii, pro vino praestantiore. Carchesium est poculum oblongum, in medio compressum. 381) V. i. *precamur.* Oceano quasi communi omnium fontium patri. 383) Servant incolunt. 384) Medic. *perfundit nectare Vestam*, s. vino ignem. 385) Med. *sublata.* Mor. IV. *subvecta* pro subiecta, subjiciens se. 386) Medic. *firma* pro *firmata.* Gud. *formans.* 388) Zul. *qui passibus*; nam *piscibus* nimis tenue et exile esse videtur. Al. *pistribus.* 389) Zul. *Ejuncto.* Parrhas. *Evincto.* Goth. II. *cursu.* 390) Mentel. II. *Hinc.* Menag. I. *remisit.* 391) Zul. *Pallenem.* Medic. *Pellenen.* C. et Ed. Paris. *venerantur.* Medic. *ipsi.*

Grandaevus Nereus; novit namque omnia vates,
Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.
Quippe ita Neptuno visum est, immania cujus
Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiundus, ut omnem
Expediat morbi caussam, eventusque secundet.
Nam sine vi non ulla dabit praecepta, neque illum
Orando flectes; vim duram et vincula capto
Tende; doli circum haec demum frangentur inanes.
Ipsa ego te, medios quum sol accenderit aestus,
Quum sitiunt herbae, et pecori jam gratior umbra est,
In secreta senis ducam, quo fessus ab undis
Se recipit; facile ut somno aggrediare jacentem.
Verum, ubi correptum manibus vinclisque tenebis:
Tum variae eludent species atque ora ferarum.
Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,
Squamosusque draco, et fulva cervice leaena;
Aut acrem flammae sonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.
Sed, quanto ille magis formas se vertet in omnes,
Tanto, gnate, magis contende tenacia vincla:
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret quum lumina somno.
Haec ait, et liquidum ambrosiae diffundit odorem:
Qua totum nati corpus perduxit; at illi

---

393) Zul. Q. *sunt.* Leid. *fuerant.* Medic. *trahentur.* Gud. *trahuntur.* Al. *sequentur*, *sequantur.* 395) V. i. *turpis*, foeda specie. 396) Medic. *capiendus.* Rom. *capiendis vinclis.* Leid. *undis capiendus.* Toll. *carpendus.* Erf. *captandus.* Goth. I. *et omnem.* 397) Rom. *Expediant.* 398) Zul. *Non sine vi non nulla.* Probus de arte gramm. *dabit responsa.* Gud. *neque ipsum.* 399) Al. *Or. vinces.* 400) Rom. *dolis circum hac demum franguntur.* Pier. *doli demum circum haec*, ad haec. 401) Mead. *accederit.* 402) Al. *umbra* sine *est.* 403) Ven. *in undis.* In secreta senis, secretam sedem. 404) Mentel. I. *adgrediere.* Goth. I. *summo egrediare.* 405) Al. *manicis* 406) Al. *eludunt*, *ludunt*, *illudent*, *illudunt.* 407) Atra tigris est terrorem faciens. 410) Leid. *in aqua tenuis* dilabetur. 411) Al. *vertit*, *vertat.* 412) Fr. Moret. *Sed quo nate magis.* Contende, contrahe. 415) Al. *Hoc*, *Hic.* Paris. *diffudit.* Heins. *defundit.* Mentel. *defendit.* Leid. *defudit.* Rom. *depromit.* 416) Fr. Moret. *Quo tactum.* Rom. *perfudit.* Franc. *producit.* Erf. *produxit.* V. i. *Quo.*

Dulcis compositis spiravit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
Exesi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur, inque sinus scindit sese unda reductos;
Deprensis olim statio tutissima nautis.
Intus se vasti Proteus tegit objice saxi.
Hic juvenem in latebris aversum a lumine Nympha
Collocat; ipsa procul nebulis obscura resistit.
Jam rapidus, torrens sitientes Sirius Indos,
Ardebat coelo, et medium sol igneus orbem
Hauserat; arebant herbae, et cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
Quum Proteus consueta petens e fluctibus antra
Ibat. Eum vasti circum gens humida ponti
Exsultans rorem late dispersit amarum.
Sternunt se somno diversae in litore phocae.
Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt balatibus agni,
Considit scopulo medius, numerumque recenset.
Cujus Aristaeo quoniam est oblata facultas,
Vix defessa senem passus componere membra,
Cum clamore ruit magno, manicisque jacentem
Occupat. Ille suae contra non immemor artis,

---

417) Rom. *auras*; aura, odor. 418) Rom. *Et specus ing.* Habilis vigor, qui reddit fortem rebus agendis. 419) Rott. *lateri*. Medic. sine *in*. Est antrum in rupe exesa, quo plurimum undae penetrat, et dispergit se in cavitates et recessus. 421) Ven. *Depressis*. Toll. *gratissima*. Goth. I. *fidissima*. V i. *Depressis*, sed male. 422) Al. *Inter se casti*. 423) Gud. *Hinc*. Vratisl. *adversus*. Gud. *a limine*. Erf. *a flumine*. V. i. *lumine* sine *a*. Al. *Nympha*, *Nymphae*. 424) Goth. I. *recessit*. 425) Al. *sitientes* Rom. *Serius*. Al. *agros*, *herbas*. Sed *Indos* dixit ornatu poetico. Sirius efficit dies caniculares. 426) Al. *Ardebat caelo*. Zul. *medius Sol*. 427) Fr. Moret. *Auxerat*. Rott. II. *ardebant*. Hauserat, peragraverat. 428) Zul. *Fontibus*. Siccis faucibus, alveis. 429) Goth. II. *patens*. 430) Moret. II. *circa*. 431) V. i. Rott. I. *despersit*. Heins. *dispergit*. 432) Al. *diverso* sine *in*. 433) Vratisl. *in mont. altis*. 434) Fr. Moret. *vitulas*. Ven. *in tecta*. V. i. Arund. *reduxit*. Vesper est stella Veneris. 435) Vulgo *Auditique*. 436) Paris. *Conscendit*. Vulgo *Consedit*. Gud. *recensit*. Giphan. *recensiit*. 438) Ven. *senem est*. 439) Franc. *manibusque iac*, Gud. *vinclisque iac*. 440) Occupat, vincit.

Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.
Verum, ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
In sese redit, atque hominis tandem ore locutus:
Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras
Jussit adire domus? quidve hinc petis? inquit. At ille:
Scis, Proteu, scis ipse; neque est te fallere quidquam;
Sed tu desine velle. Deûm praecepta secuti
Venimus, hinc lapsis quaesitum oracula rebus.
Tantum effatus. Ad haec vates vi denique multa
Ardentes oculos intorsit lumine glauco,
Et graviter frendens, sic fatis ora resolvit:

Non te nullius exercent numinis irae.
Magna luis commissa: tibi has miserabilis Orpheus
Haud quaquam ob meritum poenas, ni fata resistant,
Suscitat; et rapta graviter pro conjuge saevit.
Illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus aequalis Dryadum clamore supremos
Implerunt montes; flerunt Rhodopeiae arces,

---

441) Nonius *Omnia commutat.* Ven. *spectacula.* 442) Rott. I. *liquantem.* Moret. IV. *loquentem.* 443) Moret. IV. *tenuit fallacia.* Al. *pellacia.* 444) Parrhas. *rediit.* 445) Nam quis, pro quisnam. 446) Rott. II. *Jussus.* Vulgo *domos.* Menag. I. *hic petis.* 447) Al. *Proteus.* V. i. et Medic. *quicquam.* Fr. Moret. *quenquam.* Lünemann *cuiquam.* 448) Desine velle, sc. me fallere. 449) Vulgo *Venimus huc.* Toll. *huic.* Medic. *lassis — rebus*; sed calamitati ex apum internecione. 450) Ven. *Tandem.* Longob. *Tantus ad hoc fatus.* Rott. II. *At haec.* Medic. *At fatus et haec.* Goth. I. *affatus.* Al. *effatur.* Erf. *ut denique magna.* 452) Erf. *sic vates.* 453) Mentel. III. *Multae nullius.* 454) Serv. *commissa tibi*, pro magno flagitio haec tibi tanquam poena inflicta est. Orpheus pro Orphei manibus. V. i. *lues.* 455) Franc. *quamquam.* Zul. *quodque.* Reisk. ad *meritum.* Rott. II. *nisi.* Moret. IV. *resultant.* Al. *resistunt.* 457) Per flumina, sc. ripam fluminis, vel Penei, vel Hebri. 458) Moret. II. IV. *hydram*, serpentem in aquis humidisque locis degentem. 459) Zul. *in umbra.* Servantem, incolentem. 460) Rom. *aequali clamore supremo.* Dryadum, Nympharum sylvestrium, una cum ea nutritarum. 461) Ven. *Imp. colles.* Rott. I. *Rhodopaeae.* V. i. *fleverunt Rhodopeae arces*, montes Thraciae, ut Pangaeus.

Altaque Pangaea, et Rhèsi Mavortia tellus,
Atque Getae, atque Hebrus, et Actias Orithyia.
Ipse cava solans aegrum testudine amorem,
Te, dulcis conjunx, te solo in litore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.
Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, Manesque adiit, Regemque tremendum,
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At cantu commotae Erebi de sedibus imis
Umbrae ibant tenues, simulacraque luce carentum:
Quam multa in foliis avium se millia condunt,
Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber:
Matres, atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimûm heroum, pueri, innuptaeque puellae,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum:
Quos circum limus niger, et deformis arundo
Cocyti, tardaque palus inamabilis unda
Alligat, et novies Styx interfusa coercet.
Quin ipsae stupuere domus atque intima Lethi
Tartara, caeruleosque implexae crinibus angues
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionii vento rota constitit orbis.
Jamque pedem referens casus evaserat omnes,

462) Goth. II. *Antraque Pangaea.* Mentel. I. *Pangaeae.* Medic. *Panchaea.* Franc. *Pancheia.* Al. *Pantheia.* Tellus Marti sacra. 463) Al. *Atque Actias.* Franc. et *Ethias Orithia.* Goth. II. *Orinthia.* Orithya fuit filia Erecthei, Athenarum regis, a Borea rapta in Thraciam. 465) Rom. *Et dulcis* 466) Vulgo *discedente.* 467) Vratisl. *Trinacrias.* Pier. *valles* vel *falces.* Medic. *avia ostia.* *Ditis* s. Plutonis. Taenarus est promontorium Peloponnesi, dividens sinum Messeniacum a Laconico. 468) Vratisl. *testudine.* Schrader *ferrugine.* 469) Burm. *manes* sine *que.* Rom. *adit.* Manes sumuntur pro animabus mortuorum aeque ac pro loco ipso inferorum. 471) Erf. *Ad cantum.* Pier. *Et can.* Erebus Deus inferorum, vel locus. 472) Paris. *Umbrae stant.* 473) Plur. cod. *in silvis.* 474) Moret. IV. *ubi iam hib.* Goth. II. *ubi iam — imbres.* Hibernus s. procellosus eas agit ad sylvas et arborum tecta. 475) Pier. *innabilis unda.* 479) Cocytus et Styx sunt inferorum flumina. 480) Rom. *in noviens.* 481) Al. *Atqui ipsae.* Mentel. I. *stipuere.* Mead. *obstupuere.* Rott. I. *domos.* 482) Schrader *Limina.* Medic. *caeruleisque impexae.* Al. *innexae, amplexae.* V. i. *implexa criminibus ambo.* Tartarus est infimus inferorum locus. 483) *que* post *tenuit* abest a plur. Eumenides Furiae — Cerberus canis triceps, custos inferorum. 484) Faber *velox* pro *vento.* Burm. *cantu, lente* vel *campo.* Al. *Ixonei.* V. i. *Ixionei.* Rota orbis sunt rotae circumactae. 485) V. i. *omnis.*

Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
Pone sequens: namque hanc dederat Proserpina legem:
Quum subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes;
Restitit, Eurydicenque suam jam luce sub ipsa
Immemor, heu! victusque animi respexit. Ibi omnis
Effusus labor, atque immitis rupta tyranni
Foedera, terque fragor stagnis auditus Avernis.
Illa, Quis et me, inquit, miseram, et te perdidit, Orpheu?
Quis tantus furor? en iterum crudelia retro
Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.
Jamque vale. Feror ingenti circumdata nocte,
Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas!
Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras
Commixtus tenues, fugit diversa; neque illum,
Prensantem nequidquam umbras, et multa volentem
Dicere, praeterea vidit; nec portitor Orci
Amplius objectam passus transire paludem.
Quid faceret? quo se rapta bis conjuge ferret?
Quo fletu Manes, qua Numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba.

---

486) Vratisl. *ad oras*. 487) Avernus est lacus in Campania, Latinis habitus ostium inferorum. 488) Al. *subito — amorem*. 489) Zul. *Ignosc. tamen*. 490) Franc. *Euridicemque*. V. i. *Eridicemque*. 491) Al. *animo*. Goth. II. *Ubi*. Moret. II. *Ibique omnis*. Victus animo, cupiditate. 492) Schrader *rapta tyr*. *Foedere* sc. Eurydice. 493) V. i. *Averni*. Rom. *stagni est auditus Averni*. Mead. II. *auditur*. 496) Natantia, errantia, fluctuantia. 500) Medic. *fugit in diversa*, in div. partem. V. i. *tenuis*. 501) V. i. et Leid. *Pressantem nequiquam*. 504 Medic. *erepta*. Pier. *bis rapta*. 505) Rott. I. *quae Num*. Rom. *Quos fletu Manes*. Gud. *Quod fl. — quae nomina*. Vratisl. *qua flumina*. Medic. *moneret*. Franc. *maneret*.

Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
Flevisse, et gelidis haec evolvisse sub antris,
Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus:
Qualis populea moerens philomela sub umbra
Amissos queritur fetus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, et moestis late loca questibus implet.
Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenaei.
Solus Hyperboreas glacies, Tanaimque nivalem,
Arvaque Rhipaeis nunquam viduata pruinis
Lustrabat, raptam Eurydicen, atque irrita Ditis
Dona querens. Spretae Ciconum quo munere matres,
Inter sacra deûm nocturnique orgia Bacchi,
Discerptum latos juvenem sparsere per agros.
Tum quoque marmorea caput a cervice revulsum,

---

507) Heins. *perh. totos.* Ex ordine, continuos. 508) Strymonis, Macedoniae fluvii. 509) Ed. Ven. *Flesse sibi.* Al. *sub astris.* Evolvisse haec, casus suos quaerendo enarrasse. 511) Brunck *pampinea.* 512) Franc. *dirus.* 513) V. i. *implumis.* 514) Mead. *ramoque canens.* Ven. *lacrimabile.* 515) Fr. Moret. *et moestis loca proxima quest.* Goth. I. *loca late.* Zul. *loca tunc cum quest.* Integrat, iterat. 516) Vulgo *nullique an.* 517) Rom. *cana iamque niv.* Tanais est fluvius in Moscorum finibus oriens. 518) Al. *Riphaeis*, *Ryphaeis.* V. i. *Ripheis.* 519) V. i. *Erudicem.* 520) Al. *Spreto Cic. quo numine.* Sed potius spreto munere nuptiali, s. fide ejus et pietate in coniugem. Markland *quo nomine.* Cicones gens Thraciae, circa ostia Hebri. 521) Ed. Ald. *nocturnaque.* Sacra Bacchi noctu furore celebrari solita. 522) Parrhas. *iuvenem latos.* 523) Rom. *Tunc.* Menag. I. *repulsum.* Vratisl. *recisum.*

Gurgite quum medio portans Oeagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua,
Ah miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat;
Eurydicen toto referebant flumine ripae.
Haec Proteus; et se jactu dedit aequor in altum.
Quaque dedit, spumantem undam sub vertice torsit.

At non Cyrene; namque ultro affata timentem:
Nate, licet tristes animo deponere curas.
Haec omnis morbi caussa: hinc miserabile Nymphae,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium misere apibus. Tu munera supplex
Tende petens pacem, et faciles venerare Napaeas.
Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.
Sed, modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quatuor eximios praestanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycaei,
Delige, et intacta totidem cervice juvencas.
Quatuor his aras alta ad delubra dearum
Constitue, et sacrum jugulis demitte cruorem;

---

524) Fr. Vatic. *medius.* Hebrus Oeagrius dicitur ab Oeagro, Thraciae rege, Orphei patre. 526) Menag. II. *Amissam.* Rom. *A misera.* 528) Gud. *iacto.* 529) Al. *vortice.* 530) Al. *ultro est.* Ast non Cyrene iactu se in altum dedit, et filium reliquit consilii inopem. 531) Medic. *componere curas.* Mead. *depellere curas.* V. i. *tristis.* 533) Fr. Moret. *silvis* pro *lucis.* Al. *ducebat, discebat, miscebat in altis.* 534) Medic. *Tum m.* Al. *munere.* 535) Rott. I. *Pende pet.* Zul. *Nate pet.* Al. *redde.* Tende, offer honores, ut propitiae sint et placabiles Napaeae, sylvarum Nymphae. 536) Al. *iramque.* 537) Al. *quis sit.* 538) Rom. *eximio praestantis.* 539) Lycaeus est mons Arcadiae. 540) Al. *Dilige et intactas.* 541) Arae statuuntur ante templum gradibus ascendendum Nympharum. 542) Al. *Dimitte, Emitte int.* Goth. II. *iugulis sacrum.* V. i. *dimitte.*

Corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,
Inferias Orphei Lethaea papavera mittes;
Et nigram mactabis ovem; lucumque revisens,
Placatam Eurydicen vitula venerabere caesa.
  Haud mora; continuo matris praecepta facessit.
Ad delubra venit; monstratas excitat aras;
Quatuor eximios praestanti corpore tauros
Ducit, et intacta totidem cervice juvencas.
Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.
Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum
Adspiciunt, liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero, et ruptis effervere costis;
Immensasque trahi nubes; jamque arbore summa
Confluere, et lentes uvam demittere ramis.
  Haec super arvorum cultu pecorumque canebam,

---

543) Paris. *Corpora quaeque b.* 544) Menag. II. *nona dies.* Fr. Moret. *ostenderat.* Parrhas. *reduxerit.* Arund. *induxerit.* 545) Rom. *Orpheo.* Goth. I. *Orphi.* Al. *Letea.* Mentel. I. *mittis.* Inferiae sunt sacrificia, quae Diis Manibus offerebantur. Papavera lethaea, sc. oblivionem et somnum inducentia. 546) V. i. *revises.* 547) Nigra ovis haud dubie ad Orpheum spectat. Gud. *locumque.* Zul. *revisens.* 548) Al. *capessit.* 549) Arund. *At delubri petit.* Ven. *monstratasque.* In V. i. hic versus sequitur post alterum. 550) Gud. *eximio.* Rom. *praestantis.* 551) Rom. II. *intactas.* 552 Al. *induxerit.* Leid. *induceret.* Rott. I. *intexerat.* Ven. *adduxerat.* Ed. Ven. *reduxerat.* Vratisl. *reduxerit.* 553) Franc. *misit.* 554) Erf. *Hinc.* Zul. *ac visum*, al. *auditu* pro *ac dictu.* V. i. *dictum.* 556 Paris. *eruptis.* 557) Mentel. III. *Immensamque tr. nubem.* Zul. *Immissasque.* Rom. *trahens.* Nubes trahi, nova examina. 558) Ven. *visam demittere.* Medic. *dimittere.* V. i. *edentis uvam dimittere ramis*, adhaesisse arbori. 559) Gud. *culto.* Mor. II. *cultum.* Al. *pecorisque*, adeoque et apum.

Et super arboribus: Caesar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorque volentes
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti:
Carmina qui lusi pastorum, audaxque juventa,
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

---

561) Vulgo *Euphratem.* Zul. *volantes.* V. i. *volentis.* 562) Zul. *dat iussa.* V. i. *Olimpho*, ad immortalitatem nominis. Per populos, quorum legati undique eum convenerant. 563) Al. *Vergilium.* Paris. *habebat.* 564) Rom. *oci.* Al. *ocii*, *otii*, *horti.* Erf. *cui.* Parthenope est urbs Neapolis. Ignobilis respectu gloriae bellicae et gestarum rerum magnarum. 565) Al. *quo*, *quae*, *qui.* Audax, qui omnino carmina vulgare auderet. 566) Franc. *tu.* Pier. *cecinit.* Ven. *cecini pat. sub.* De veritate quatuor ultim. versuum maxime dubitandum est. V. i. caret hoc versu.

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I S.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER PRIMUS.

Ille ego, qui quondam, gracili modulatus avena
Carmen, et, egressus silvis, vicina coëgi,
Ut quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis.

Arma virumque cano, Trojae qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinia venit
Litora; multum ille et terris jactatus et alto
Vi superum, saevae memorem Junonis ob iram;
Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque deos Latio: genus unde Latinum,

LIBER PRIMUS.

1 Quatuor primi versus vix auctorem habent Virgilium. Arma s. bella sub Aeneae adventum in Italia orta. Antenor antea quidem venit ad Venetos, sed Aen. primus e Troianis in has Italiae partes ad Lavinium. 2) C. 1, 6, 7, 79. *Lavinaque*, i. e. e Laviniae nomine, quae, Latini filia, Aeneae nupsit. 3) C. 8 *Littora — ille terris* sine *et*. 4) Voluntate Deorum. Al *et saevae*. Memorem, i. e. Junonis memoris. 5) Urbem, sc. Lavinium. 6) Zul. *inde* pro *unde*, qua ex re. C. 8. *Lacio*.

Albanique patres, atque altae moenia Romae.
    Musa, mihi caussas memora, quo numine laeso,
Quidve dolens, regina deum tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores,
Impulerit: tantaene animis coelestibus irae!
    Urbis antiqua fuit; Tyrii tenuere coloni;
Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli:
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo; hic illius arma,
Hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque.
Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae verteret arces;
Hinc populum, late regem, belloque superbum,
Venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.
Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis:
Necdum etiam caussae irarum saevique dolores
Exciderant animo; manet alta mente repostum
Judicium Paridis, spretaeque injuria formae,

---

7) C. 8. *Albaniique*. 8) *quo*, qua re; quibus laesis numinibus. 9) Hamb. I. *Quidve Deum Regina dolens*, sc. Juno. 11) Rom. *Impulerat*, pro coegerit. 12) C. 8. *Tyri*. Tyrus est urbs Syriae in Phoenicia. 13) Medic. *Karthago*, C. 8. *Carthago Longe*, procul sita, magno interiecto mari, ex adverso Italiae et quidem Romae, quam per *Tiberim* designare vult. 14) Studium belli poetis asperum dicitur. 15) Bigot *Hanc*. Sprotianus *terram*. Parrhas. *una*. 16) Arma Junoni tribuuntur. Antiqui heroes curribus vecti ad pugnam egrediebantur. Samos est insula Icarii maris, Joniae adiacens. 17) Goth I. *regni*. Ut Carthago regnum gentium sit, Juno iam prisca illa Aeneae aetate, ante Romam conditam contendit studetque. 18) Zul. *Si quae*. Medic. *sinunt*. Goth III. *sinent*. Parrhas. *intendit*. Burmann *favet*. Heumann coni. *vovet*. 19) Al. *Troj. sang.* sine *a*. Populum enim ab ea gente oriturum ad exscindendam Carthaginem in Africam copias suas esse trajecturum. 20) Pier. *everteret*. C. Rottend. III. *averterat*. Puget. *quum verteret*. 21) Al. *Hic* pro *Hinc*, ex posteritate Trojanorum, late regnantem populum. 22) Ed. Ven. *Libyes*. *Venturum*, futurum et evasurum late regem ab excidio Libyae. Al. *exitio*. 23) Juno Saturni et Opis filia, atque ita Jovis soror, itemque coniux. Veteris belli, sc. paulo ante gesti. 24) Moret. IV. *gesserit*. Medic. *Agris*, sed male pro *Argivis*. Prima, primum, prius. 25) Fr. Moret. *Nec dum iam*. Al. *doloris*. 26) Leid. *Exciderent*. 27) Spreta forma, est Junonis pulchritudo Veneris pulchritudini posthabita. Paris s. Alexander, Priami et Hecubae filius.

Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores:
His accensa super, jactatos aequore toto
Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli,
Arcebat longe Latio; multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantae molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conspectu Siculae telluris in altum
Vela dabant, laeti et spumas salis aere ruebant:
Quum Juno, aeternum servans sub pectore vulnus,
Haec secum: Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei?
Ipsa, Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem,
Disjecitque rates, evertitque aequora ventis;
Illum, exspirantem transfixo pectore flammas,
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.
Ast ego, quae divum incedo regina, Jovisque
Et soror et conjunx, una cum gente tot annos

---

28) Rom. *raptis*. Genus invisum propter Dardanum, a quo Troiani ducunt originem. C. 8. *Ganimetis hon.* ministerium poculorum, ad quod Ganymedes raptus a Jove receptus est. 29) Super, insuper. C. 6. *hüs*, et ita semper. 30) Rel. Dan., a Danais et ab Achille relictos Troianos. Vulgo *Achillis*, qui, Pelei et Thetidis filius, regnavit in Australi Thessaliae parte, quae Phthiotis dicta est. C. 6. *relliquias*. 31) Multos, h. e. septem, annos. 32) Acti fatis, quoniam hi ipsi Troianorum errores fatales erant. 33) Molis, difficultatis tantae erat, ut Troiani in Latium pervenirent, ibique stirpis Romanae auctores fierent. 35) Alacres spumas maris aerata navi secabant. 36) Al. *servans aeternum in p.* C. 8. *Cum*, et ita semper. 38) Rott. II. *Nec possum*. Donatus *Non posse*. Goth. I. *evertere*. C. 6. et Goth. III. *avertere gentem*, pro *regem*, ducem Troianorum. 39) Pallas potuit classem coelesti igni comburere et fluctibus opprimere, unius Ajacis ulciscendi causa, ob ejus insanam libidinem, stupro Cassandrae illato in Minervae templo, in conspectu ipsius Deae, quod facinus declaratur per noxam et furias. 40) Argivum, non proprie Graecorum omnium, sed Locrensium. 41) Pier. *furiis*. Burm. *Oili*. C. 8. *Aley*, regis Locrensium C. 6. *Oylei*. 42) Rott. III. *e navibus ignem*. Goth. III. *unum* pro *ignem*. 43) Giph. *everrit*. Hamb. II. *invertit*; al. *subvertit* 44) Mentel I. *spirantem*. Menag. II *transf. corpore*. 45) Pier. *inflixit*; sed acuto scopulo *infigi* melius est. 46) Incedo, sum. 47) C. i., 8. *Coniunx*. Al. *annis*.

Bella gero. Et quisquam numen Junonis adoret
Praeterea, aut supplex aris imponat honorem?
Talia flammato secum dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca feta furentibus austris,
Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt; celsa sedet Aeolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, et temperat iras;
Ni faciat, maria ac terras coelumque profundum
Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens; molemque et montes insuper altos
Imposuit, regemque dedit, qui foedere certo
Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas.
Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:
Aeole, namque tibi divum pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento,
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,
Ilium in Italiam portans victosque Penates:

---

48) C. i., 8, 9. *adorat.* C. 8 *numina*; Numen Junonis, pro *me.* Pier. et Heins. *Aut quisquam*, *aut quis iam*, *haud quisquam.* Goth. I. *en quisquam.* 49) C. i 6, 8, 9 *imponit.* Moret. II. *impendit.* Mentel II. *imponit odorem.* Goth III. *honores*, sc sacrificia, libationes, quae in deorum honorem fiunt. Vocabulum *supplex* ad cultum deorum refertur. Praeterea, post talia. 51) i eid. *loca plena.* Austri sunt saevissimi venti in mari Mediterraneo, flantes a meridie. 52) Aeolia est una ex insulis Vulcaniis et Liparaeis, inter Italiam et Siciliam sita. 53) C. i. 8. *Luctantis.* Gud. *Luctatos.* 54) Vincula pro custodia. 55) Oudart. *vasto c. mur.* C. 8. *indignantis.* 56) Venti fremunt circum spiracula, erumpere volentes. Vulgo *circa.* Hamb. I. *circum castra.* Menag. I. *ferunt.* 57) Heins. *mollisque.* Dorvill. *tenet.* 58) C. i. *Ni faciant*, quod ni faciat Aeolus. 59) Moret. II. *rabidi.* Menag. I. *vertantque.* C. 8. *vertatque.* Vratisl *versantque.* Oudart. *traherentque.* Hugen. *ruerentque.* C. 7. et Ed. Junt. *per aures.* 60) Hamb. I. *addidit imis.* 61) C. i. *montis.* Burm. *Id metuens.* 62) Foedere certo, sc. non temere, sed certa lege habenas retrahere et laxare. 63) C. 7 et Burm *lapsas et iussus dare sciret hab.* Jussus sc. a Jove. 64) C 7. *hiis.* 65) C. 8. *pater divum.* 66) Mead *Emulcere* Al. *ventos*, concitare sc. et reprimere. 67) Navigat *per* aequor Tyrrhenum, sc. eam partem Medit. maris, quae Italiam ad meridiem alluit. C. 7. *Tirrenam.* 68) Leid. I. *in Italia.* C. 7. *Ilyon.*

Incute vim ventis, submersasque obrue puppes;
Aut age diversos; et disjice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae,
Quarum, quae forma pulcherrima, Deïopeam
Connubio jungam stabili propriamque dicabo:
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchra faciat te prole parentem.
Aeolus haec contra: Tuus, o regina, quid optes,
Explorare labor; mihi jussa capessere fas est.
Tu mihi, quodcunque hoc regni, tu sceptra Jovemque
Concilias; tu das epulis accumbere divum,
Nimborumque facis tempestatumque potentem.
Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus, et vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes coelumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether;
Praesentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra;

---

69) C. 6 *puppis.* 70) Vulgo *diversas.* Oudart *corpora dissice.* Reg. gl. *divide.* Hamb II. *discute.* Leid. et Moret. I. *vento* pro *ponto.* 71) Nymphae sunt proprie minora aquarum numina. 72) C i. 8. 9. *Deiopea*, al. *Diopea, Diopeam.* Medic. *quae formam pulcherrima*, graecismus. Bigot *quae forma est.* C 8. *quae est.* 73) Pronuntiandum est *connubjo.* 74) C i. 6. 7. *Omnis* 75) Bigot *prole beatum.* C. 8 *faciet.* Innuit hic Aeolum liberis fuisse hactenus infelicem. 76) Burm. *Aeolus e contra.* Hamb. *quod optas.* C. 9. *E contra.* C. 7. *Aeolus contra.* 77) Zulich. *labos*, sc. recte ne haec an secus a me postules, tu ipsa videris. C. 7. 8 *Capescere.* 78) Goth I *quodcunque hic.* Sensus est: tuis in me officiis debeo totum hoc ventorum regnum, quod mihi a Jove impetrasti, quin et ipsum inter deorum ordines locum. 79) Rom. *Concilia*, benevolentiam a Jove impetrando. 80) Hamb II. *parentem.* 81) Conversa cuspide hastae, quam diis gestare solenne est 82) Burm. *at venti.* 84) Markland. *tortum.* 85) Goth. III *crebrisque.* C. 8. *crebreque.* Eurus est ventus ab oriente. — Notus s. Auster a meridie. 86) Al. *Affricus.* 87) Rudens funis nauticus 88) Hamb. *Arripiunt* Burm. *Abripiunt* 89) C. 8. *incumbat.* 90) Graevii MSS. *aer.* Saepe fulmina cum tonitru e coelo cadunt.

Ingemit, et, duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati!
Quis ante ora patrum Trojae sub moenibus altis
Contigit oppetere! o Danaum fortissime gentis
Tydide! mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra?
Saevus ubi Aeacidae telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon; ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit!
Talia jactanti stridens Aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi; tum prora avertit, et undis
Dat latus; insequitur cumulo praeruptus aquae mons
Hi summo in fluctu pendent; his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit; furit aestus arenis.
Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras;
Dorsum immane mari summo. Tres Eurus ab alto
In brevia et Syrtes urguet, miserabile visu,
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenae.

---

95) C. 8. *Quis.* 96) Oppetere, sc. mortem. 97) C. 7. *Titide.* C. 8. *Tiride.* Hamb. I. *decumbere flammis*, sed Diomedem Tydei filium, potissimum inter Achivos memorat, quoniam cum eo congressus Aeneas a Venere morti ereptus fuerat. 98) Bigot. *tua hanc animam.* 99) Al. *et, ut ingens.* Saevus, fortis, bonam in partem sumitur. Aeacidae, s. Achillis, qui nepos fuit Aeaci. Hector, Priami et Hecubae filius. 100) C. i. *undas.* Medic. *Sarpedo*, Jovis ex Laodamia filius, Lyciae rex, Priamo in auxilium venit, et a Patroclo occisus est. — Simois est fluvius Troadis, ex Ida monte, per agrum Trojanum in Scamandrum profluens. 101) Al. cod. *pectora.* C. 8. *virum et.* 102) Procella ab aquilone incitata, qui ventus septentrionalis etiam Boreas dicitur. 103) Ed. Junt. *aversa.* Medic. *fluctumque.* C. 9. *vela.* C. 7. *Vellum* ferit et lacerat vis a prora irruens. 104) Burm. *proram advertit.* Leid. *prora advertit*; navis fluctibus dat latus, incerta in hanc vel illam partem fertur. 105) Hamb. II. *proruptus*, propter altitudinem cumulatae aquae. 108) Goth. III. *arreptas.* Burm. *adreptas.* Sprot. *ad saxa.* Hamb. I. *ducit.* C. i. 8. *Tris.* 109) Al. *mediisque in fl.*, *med. quae fl.*, *med. in fl.* Arae s. Aegimuri insulae sunt ex adverso Carthaginis in mari sitae. 110) C. i. 8. *Tris*, et ita saepius. 111) C. i. *Syrtis.* C. 7. *urget, mirabile.* Syrtes sunt vadosa loca, qualia alias littorum sunt, ad oras Africae. C. 9. *Syrtes agitat.* 112) Hamb. *Impellitque.* C. 8. *agmine.*

Unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit; excutitur pronusque magister
Volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, et rapidus vorat aequore vortex.
Apparent rari nantes in gurgite vasto;
Arma virum, tabulaeque, et Troïa gaza per undas.
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatae,
Et qua vectus Abas, et qua grandaevus Aletes,
Vicit hiems; laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure pontum,
Emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis
Stagna refusa vadis, graviter commotus; et alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.
Disjectam Aeneae toto videt aequore classem;
Fluctibus oppressos Troas coelique ruina.
Nec latuere doli fratrem Junonis et irae.
Eurum ad se Zephyrumque vocat; dehinc talia fatur:

---

113) Puget. *ipsumque vehebat.* Al. *Oruntem.* C. 7. *Orentem.* C. 8. *Orontem.* Lycii sunt Asiae minoris populi, inter Cariam et Pamphyliam, qui Troianis in auxilium venerant. 114) Al. *ingenti vertice*, h. e. procella coni. Servius explicat a puppi, quam ait esse verticem navis. 116) Hugen. *istam.* C. 9. *solvitur.* 117) Deest in binis cod. *et.* Medic. *Vertex.* 118) Hugen. *gurg. summo.* C. 9. *nantes rari.* 119) Al. *Troica.* Arma virum, erant militum arma in puppibus religata. 120) Sprot. *Jam invalidam.* Moret. I. *navim.* Ilionei — Achatae est casus genitivus. 121) Aletes Troianus, ut Abas. C. 8. *Haletes*, qui vir praecipui consilii et auctoritatis inducitur. Abas est forte is, qui a Lauso Mezentii filio occidetur 122) C. 8. et Heins. *Vincit.* Hamb. I. *laterum laxis.* Tempestas solvit navium latera, ut aqua subiret. 123) Goth. III. *remis fatiscunt*, solvuntur, ut rimas agant. Imbrem vel pluviam, vel maris aquam. 125) Zulich. *Immensamque.* Markland. *hiemen ut sensit.* C. 9. *sentit.* 126) C. 7. et Leid. *ab alto.* Stagna pro mari, quod erutum et exturbatum erat, ex fundo — vada pro locis in mari, ubi parum aquae et multum arenae est. 128) Bigot. *Deiectam toto Aeneae.* Leid. *Disiectamque.* Graev. *Disectam.* Mentel. III. *vidit.* Zulich *navem.* 129) Rom. *ruinam*, sc. ventum, procellam et fulmina, quae e coelo ruunt. 130) Neptunus cogitabat, hanc tempestatem Junonis machinatione esse conflatam Neptunus dicitur frater Junonis, quia aer, quae Juno est, confinis est aquae, qui Neptunus. 131) Poeta Eurum et Zephyrum pro toto ventorum agmine ponit, hunc ab occidente, illum ab oriente. C. 7. *demum talia.*

Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Jam coelum terramque meo sine numine, venti,
Miscere, et tantas audetis tollere moles?
Quos ego. Sed motos praestat componere fluctus.
Post mihi non simili poena commissa luetis.
Maturate fugam, regique haec dicite vestro:
Non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
Sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos: illa se jactet in aula
Aeolus, et clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat;
Collectasque fugat nubes, solemque reducit.
Cymothoë, simul et Triton adnixus, acuto
Detrudunt naves scopulo; levat ipse tridenti;
Et vastas aperit Syrtes, et temperat aequor;
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac, veluti magno in populo quum saepe coorta est
Seditio, saevitque animis ignobile vulgus;
Jamque faces et saxa volant; furor arma ministrat;
Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant;
Iste regit dictis animos, et pectora mulcet:

---

132) C. 8. et Sprot. *fid. nostri.* 133) Parrhas. *terram coelumque* meo sine jussu. 134) Menag. I. *audetis et tantas* tollere rerum perturbationes. 135) Bigot. *Quis ego.* Al. *Vos ego* sc. puniam; sed melius *quos ego* gravissime ulciscar. 136) Non simili, sed graviore poena Si in posterum tale quid ausi eritis, non impune feretis. C. 9. *consimili.* 138) Parrhas. *pelagi imperium.* Leid. gloss. *magnumque trid.* 139) Immania saxa, sc. Aeoliarum insularum. 140) Al cod *domus*, al. *jactat*, al *regnat.* C. 8. *ille.* 142) Hamb. I. *citius dicto.* Menag. II. *timida.* C. 6. *Haec ait.* 144) Cymothoe Nereis. C. 7 *annixus.* 145) C. i. 6. *navis.* Goth. I. *Detendunt.* Hamb. I. *levat atque.* Dorvill. *ille tr.* Goth III. *tridentem.* 146) Graev. *Et magnas.* C. 8. *Sirtae*, via ex arenosis vadis facta, ut naves expedire se possent 147) Pier. *pellabitur.* 148) Burm. *Et veluti in magno populo, s. in m. p* Moret II. *magna* sc. *seditio.* Oudart. *coacta.* C. 9. *in populo magno.* 149) Al. *fervetque.* Neptuni prospectu mare placatur, ut populi seditio aspectu viri auctoritate conspicui. 150) Bigot. *Jam fasces.* Hamb. II. *et tecta.* Zul. *et tela.* Freinshem. *sudes et saxa* ad Florum III. 21. 151) Hamb. II. *gravem populi.* 152) Burm *arreptisque.* Zul. et Leid. *erectis.* Heins. *abstant*, al. *astant.* C. 8. *astat.* C. 7. *arrectis.* 153) C. 1, 6, 7, 8, 9. *Ille regis.*

Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
Prospiciens genitor, coeloque invectus aperto,
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.
  Defessi Aeneadae, quae proxima litora, cursu
Contendunt petere, et Libyae vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus; insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur
In coelum scopuli; quorum sub vertice late
Aequora tuta silent; tum silvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum;
Intus aquae dulces, vivoque sedilia saxo;
Nympharum domus. Hic fessas non vincula naves
Ulla tenent; unco non alligat ancora morsu.
Huc septem Aeneas collectis navibus omni
Ex numero subit; ac, magno telluris amore
Egressi, optata potiuntur Troes arena,
Et sale tabentes artus in litore ponunt.
Ac primum silici scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma,

---

154) Moret. II. *Sic omnis.* Bigot. *pelagi cunctus.* Puget. *cecidit furor.* Heumannus conj. *aequore.* C. 7. *cunctis.* 155) Sprot. *Aspiciens.* Moret. I. *coelo* sine *que.* 156) Leid. *Flectat.* Mentel. III. *Flexit.* Rom. et al. *fluctuque volans*; sed curru celeri. 157) Leid. *Aenidae.* Goth. II. *Aeneidae* Hamb. II. *littora proxima.* Fessi tempestate Troiani ad Libyae litus deferuntur. 159) In secessu longo, sc. littoris. Portum appellat tutam navium stationem, quoniam insula obiecta ventorum et fluctuum vim excipit. 160) Menag. II. *obiectum.* Hamb. I. *amnis.* Quibus, sc. ad quae. C. 8. *abiecta.* 161) Hamb. II. *Scinditur, inque sinus.* Sprot. *sese scidit unda.* 162) Puget. *rupes vastae.* 163) Rottend. II. *lato.* 164) Medic. et al. *scaena* s. prospectus. C. 8. *silvis dum.* 166) C. 1. *pandentibus.* Graev. *Fronde.* Goth. I. *aversa*; sed de interiore continentis littore hoc est intelligendum, quod est adversum intrantibus sinum. 168) Menag. I. *Hinc f.* C. 6, 8. *navis.* 169) Rottend. II. *aequora.* Scaliger emendabat *ullo non.* 171) Parrh. *subiit.* 172) C. 6, 7. et Goth. I. *Troes potiuntur*, sed Goth. III. *spaciantur Tr.* 173) Artus unda marina madidos. C. 8. *tabantis.* C. 6. *tabentis.* C. 7. *arctus.* 174) C. 1, 7, 8. *silicis.* Heins. *Hinc pr.* Al. *excussit*, sed male. 176) C. 8. *flammas.* Plures cod. *ex fomite.* Moret. I. a *fomite.* 177) Cerealia arma, i. e. instrumenta ad coquendum panem. Burm. *correptam.*

Expediunt fessi rerum; frugesque receptas
Et torrere parant flammis et frangere saxo.
  Aeneas scopulum interea conscendit, et omnem
Prospectum late pelago petit, Anthea si quem
Jactatum vento videat, Phrygiasque biremes,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.
Navem in conspectu nullam: tres litore cervos
Prospicit errantes; hos tota armenta sequuntur
A tergo, et longum per valles pascitur agmen.
Constitit hic, arcumque manu celeresque sagittas
Corripuit, fidus quae tela gerebat Achates;
Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentes
Cornibus arboreis, sternit; tum vulgus; et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, et numerum cum navibus aequet.
Hinc portum petit, et socios partitur in omnes.
Vina, bonus quae deinde cadis onerarat Acestes
Litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,
Dividit, et dictis moerentia pectora mulcet:
  O socii, (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora; dabit deus his quoque finem.
Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantes

---

178) Fessi s. viribus exhausti ex calamitatibus. 179) Torrent, Ut exuaft glumam, et facilius comminui possint, tum frangunt saxo, ut multi populi etiamnum grana saxis contundunt. 180) C. 7. *Interea scopulum.* 181) C. 7. *Aspectum pelago late*, sc. prospectat, quantum licet, per omne pelagus. Si s. ut videat. 182) C. 1, 8. *biremis.* C. 8. *frigeasque*, male. 183) C. 8. *Caicii.* Goth. *Capin*, *Capim.* Al. *Cayci*, a nomine fluvii Mysiae. Arma in puppibus pro, arma navis. 184) C. 7. et Goth. II. *navim.* C. 8. *prospectu nullam vidit, sed litore.* C. 1, 7. *tris*, et ita semper. C. 7. *littore.* 185) Puget. *Aspicit.* Pier. *quos tot armenta.* 186) Bigot. sine *et.* Menag. I. *per longum.* 188) Menag. I. *quae et tela.* 191) C. 8. *arges.* 192) Ingentia corpora s. cervos. 193) Hamb. I. *fundit.* C. 7. et Goth. II. *fundet.* C. 6, 9. et Medic. *humo.* Moret. I. *et meritum* C. 6, 7. *aequat.* 195) Hugen. *deinde bonus quae vina.* Virg. Segestam, Egestam appellat *Acestam*, quae condita fuit ab Aegesto Troe. Vina cadis infundere, cados onerare vinis. 196) Trinacrio s. Siculo. Bigot. *abeunt illis.* Medic. *ab. hospes.* 197) C. 8. *pectore.* 198) Medic. *neque en. immemores sumus.* 199) Rottend. I. *Et passi.* 200) Rott. I. *Vos ad Scyllaeam rabiem*, quoniam Scylla canibus cincta est, et furor mari tribuitur.

Accestis scopulos; vos et Cyclopia saxa
Experti. Revocate animos, moestumque timorem
Mittite. Forsan et haec olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt; illic fas regna resurgere Trojae.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.
Talia voce refert; curisque ingentibus aeger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se praedae accingunt dapibusque futuris:
Tergora deripiunt costis, et viscera nudant;
Pars in frusta secant, veribusque trementia figunt;
Litore aëna locant alii, flammasque ministrant.
Tum victu revocant vires, fusique per herbam
Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae.
Postquam exemta fames epulis, mensaeque remotae:
Amissos longo socios sermone requirunt;
Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant,
Sive extrema pati, nec jam exaudire vocatos.
Praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti
Nunc Amyci casum gemit, et crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et jam finis erat, quum Jupiter aethere summo

---

201) C. 1, 7. *Cyclopea.* Moret. I. *Scopulis.* Scopuli fluctibus allisis sonant. Siculum litus Cyclopum est saxosum. C. 8. *et vos Ciclopeia.* 202) Moret. II. *animum.* 205) Pier. *sedes ibi f. q. Ost.*, i. e. promittunt oracula C. 8. *facta.* C. 7. *Lacium.* Accestis pro, accessistis. 206) Ostendunt, h. e. oracula et auguria promittunt. Poetae fas esse dicunt, quae fatis volentibus et oraculorum monitu fiunt. 207) Heins. *durare* et *servare.* C. 8. *Durate, vosmet ipsos serv.* 209) Rottend. I. *alto corde* occultat. 210) Goth. II. *Illic.* Puget. *accingunt sese praedae.* Burm. *praedae accingunt, dapibusque futuris Tergora deripiunt.* 211) C. 6, 7, 8, 9. *diripiunt costis* (artubus). 212) Al. *verubus.* 213) Montalb. *Littoreque aena.* Hugen. *flammisque.* 214) Voſs *renovant.* Sprot. *animos.* Heins. *per herbas.* 215) C. 1. *farinae*, ut Rott. I. Satiant se et carne ferina et vino. C. 8. *Impletur.* 216) Zul. *P. excepta f* Hamb. I. *exstincta* Oudart *epulis exemta f.* C. 8. *excuta.* 217) Desiderant multis eum querelis. 218) Mentel. *credunt.* 219) Puget. *seu iam.* Fluctibus submersi moriuntur, et ab amicis invocantur. 220) Al. *Orontis.* 221) Al. *Amici.* Hamb. I. *Tunc Anthei.* Leid. et Sprot. *casus.* C. 8. *Amicii casuque.* 222) Al. *Lycus, Gian, Giam, Cloantum, Choantum.* C. 8. *Facta Lio.* C. 7. *Fata, Lici, f. Giam, f. Cloantum.* 223) Al. *Juppiter.*

Despiciens mare velivolum terrasque jacentes,
Litoraque, et latos populos, sic vertice coeli
Constitit, et Libyae defixit lumina regnis.
Atque illum tales jactantem pectore curas
Tristior, et lacrimis oculos suffusa nitentes,
Alloquitur Venus: O qui res hominumque deumque
Aeternis regis imperiis, et fulmine terres,
Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere? quibus, tot funera passis,
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus. Quae te, Genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Trojae tristesque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. Quem das finem, Rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi:
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit
Troïa; nunc placida compostus pace quiescit.

---

224) Burm. *Prospiciens.* Bigot. *Respiciens.* Hamb. *terrasque latentes.* C. 9. *Respiciens.* 226) Puget. *lum. terris.* 227) Cum in hunc modum oculis animoque in Aeneae fatis esset defixus. 228) Heins. *atque oc. lacr. s.* Servius *offusa.* 231) Diomedes *Quod.* 232) Tot fun., clades et calamitates. C. 8. *Quod.* 233) Gud. *Cluditur.* Ob Italiae aditum. 234) Mor. II sine *hinc.* Ven. *Certe hic.* Zul. *Certe in Romanis.* Hinc, ab his Troianis, a stirpe Teucri instaurata per novam progeniem esse oriturum populum regnatorem. Annus in orbem redit. 235) C. 1. *revocato sang.* Hinc, sc. ab his Troianis. 236) Heins. *dicione.* Fragm. Vat. *terras omnis* s. summae. 238) C. 1, 7. *tristisque.* Bigot. *casus.* Burm. *casum.* 239) C. 1, 8. *Solabor* Troianorum calamitates novo Italiae regno. C. 8. *facta rependes.* 241) Hamb. II. *Rex summe.* 242) Franc. et Hamb. II. *delapsus.* Antenor, Troia profugus, Patavium condidit. 243) Liburni versus interiores recessus Illyriae habitarunt. 244) Timavus non longe a mari inter rupium cavernas erumpit, et in sinum Tergestinum immittitur. C. 8. *Timani.* 249) C. 8. *Troica.* — Pace prof morte.

Nos, tua progenies, coeli quibus adnuis arcem,
Navibus (infandum) amissis, unius ob iram
Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?
    Olli subridens hominum sator atque deorum
Vultu, quo coelum tempestatesque serenat,
Oscula libavit natae; dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea; manent immota tuorum
Fata tibi; cernes urbem et promissa Lavini
Moenia, sublimemque feres ad sidera coeli
Magnanimum Aenean; neque me sententia vertit.
Hic tibi (fabor enim, quando haec te cura remordet,
Longius et volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia, populosque feroces
Contundet; moresque viris et moenia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit aestas,
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur, (Illus erat, dum res stetit Ilia regno)
Triginta magnos volvendis mensibus orbes
Imperio explebit, regnumque ab sede Lavini
Transferet, et longam multa vi muniet Albam.

---

250) C. 7. *annuis*, promittis Aeneam post mortem inter Deos iri relatum. 251) Pro navium parte — unius Junonis ob iram — per fraudes ejus perdimur. C. 8. *infande — utrius ob.* C. 9. *Junonis ob.* 252) C 1. *horis.* Hamb. et Leid. *arvis.* C. 8. *Itali.* 253) Aeneas pietate insignis fuit. Sic nos restituis in promissum Italiae regnum. Oudart. *in regna.* 254) A v. 254 ad 296 sequitur nobilissimus locus, in quo, sub vaticinii specie, arte non improbabili, explicantur Romae origines, incrementa splendorque imperii Augusti. — C. 1. *Illi.* C 8. *Ollii* C. 7. *Oli.* 255) Bigot. *tempestatemque.* 256) Goth. III. *dein.* 257) C. 7. *Cycharea.* Noli metuere. 259) C. 7. *sydera*, et ita semper. 260) Rottend. et Moret. II. *vertet.* 261) Al. *Hinc.* Menag II. *quando te haec.* 262) Hamb. et Paris. I. *evolvens* pro *et*, fata altius repetam e Jovis persona. C. 8. Ed. Dan. et seq. *monebo* Puget. *docebo.* 264) Zul. *mortesque.* Hamb. I. Cl. *moen. condet.* Urbem condet Lavinium et novum imperium fundabit legibus per illud triennium, quo regnum tenebit. C. 8. *maxima.* C. 7. *Cum tundet.* 266) Moret. *transierant.* Per tres hiemes s. annos. Turno victo ac caeso, rege Rutulorum. C. 7. *transierit.* 268) Regno, sc. sub regibus; at nunc eversa Troia, Julus dici coepit. 269) Pier. *annos* pro *orbes.* 270) C. 7. *a sede.* 271) Zulich *Magna vi*, s. magnis opibus. Hamb. II. *vi multa mun. urbem.*

Hic jam ter centum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea; donec regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus
Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet
Moenia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Juno,
Quae mare nunc terrasque metu coelumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos, rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum. Veniet lustris labentibus aetas,
Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulchra Trojanus origine Caesar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris;
Julius, a magno demissum nomen Iulo.
Hunc tu olim coelo, spoliis Orientis onustum,
Accipies secura; vocabitur hic quoque votis.

---

272) Heins. *Hinc*, *hoc*. Frag. Moret. *tres centum* per annos reges e Troiana stirpe Albae Longae esse regnaturos ait ad Romulum usque. Sacerdos est Virgo Vestalis, regio sanguine orta, e Marte gravida, gemellos uno partu edet. 274) Hamb. II. *partu geminam*. C. 7. *Illia*, tanquam Troiana stirpe oriunda, poetis dicta, ab Ilio Troiae, Rhea Sylvia. 275) Vratisl. *tectus*. Laetus tegmine, pro exuviis lupae. 276) Hamb. I. *accipiet*. Mavortia, a Martis filio condita, Rom. exc. imperium gentis Troianae. 277) Hamb. II. *ducit*. 278) Bigot. *metam*. C. 8 *non metas*. 279) Juno cum Jove et Minerva fuit Romanarum rerum praeses; ipsa fatigat minis, ut Troianos perdat. 280 Burm. *Quae terrasque metu mare nunc*. 281) Moret. II. *iuvabit*. C. 8. *favebit*. C. 9. *Consilium*. 282) Bigot. *Progeniem rer. d.*, orbis terrarum regnatores. *Togatam* spectat ad togae s. pacis artes et virtutes. 283) C. 1, 8. *Veniet Lustris* pro *annis*. C. 8. *Sic placidum est*. C. 7. *Venit*. 284 Al. *Pythiam*, *Phythiam*, s. Graeciam, utpote Achillis patriam. Romani a Troianis oriundi, inter quos Assaracus, Trois filius, ex Aeneae maioribus fuit. Mycena fuit urbs regia Agamemnonis. C. 9. *Phrygiam*. 285) Al. *Imperio pr.*, *et cunctis*. Licet tum Diomedes Argos tenebat, erant tamen tantae dignitatis, ut tota Graecia et totus exercitus Argivorum nomine insigniretur. 286) Sequentes versus referas verius ad Augustum, quam ad Julium Caesarem. 287) Regius *fama*. Leid. et Oudart. *terminat*. 288) C. 1. *dimissum*. Is Caesar, Julius adoptionis iure, ab Ascanio Troiano genus ducens. 290) C. 1 *victis*. Fabricii MS. *Adspicies*. Secura, nemine intercedente, Junone placata.

Aspera tum positis mitescent saecula bellis.
Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus,
Jura dabunt; dirae ferro et compagibus arctis
Claudentur Belli portae. Furor impius intus
Saeva sedens super arma, et centum vinctus aënis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Haec ait, et Maja genitum demittit ab alto,
Ut terrae, utque novae pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris; ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aëra magnum
Remigio alarum, ac Libyae citus adstitit oris.
Et jam jussa facit, ponuntque ferocia Poeni
Corda volente deo. In primis regina quietum
Accipit in Teucros animum mentemque benignam.
At pius Aeneas, per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data est, exire, locosque
Explorare novos; quas vento accesserit oras,
Qui teneant, nam inculta videt, hominesne, feraene,
Quaerere constituit, sociisque exacta referre.
Classem in convexo nemorum, sub rupe cavata,
Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
Occulit. Ipse uno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia silva,
Virginis os habitumque gerens, et virginis arma

291) Hamb. II. *mitescunt*, tempus illud erit pacatum. 292) Fides antiqua maiorum. Vesta fuit vetus dea etiam Troianorum, cuius post Romae cultus fuit celeberrimus. Romulus et Remus imperio Romano praeerunt. 293) C. 1. *dirae et f. et c. artis*; al. *arctis*. C. 8. *ferro comp.* 294) Belli portae respiciunt Jani templum, quod pace restituta clausum quasi pro carcere et custodia belli haberi potest. C. 8. *Clauduntur — ipsius intus.* 297) C. 1, 9. *dimittit.* Moret. II. *Maiae.* C. 6. *Majae genitum.* 298) Vulgo *atque n.* 300) Leid. *aethera.* Ed. Ven. *aera multum.* 301) Moret. I. sine *ac.* C. 8. *citus Libyae* Alae avium cum navium remis comparari solent. 302) Oudart. *Omnia iussa.* Hamb. I. *At iam iussa gerit.* 306) Moret. II. *alta d.* 307) Mor. II. *Quaerere constituit, quos f* Menag. I. *Expl. n.*, *quos v. a.*; *oras Quit.* Leid. *accesserat.* 308) C. 1. *videns.* Medic. *vident.* Al *feraeve.* C 7. *hominesve* 309) Al. *sociis* sine *que.* 310) Multi *convexu.* 311) Umbris, sc. arborum. 312) Hamb. I. *atque uno.* Achates Aeneae comes datus fuit. 313) Hamb. I. *lati — ferri.* Crispantur, quae inflectuntur. 314) Antequam silvam littoris esset egressus, incessît Venus puellae venatricis vultu et amictu. 315) Sprot. et Hamb. I. *ferens.* Probabile fit, puellas Spartanas venationibus quoque operam dedisse.

Spartanae, vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalyce, volucremque fuga praevertitur Eurum.
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis;
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes.
Ac prior, Heus, inquit, juvenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Succinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
Sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus:
Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,
O quam te memorem? virgo; namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat; o dea certe;
An Phoebi soror? an Nympharum sanguinis una?
Sis felix, nostrumque leves quaecunque laborem;
Et, quo sub coelo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas. Ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc et vastis fluctibus acti.
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.
Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore;
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, et Agenoris urbem;
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,

---

316) Threissa Harpalyce pro Amazone venatrice est sumenda, licet sit filia regis. C. 8. *Traissa.* 317) C. 6, 9. *Hebrum.* 318) Arcum, qui facile tractari potest. 319) C. 8. *comas.* Rottend. I. *defundere.* Leid. *dispergere.* 320) Nodo, pro quovis vinculo. 321) C. 1. *prius.* Al. *Et prior*, *At prior.* Goth. II. *inquit, nobis, mon.* C. 8. *At prius.* 322) Zul. *si quam hortantem.* 323) Multi cod. *pharetram — tegmina.* Mentel. I. *maculoso.* Menag. I. *aut mac.* 325) C. 1. *sic contra.* Hamb. II. *sic f. inquit.* Burm. coni. *insit.* 326) Franc. *mihi est.* Goth. I. *nec. v.* 327) Ed. Ven. *O quid te.* Hamb. II. *cultus.* 328) Gud. *vox hominum.* Moret. *neque vox.* 329) Al. *Aut — aut.* Sanguinis una, s. e genere. 330) Hamb. II. *quemcunque.* Sis felix s. propitia, qualiscunque dea es, nostris malis succurre. 331) C. 1. *ab oris.* 332) Leid. *Jactamur s. versamur.* Al. *locorum, locumque.* 333) Al *vastis et.* Erramus pro, sumus. C. 7. *huc vastis.* 335) Al. *tunc.* Tali sacrificio: vult enim mortalis virgo videri, non dea. 336) Bigot. *pharetras.* 337) Reg. sine *que.* Gud. *altae.* Serv. *aptare.* 338) Medic. *urbes*, a progenie Agenoris conditas. 339) Al. *Sunt Lybici* vel *Lybiae fines.* Pier. *genus insuperabile.*

Germanum fugiens. Longa est injuria, longae
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
Huic conjunx Sychaeus erat, ditissimus agri
Phoenicum, et magno miserae dilectus amore,
Cui pater intactam dederat, primisque jugarat
Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes.
Quos inter medius venit Furor. Ille Sychaeum
Impius ante aras, atque auri caecus amore,
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanae; factumque diu celavit, et aegram,
Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Conjugis; ora modis attollens pallida miris,
Crudeles aras trajectaque pectora ferro
Nudavit; caecumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viae veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His commota fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat; naves, quae forte paratae,
Corripiunt, onerantque auro. Portantur avari
Pygmalionis opes pelago. Dux femina facti.

---

342) C. 1. *sequor.* Al. *vestigia*, sed fastigia sunt capita narrationis. 343) Al. *Suchaeus*, *Sichaeus*, *Synchaeus.* Goth. II. *Huic Sichueus erat coniux.* Huet. emend. *dit. aurī.* Agri, sc. agrorum possessione. 344) Misere, s. valde amare. 345) Menag. I. *iugavit* C. 6. *iugaret.* 346) Hamb. II. *Connubiis*, ex concect., pro quibus auspicia nuptialia dici solent. Germanus, sc. Didonis. 347) C. 8. *omnis.* 348) Quos inter, sc. Sichaeum et Pygmalionem. Al. *medios.* Furor praestat ira, inimicitia. 349) Moret. II. *aram.* Bigot. *Incautum ante aras — Clam ferro immitis sup.* 350) Medic. *amorem.* Rottend. II. *amore.* Securus s. nil curans. 352) C. 1. *fallit.* Pier. *una spe.* Bigot. *spe vana.* Zulich. *clusit.* 353) Vofs II. *in somnos.* Epitheton *inhumati* auget rei atrocitatem et somnii narrati probabilitatem. 354) Ed. Ven. *tollens pallentia.* 355) Menag. II. *transiecta.* Crudeles aras, h. e. scelus crudele ad aras in se commissum. C. 8. *Crudelis.* 356) Medic. *domus et scelus.* Dorvill. *caecumque dolis.* Heins. *scelus esse.* Goth. I. *sc. ore ret.* Nudavit, s. manifestam fecit. 357) Med. *patriaeque.* Al. *patriamque.* 358) Med. *Auxilioque viae.* C. 7. *veteris.* 361) Odium immanis animi. 362) Goth. II. *metus aeger.* Zul. *naves sunt forte p.* 363) Burm. *Corripiunt.* Moret. *ornarunt auro. Portentur.* 364) Goth. III. *facta.* Puget. *factâ est.*

Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Moenia surgentemque novae Carthaginis arcem;
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,
Quove tenetis iter? Quaerenti talibus ille
Suspirans, imoque trahens a pectore vocem:
  O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum:
Ante diem clauso componet Vesper Olympo.
Nos Troja antiqua, si vestras forte per aures
Trojae nomen iit, diversa per aequora vectos
Forte sua Libycis tempestas appulit oris.
Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super aethera notus.
Italiam quaero patriam, genus ab Jove summo.
Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor,
Matre dea monstrante viam, data fata secutus;
Vix septem convulsae undis Euroque supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyae deserta peragro,
Europa atque Asia pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus medio sic interfata dolore est:
  Quisquis es, haud, credo, invisus coelestibus auras

---

365) Medic. *cernis*. 366) Oudart. *surgentesque — arces*, sc. Carthaginem ipsam. 367) Al. *Bursam*, *Bysram*, locum, in quo postea B. arcem condiderunt. 368) Goth. I. *Taurinum*. Sprot. *Quantum taurino*. Medic. *possint*. Voſs. I. *possunt*. 369) C. 1. 8. *advenistis*. 370) Mentel. I. *Quave*. Menag. I. *Quodve*. Hamb. I. *Quoque*. 371) C. 1. *de pect*. 372) Hamb. II. *primum*. Si ego fata nostra ordine exponere, et tu ea audire velles, dies nos deficeret. 373) Franc. *Et placet*. Pier. *aud. parentum*. Al. *tantorum aud. lab*. 374) Corradus *componat*. Caelum clauditur tenebris noctis praetentis. Componere, finire. 375) Fama urbis tanto clarior est, quo antiquior illa. 376) Zul. *init*. Pier. *iactos*, alia via, quam qua iter parabamus. 377) Zul. *Forte mala*. Sprot. *applicat*. Casu, qualem tempestas afferre solet. C. 6. *auris*. 378) Moret I. sine *qui*. Pius est religiosus, quoniam omnia ad deorum oracula exsecutus est. 379) Menag. I. *aequora*. C. 7. *nothus*. 380) Rom. *ab J. magno*, quatenus Dardanus, Jovis filius ex Electra, et generis auctor, ex Italia oriundus est. V. 1. et 2. *et genus*. 381) Phrygium aequor, littori Troadis praetentum. 382) Goth. I. *sequuntur*. 384) Hamb. I. *pererro*. 385) V. 2. *loquentem*. 386) C. 1. *dolori*. Al. *dolore* sine *est*. 387) C. 7. *Quisquis, haud*.

Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginae ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios classemque relatam
Nuntio, et in tutum versis Aquilonibus actam,
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Adspice bis senos laetantes agmine cycnos,
Aetheria quos lapsa plaga Jovis ales aperto
Turbabat coelo; nunc terras ordine longo
Aut capere aut captas jam despectare videntur.
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et coetu cinxere polum, cantusque dedere:
Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Perge modo, et, qua te ducit via, dirige gressum.
  Dixit, et avertens rosea cervice refulsit,
Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem
Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos;
Et vera incessu patuit dea. Ille, ubi matrem
Agnovit, tali fugientem est voce secutus:
Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis

---

388) C. 1, 6, 7. *Vitalis.* 389) Burm. *ad reg. l.* Rott. II. sine *ad.* Parrhas. et Venet. *teque hinc.* Moret fr. et edit. Genev. *ad lumina.* Leid. *profer.* 390) Dorvill. *socios reduces.* Sprot. *classemque receptam.* Goth. III. *relictam.* 391) Versis ventis. C. 8. *aptam.* 392) Vanus, non modo qui pollicetur, quae praestare nequit, sed et qui profitetur vel falsam vel inanem doctrinam. 393) Sprot. *luctantes.* Heins. *b. s. laetantes*, *laetanti b. s.*, *bis seno laetantis*, *b. s. laetanti examine* 394) Heins. *quos forte p. J. a. ab alto.* Sc. cogitandum est, cygnos adhuc recto volatu per aerem fugisse, nunc deorsum ferri versus terram, littus puta maris vel fluminis, quod antea insederant. C. 8. *Atherea.* 395) Dorvill. *Turbavit.* Pier. *turbarat.* Rom. *turbabit*, pro insequebatur. 396) Mentel. III. *captis.* Gud. *respectare.* Dorvill. *iam nunc spectare.* Franc. sine *iam.* Capere est aut occupare, aut oculis designare, eligere, petere. 398) Moret. I. *ut coetu.* Burm. coni. *cinxere solum.* Cygni in aerem alis sublati ludunt volando in orbem. 399) Bigot. *pubesque tuae puppesque.* 400) Hamb. I. *portus.* Ostia sunt aditus portus. V. 2. *tenent.* 401) Al. *quo te.* Ed. Ven. *ducet.* Zul. *duxit.* Bigot. *via ducit.* Gud. *derige.* 402) Roseum exprimit aliquid suave vel pulchrum, aut colorem floridum in tenera cute pellucentem. C. 7. *advertens.* 403) Burm. *a vertice* Comae ambrosia delibutae odorem late spargunt. 404) C. 7. *imas.* 406) Pier. *fug. tali est v. s.* 407) C. 1, 8. *totiens.*

Ludis imaginibus? cur dextrae jungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces?
Talibus incusat, gressumque ad moenia tendit.
At Venus obscuro gradientes aëre sepsit,
Et multo nebulae circum dea fudit amictu,
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere caussas.
Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Laeta suas, ubi templum illi, centumque Sabaeo
Thure calent arae, sertisque recentibus halant.
  Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Jamque adscendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet, adversasque adspectat desuper arces.
Miratur molem Aeneas, magalia quondam;
Miratur portas strepitumque et strata viarum.
Instant ardentes Tyrii; pars ducere muros,
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa;
Pars optare locum tecto, et concludere sulco.
Jura magistratusque legunt sanctumque senatum.
Hic portus alii effodiunt; hic alta theatri
Fundamenta locant alii, immanesque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
Qualis apes aestate nova per florea rura

---

408) Rott. I. *dextras.* Hamb. I. *dextram iungere dextrae.* 409) Rott. II. *aut veras.* Goth. III. *et v.* Hamb. II. *ac reddere.* Parrhas. *et notas audire ac r.* 410) Bigot. *vertit.* Puget. *ducit*, ut C. 8. 411) Hamb. II. *gradientem.* C. 6. *gradientis.* C. 7. *aere.* 412) Bigot. *fundit.* Wallian *fulsit.* 413) Al. *neu — possit.* *Voſs neu qui — cognoscere possint.* Contingere, iniuriam inferre iis tanquam advenis. C. 9. *possit.* 414) Hamb. I. *Mol. viam.* Bigot. *Molirique.* Ed. Ven. *mor. veniendi ac p. c.* Al. *exposcere, exquirere.* C. 7. *moram, veniendi poscere causam.* 415) Hamb. I. *Paphon.* Burm. *adit*, ut C. 6. 417) C. 7. *alant.* 418) Celeriter iter fecerunt. 419) Imminet ut mons sub ipsis urbis moenibus accubans. 420) Puget. *exspectat.* 422) Hugen. *virorum.* 423) Moret. II. *Ardentes instant.* 424) Parrhas. *Molirive — ac m.* Rott. II. *subducere.* 425) Al. *aptare, conducere, deducere.* Goth. III. *tecta et conc. s.*; sed definire aedium locum fossa facta, in quem fundamentum immittatur. 426) Hic versus ab aliena manu intrusus esse videtur. Jura sunt iudices, et magistratus sunt loca, ubi illi conveniant. 427) Hamb. II. *Hinc.* Pier. *portas.* Moret. *fodiunt.* Vatic. fr. *lata.* Medic. *theatri.* Portus cothon dictus est. 428) Pier. *Fund. petunt.* 429) Zul. *exscindunt.*

Exercet sub sole labor; quum gentis adultos
Educunt fetus, aut quum liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas;
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum jam moenia surgunt!
Aeneas ait, et fastigia suspicit urbis.
Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetque viris, neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae,
Quo primum, jactati undis et turbine, Poeni
Effodere loco signum, quod regia Juno
Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello
Egregiam, et facilem victu per saecula gentem.
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine divae:
Aerea cui gradibus surgebant limina nexaeque
Aere trabes; foribus cardo stridebat aënis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit; hic primum Aeneas sperare salutem
Ausus, et afflictis melius confidere rebus.
Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo
Reginam opperiens, dum, quae fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se operumque laborem

---

431) Hamb. II. *adultae.* Sub sole, s. per diem. 432) Graev. *excidunt.* Oudart. *perducunt*, fors *producunt.* Goth. III. *conliquentia.* Hamb. I. *stillantiam.* 433) Cuning. *distentent.* Zul. *aut dulci.* 434) Bigot. *excipiunt.* 436) C. 1. *fragrantia.* 438) C. 7. et Burm. *suscipit*, Hamb. I. *conspicit*; Vratisl *prospicit*; sed male: aedificia enim alta suspicimus, et fastigia urbis sunt tecta. C. 8. *suspicat.* 439) C. 1. *septum.* 440) Bigot *viros*, sc. turbae. Ulli, ab ullo. 441) C. 1. *umbra*, ut C. 6, 7. 442) C. 1. *undis ex turb.* 443) Ed. Ven. *locum signo.* Leid. et Vofs. *quo reg.* 444) Al. *Monstrabat*, *monstravit*, *monstraret — signum.* C. 7. *nam sic.* 445) Al. *victus*, pro annona affluente ex agrorum ubertate et cultu. 446) Dona de vasis, utensilibus totoque apparatu sacro intelligenda sunt — numen de simulacro deae ex pretiosa materia facto. 447) Numen accipiendum est de simulacro deae ex auro aliave pretiosa materia facto. 448) C. 7. et Servius *nixae.* Limina fiunt subiectis gradibus, per quos ad ea ascenditur. Trabes sunt postes ex ligno, vincula et clavi ex aere. C. 9. *Aurea.* 449) Al. *ahenus.* Fores erant aënae. 454) C. 9. *tum.* 455) Opera affabre elaborata varii generis. Vulgo *labores*, sc. dum inter se comparat.

Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem,
Atridas, Priamumque, et saevum ambobus Achillem.
Constitit; et lacrimans, Quis jam locus, inquit, Achate,
Quae regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus. Sunt hic etiam sua praemia laudi;
Sunt lacrimae rerum; et mentem mortalia tangunt.
Solve metus. Feret haec aliquam tibi fama salutem.
Sic ait, atque animum pictura pascit inani
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graji, premeret Trojana juventus;
Hac Phryges; instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Agnoscit lacrimans; primo quae prodita somno
Tydides multa vastabat caede cruentus;
Ardentesque avertit equos in castra, prius quam
Pabula gustassent Trojae Xanthumque bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix puer, atque impar congressus Achilli,

---

457) Sprot. *vulgante.* 458) Bigot *Atridam.* Cerda ex Seneca *Atridem* recipit. Cuning. *Atriden.* Voſs. *Priamum saevumque.* Goth. II. *ferumque.* Dorvill. *Achillen.* Si *Atridas* recte legitur, *ambobus* ita positum est, ut et illos et hunc, adeoque tres, designet. 459) Bigot *Quis non.* Leid. *quis nam.* Cuning. *qui.* 460) Ed. Junt. *nostris.* Menag. II. *in nostris terris.* 461) C. 1. *En Priamo.* Parrhas. *haec.* Laudi, pro virtute, rebus gestis, quae laudem merentur, etiam hic honos suus habetur. 462) Parrh. *En lac.* Heins. *Sunt lacrimae: rerum et m. m. t.* Burm. coni. *et gentem.* Lacrimae h. e. miseratio. 463) Al. *metum.* Franc. *fert haec.* 464) Franc. *Hic ait.* 466) Respicit potissimum pugnam Patroclo occiso factam, cum versus castra fugerent Achivi insequentibus Troianis, et instante Hectore. 467) Mentel. *Grai.* 468) Burm. *Ac Phryg.* E curru pugnabant saepe veteres, quo miles et auriga ferebantur. 469) Gud. *Haud pr.*, al. *Non pr.* C. 7. *temptoria.* C. 1. *Thesi.* Rhesus, Thraciae rex, Martis vel Strymonis filius, cum Troianis veniret in auxilium, coactus est in litore tentoria ponere. 470) Zul. *Agnovit — dedita somno.* 471) Hamb. II. *vastavit.* Gud. *cruentis.* 472) Mor. II. *Albentes a. eq.* Avertit, abigit. C. 6. *Ardentisque.* C. 7. *vertit.* 473) Xanthus Diis, Scamandrus vero hominibus dictus, fluvius Troadis, ex Ida monte profluens, unde se in Hellespontum exonerat. 474) C. 8. *Trolyus.* Armis amissis, s. clipeo ex manu dimisso. 475) Vel impar Achilli, vel congressus Achilli.

Fertur equis, curruque haeret resupinus inani,
Lora tenens tamen: huic cervixque comaeque trahuntur
Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.
Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant
Suppliciter tristes, et tunsae pectora palmis;
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.
Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,
Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet
Aurea subnectens exsertae cingula mammae,
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,
Dum stupet, obtutuque haeret defixus in uno:
Regina ad templum, forma pulcherrima, Dido
Incessit, magna juvenum stipante caterva.
Qualis in Eurotae ripis, aut per juga Cynthi

---

477) Montalb. *tantum*. Burm. *hinc*. 479) Interea, inter caetera tabularum argumenta. Palladis infestae, propter judicium Paridis. 480) Peplum deae signo iniiciebatur pro amictu. 481) Parrhas. *tonsis*. C. 7. *tonsae*. 482) Al. *adversa*, sc. deae facie in pictura expressa 483) Al. *tractaverat*. 486) C. I. *Achilli*. Hamb. I. *currum*, Hamb. II. *cursus*. Arma, quibus caesum Hectorem spoliaverat victor, currus, cui illigatum eum raptaverat, et corpus amici sc. Hectoris. V. 2. *Atque — Achillis*. 487) Voſs. *conspectat*. Goth. II. *inermem*, quod intraverat hostilia castra supplex ad genua Hectoris procubiturus. V. 1. et 2. *inermis*. 488) C. 8. et 9. ut Rom. *agnoscit*, cum Graecis permixtum praelio. 489) Agnovit Memnonem pugnantem, nigrum sc. ob copias Indorum et Aethiopum. 490) Menag. I. *Duxit*. Peltae lunatae proprie Amazonum fuere, quarum regina Penthesilea Troianis post mortem Hectoris opem tulit. 491) V. i. *Pentesilea*. 492) Subnexam habens mammam balteo. C. 6, 7. *exertae*. 494) Dorvill. *Haec cum*. 495) Al. *obtuituque — diffixus in imo*. 497 Sprot. *iuvenum magna*. Men. et Hamb. I *comitante*. 498) Eurotas Laconiae fluv., lauris aliisque arboribus consitus, ad quem Phoebus descendit visurus Hyacinthum, Oebali Spartani filium. Cynthus est mons Deli. Qualis, quo habitu.

Exercet Diana choros; quam mille secutae
Hinc atque hinc glomerantur Oreades, illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas supereminet omnes;
Latonae tacitum pertentant gaudia pectus:
Talis erat Dido, talem se laeta ferebat
Per medios, instans operi regnisque futuris.
Tum foribus divae, media testudine templi,
Septa armis, solioque alte subnixa resedit.
Jura dabat legesque viris; operumque laborem
Partibus aequabat justis, aut sorte trahebat:
Quum subito Aeneas concursu accedere magno
Anthea Sergestumque videt, fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios: ater quos aequore turbo
Dispulerat, penitusque alias avexerat oras.
Obstupuit simul ipse, simul percussus Achates
Laetitiaque metuque; avidi conjungere dextras
Ardebant: sed res animos incognita turbat.
Dissimulant; et nube cava speculantur amicti,
Quae fortuna viris; classem quo litore linquant;
Quid veniant. Cunctis nam lecti navibus ibant,
Orantes veniam, et templum clamore petebant.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi,

---

499) Parrh. *secuntur*. Diana, Nympharum choros ducens, praecipue colebatur Lacedaemone et in insula Delos. 500) Oreades sunt Nymphae montium. 502) C. 8. *pertemptant*. Heins. *pertentat*. Gaudia sc. tacita matris Latonae pertentant, s. subeunt. 504) Rom. *opere*, sc. urbi condendae. 505) Nonius *in foribus — in testudine*. Parrh. *in media*. Goth. II. *media in t.*, sc. medio templo. 506) Vatic. fr. *Saeptam armis*, sc. satellitibus. Throni erant excelsi, ideoque pedibus subiecta scabella. 507) Jus dicere. 508) Hamb. II. *ac sorte*. Vat. fr. *haut s.* Goth. III. *ferebat*. Sorte ducta opus assignabat. 509) Leid. *Tum s.* Moret. II. *iam cursu*. Zul. *cum cursu*. Heins. *ascendere*. 512) Sprot. *adverterat*. Pier. *adduxerat*. C. 8. *advexerat*. 513) Al. *Obstipuit*. C. 1, 8, 9. *perculsus*. 514) Hamb. II. *Laetitiamque metumque*. Montalb. *Laetitiaque avidi metuque*. Hamb. II. *contingere*. 515) Mor. IV. *animos sed res*. 516) Menag. II. *quia nube*. Dissimulant, reprimunt vel continent se. 517) Hamb. I. *classes*. C. 7. *quoque*. Heins. *quo in litore*. Goth. II. *linquent*; sed in *linquant* sentis continuatam actionem, adeoque pro *liquerint* poni potuit. 518) Al. *cuncti*. Gud. *lectis*. Rom. *leti* V. 1. et. 2. *Cuncti*, ut. C. 8. 519) Veniam. s. benevolam voluntatem. Hamb. I. sine *et*.

Maximus Ilioneus placido sic pectore coepit:
O Regina, novam cui condere Jupiter urbem,
Justitiaque dedit gentes frenare superbas,
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos a navibus ignes;
Parce pio generi, et propius res adspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere praedas:
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae;
Oenotri coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit:
Quum subito assurgens fluctu nimbosus Orion
In vada caeca tulit, penitusque procacibus Austris
Perque undas, superante salo, perque invia saxa
Dispulit. Huc pauci vestris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum, quaeve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenae.

---

521) Al. *placito.* Hamb. I. *nunc pec.* Maximus sc. natu, ac perinde sapientia valens. 522) V. i. *Juppiter.* 523) Hamb. II. *servare* Afros, non Poenos. Justitia referenda est ad totum mitiorem vitae cultum. 524) Hamb. I. *circum maria*, al. coni. *huc per.* 525) Zul. *infandis.* 526) Hamb. II. *Parce precor.* Montalb. sine *et.* C. 7. *aspice.* 527) Bigot *Tyrios.* Sprot. *Iliacos.* 528) Heins. Cod. Ven. *advertere litora praedas.* Sprot. *ad litora tollere.* Pier. et Leid. *a litore.* C. 6, 7. *littora.* 529) Sprot. *animo est.* Ed. Ven. *animis non tanta.* Vis est audacia, superbia vero insolentia. 530) Locus s. regio. Hesperia s. Italia. 531) Goth. I. *Patens.* Terra a prima hominum memoria habitata, incolarum fortitudine et soli ubertate excellens. 532) Oenotri Pelasgi, qui principio agrum in interiore littore inferioris Italiae occupaverant, unde Oenatria dicta primum ager, tum tota regio. Minores sc. natu Virg. ad posteros vel seriores transferre solet. V. 2. *Oenotrii.* 533) Gens pro terra. 534) Medic. *Hic.* 535) Subito fluctu, repentina tempestate commota. Orion dictus de procellis, in eius ortu vel occasu oriri solitis. 536) Vada latentia. Vehementibus ventis. C. 8. *tulunt.* 537) Superantibus maris fluctibus. 538) Dorvill. *Perpulit.* Pier. *advenimus*, appulimus. 539) Goth. II. *Nam g.* Moret. fr. *Quae g. haec h.* Menag. I. *Quod g. est. h.* 540) Moret. I. *patriam.* Menag, I. *hoo spatio.*

Bella cient, primaque vetant consistere terra.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Aeneas nobis, quo justior alter,
Nec pietate fuit nec bello major et armis.
Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris:
Non metus, officio ne te certasse priorem
Poeniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes,
Arvaque, Trojanoque a sanguine clarus Acestes.
Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et silvis aptare trabes, et stringere remos;
Si datur Italiam, sociis et rege recepto,
Tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus;
Sin absumta salus, et te, pater optime Teucrum,
Pontus habet Libyae, nec spes jam restat Iuli:
At freta Sicaniae saltem sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.
Talibus Ilioneus. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidae.
Tum breviter Dido, vultum demissa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri; secludite curas.

---

541) Oudart. *considere*. 542) Al. sine *et*. Mortalia arma sunt humanitatis iura et officia. Sperate, non timete, exspectate V. 2. *tempnitis*, ut C. I. et 8. 543) Vofs. *deas*. Heins. *fandique nefandi*. 544) V. 2. *Aeneas populo*. 545) Dorvill. *Non pietate*. Mor. II. *bello nec*. 546) Hamb. I. *et vesc* ; sed si spirat. C. 7. *facta*. 547) Medic. *Nec m*. C. 7. *Aetherea occupat*. 548) C. 1. 7. *nec*. Non metuendum est, ne te poeniteat aliquando benificiis nos provocasse. 550) C. 1, 8. *Armaque*, sc. ad Timorem Poenis incutiendum, sed vix. Acestes, rex Siciliae. 551) Hamb. I *vento*. 552) Montalb. *optare*. Hamb. II. *tangere* Al. *In silvis a tr.* navibus, et str. ferro, sc. amputare. 553) Mor. II. *Ausoniam*. Rex pro duce. C. 8. *receptis*. 554) V. 2. *Laciumque*. 555) Hugen. *abrupta*. Burm. *nec iam spes*. Si tu periisti Aenea, et una tecum Julus spes nostra; ast saltem refectis navibus ad Siciliam remeabimus, depulso Italiae consilio. 556) Oudart. *Libyes* 557) Sicaniae, Siciliae. Burm. *Ad freta*. C. 7. *saltim*. 558) Rom. *hunc*. Hamb. II. *petemus* Al. *Acestem*. C. 7. *adducti*. 559) Medic. *cunctis*. Fremitus ac murmur adsensum commotis hominum animis indicat. 561) C. 1, 8. *dimissa*. Ment. II. *vultu*. Puduit reginam, naufragos a suis tam duri habitos fuisse. 562) C. 1, 7. *corda metu*. Mor. *corde metu*. Bigot *pellite corde metum*. Al. *metus* plurali numero. Bigot *seducite*.

Res dura, et regni novitas me talia cogunt
Moliri, et late fines custode tueri.
Quis genus Aeneadum, quis Trojae nesciat urbem,
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni;
Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva,
Sive Erycis fines regemque optatis Acesten:
Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo.
Vultis et his mecum pariter considere regnis?
Urbem quam statuo, vestra est. Subducite naves.
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
Atque utinam rex ipse, Noto compulsus eodem,
Adforet Aeneas! equidem per litora certos
Dimittam, et Libyae lustrare extrema jubebo;
Si quibus ejectus silvis aut urbibus errat.

His animum arrecti dictis, et fortis Achates,
Et pater Aeneas, jamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Aeneam compellat Achates:
Nate dea, quae nunc animo sententia surgit?

---

563) Goth. II. *res dira*, dura rerum conditio. 564) Medic. *finis*. Ed. Ven. *lato*. Bigot *forti cus* Hamb. II. *teneri*. 565) Graev. *Troiam*. Ed. Ven. *nescit et urcem*. Genus Aeneadum erant maiores, a quibus ille genus ducebat. 566) Al. *tanta*. Burm. *ac tanti*. Ed. Dan. *et t*. 567) C. 1. *obtunsa*, sc stupida. Zul. *obscura*. Populi sc., qui frigidioribus in plagis nascuntur, tardiori sunt indole. C. 7. *Phoeni*. 568) Multi *adversus*. Hamb. II. *subiungit ab u*. Men. I. *Sol mergit*. Ed. Ven. *vergit*. Sol oritur iterque suum diurnum conficit. 569) Magnam s. potentem. Saturnia arva, sc. Latium, ubi Saturnus latuerit. 570) Ed. Ven. *finem*. Plures *regnumque petatis* Siciliae montem in parte occidentali, cui nomen imposuit Eryx, ibidem sepultus. 571) Tutos, sc. rebus necessariis munitos. 572) Bigot *et hic*. Ed. Ven. *pariter mecum*. Wall. *sin vultis mecum*. Pier. et Burm. *consistere*, Burm. coni. *confidere*. Rom. *c. terris*. 573) Puget *subd. remos*. C. 7. *Subdicite*. C. 6. *navis*. 574) Med. *Tyriosque*. C 7. et Sprot. *agentur*. Nonius coni. *habetur*. 575) Puget. *c. ibidem*. 576) Certi, qui certa nuntient. 577) Sprot. *Emittam*. Ven. *videbo*. Dimittam in diversas partes. 578) C. 8. *Si quis*. Al. *aut montibus*. Vix credas, quam dirae soleant accidere calamitates eiectis naufragio, praesertim in sylvis. 579) Parrh. *animi*. V. 2. *erecti*. Moret. *dictis arrecti*. 580) C. 7. et 9. ut Mor. I. *nube*. Pier. *abrumpere*. 581) C. 9. *compellet*, sed male. 582) Bigot. *animum sent. vertit*.

Omnia tuta vides; classem sociosque receptos.
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum; dictis respondent cetera matris.
Vix ea fatus erat, quum circumfusa repente
Scindit se nubes, et in aethera purgat apertum.
Restitit Aeneas, claraque in luce refulsit,
Os humerosque deo similis: namque ipsa decoram
Caesariem nato genetrix, lumenque juventae
Purpureum, et laetos oculis afflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam alloquitur, cunctisque repente
Improvisus ait: Coram, quem quaeritis, adsum
Troius Aeneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Trojae miserata labores,
Quae nos, reliquias Danaum, terraeque marisque
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo, socias, grates persolvere dignas
Non opis est nostrae, Dido, nec quidquid ubique est
Gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem,
Dî tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitia est, et mens sibi conscia recti,

---

583) Al. *reductos.* C. 9. *receptus*, sed male. 584) Puget. *medio fluctu.* Montalb. *medio quem fluctu.* 586) Rott. II. *ita fatus.* Cuning. emend. *circum cum fusa.* Vatic. fr. *quae circumfusa*; *repente.* 587) Al. *in aera*, extenuatur sc. nebula. 588) Vratisl. *Adstitit.* Parrh. *constitit.* Refulsit, apparuit. 589) Sprot. *similes.* Franc. *Os humeros similisque deo.* 590) Rott. I. *genetrix nato.* Volunt aliqui repraesentatum a poeta morem veterum Romanorum, quibus promissa coma nitor iuventae eximiae et pulchrae. C. 8. *genitrix.* 591) Montalb. *laetosque.* Burm. *et latos.* Goth. III. *laetis*, sc. inerat oculis desiderabilis aliqua gratia. 592) Restitit et refulsit tali cum decore, quale est operis eburni, aut argenti marmorisve candidi, auro circumdati. 593) Mor. I. *Argento.* Wall. *Pariusque.* Serv. *circumdatus* 594) Goth. I. *Tunc.* 595) Hamb I. *Impr. adest.* 596) Hamb. II. *abreptus.* 598) C. 1, 7. *relliquias.* Aeneas expendit liberalitatem Didonis. Stragi Troianorum caedique ab Achivis perpetratae superstites. 599) Zul. *exactos.* Parrh *iam copiis omniumque.* 600) C. 1. *sociis*, sc. de conatu. C. 8. *socias.* 601) Zul. *Nil opis.* Men. I. *nostri.* Heins. tres sine *est.* Goth. II. *o Dido.* C. 7. *quicquid.* 602) Burm. tres *Dardanidae.* Moret I. Bigot. *quae magnum.* Rottend. II. *aspersa* 603) Ed. Junt. *respectent.* C. 7. *Dii.* 604) Al. *iustitiae.* Puget. *recti est.*

Praemia digna ferant. Quae te tam laeta tulerunt
Saecula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet:
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt,
Quae me cunque vocant terrae. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, laevaque Serestum;
Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
  Obstupuit primo adspectu Sidonia Dido,
Casu deinde viri tanto; et sic ore locuta est:
Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quae vis immanibus applicat oris?
Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulsum patriis, nova regna petentem
Auxilio Beli. Genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, et victor ditione tenebat.
Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis
Trojanae, nomenque tuum, regesque Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.

---

605) Al. *ferent.* 607) C. 7. *curent.* 608) Hamb. II. *polum dum sidera pascent.* Medic. *pascit.* Vatic. fr. *poscet.* Lustrabunt, circuibunt cacumina montium rotunda. Veteres solem et sidera, quia igneae atque voracis naturae, pasci crediderunt aquarum humore in caelum educto. 609) Manebunt, animo meo nunquam excident. 610) Hamb. II. *Quo.* Rott. II. *vocent.* 611) Al. *Sergestum*, *Segestum*, *Serestrum.* 612) Al. *Gyam*, *Gigam.* 613) Heins. *primum.* 614) Hamb. II. *casum deinde viro.* C. 9. *tanti.* 616) Markland. *applicat ausis*, sc. quae vis maior admovet te tam ingentibus coeptis? Imman. oris Libyae, cuius feri incolae, sive horridae et asperae terrae. 617) Ven. *An tu ille.* Pier. *Anchise*, Capyos filio, Assarici nepoti, e stirpe Troianorum regum. 618) Ven. *genuit Phrygii.* Leid. *Simountis.* Men. I. *in unda.* Heins. *ad undas.* C. 7. *Simeontis.* 619) Burm. tres *memini Teucrum*, Telamonis Salaminis insulae regis filium, a Troia reducem, a patre non admissum, cum Cyprum petiisset, accessisse ad Belum, ut ejus ope sedem in illa insula obtineret. 621) Leid. *cum Bel.* C. 7. *Belli.* Opimam, opulentam. 622) Men. I. *ditione premebat.* 624) Duces Pelasgi, Thessali, Graeci. C. 6. *regisque.* 625) C. 1. *hostes* Teucros s. Troianos. 626) Hesion fuit mater Teucri, Laomedontis Troiani regis filia, hic Ili filius, Ilus Trois, Tros Erichthonii, Erichthonius Dardani, Dardanus Teucri gener. C. 8. *a stirpe.*

Quare agite, o tectis, juvenes, succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Jactatam hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali miseris succurrere disco.
Sic memorat. Simul Aenean in regia ducit
Tecta, simul divum templis indicit honorem.
Nec minus interea sociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pingues centum cum matribus agnos,
Munera laetitiamque dii.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis.
Arte laboratae vestes ostroque superbo;
Ingens argentum mensis, caelataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiquae ab origine gentis.
  Aeneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naves praemittit Achaten,
Ascanio ferat haec, ipsumque ad moenia ducat,
Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.
Munera praeterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre jubet: pallam signis auroque rigentem
Et circumtextum croceo velamen acantho,

---

627) Zul. *O iuv., n. s. t.* Al. *O iuv. t. s. n.* Parrhas. *o nost. i. s. t.* 628) Ed. Junt. *post multos* 630) Disco, novi. 631) Mor. IV. *sub regia.* 632) C. 1. *inducit.* Sprot. *divis.* Hamb. I. *honores.* 633) C. 6, 7. *littora.* 634) Hamb. II. *Triginta taur.* Horrentia pilis seu setis, et terga suum pro suibus. 635) Montalb. *centum pingues.* Menag. *c. m. haedos.* 636) Laetitiam Bacchi, vinum. C. 6, 7. *Dei.* 637) Pocula aurea et argentea cum caelatura et emblematis. 639) Hugen. *superbae*, sc. sunt. Vestes erant tapetia affixa parietibus, vel stragula constrata solo. 641) C. 8. *fata.* 642) C. 1, 6, 7. *antiqua.* Hamb. II. *primaque ab or.* Ed. Ven. *ducta suae ant.* Ducta non ad opus e metallo, sed ad seriem spectat. 643) Vult statim Aeneas facere filium participem tanti boni, misso ad illum Achate. 644) C. 1. *navem.* Men. I. *transmittit.* Mor. II. *permittit.* Burm. coni. *remittit.* 645) Ven. *Ascanio ut ferat.*, h. e. nuntiet haec. Mor. I. *ipsaque.* Parrh. *secumque ad m.* Men. I. *ad limina* Ascanius est fluvius Bithyniae, exiens e lacu. 646) Montalb. *stat cari*, sc. est amantis, 647) Vult vicissim Aeneas magnificentiam suam ostentare. 648) Rigentem, propter duritiem auri, pallam, s. pallium muliebre. 649) Mor. II. *circumtexto.* C. 7. *achanto*, sc. acanti foliis oram ambientibus.

Ornatus Argivae Helenae: quos illa Mycenis,
Pergama quum peteret inconcessosque Hymenaeos,
Extulerat, matris Ledae mirabile donum.
Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.
Haec celerans, iter ad naves tendebat Achates.

At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia: ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam, Tyriosque bilingues;
Urit atrox Juno, et sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:
Nate, meae vires, mea magna potentia, solus,
Nate, patris summi qui tela Typhoia temnis;
Ad te confugio, et supplex tua numina posco.
Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum
Litora jactetur, odiis Junonis iniquae,
Nota tibi; et nostro doluisti saepe dolore.

---

650) Leid. *Ornata.* Mycenae est urbs Peloponnesi, quam Perseus Danaes filius exstruxit, et in qua postea regnavit Agamemnon. Helena filia Jovis, ex Laeda sub forma cygni compressa, Castoris et Pollucis soror. V. 2. *Miceis.* 651) Men. I. *dum p.* Fabric. *peteres.* Hymenaeus est nuptiarum deus, filius Bacchi et Veneris — Pergama pro Troia sumuntur. 652) Al. *Abstulerat.* Leda est Tyndari Laconiae Regis uxor. 653) C. 1. *Ilionae*, ut sceptrum Il., et coronam a filiis regum, etiam viventibus parentibus, portari solitam. Priamus est filius Laomedontis, rex Troiae, qua capta a Pyrrho Achillis filio occisus fuit. 654) Abstulerat cum Helena Paris multas vestes et ornamenta, quae cum illa repetebant Achivi. 655) C. 1. *Bachatum*, sc. gemmatum; et duplicem, qui duplex in ea erat fascia, altera aurea, altera gemmea. 656) C. 1. *promittit.* Goth. I. *Nec cel.* Ment. II. *Hac c.* Oudart. *Has c.* Mor. *Ascelerans.* C. 7. *Accelerans.* C. 6. *navis.* 657) Cytherea, Venus. C. 7. *Citharea.* 659) Furentem amore. 660) C. 1. *Incendant.* Ipsis ossibus ac medullis flammas admovere. 661) Bilingues notat perfidiam genti familiarem. 662) Franc. *reversat.* Urit infesta Juno. 663) Goth. I. *Ergo quis.* Guelph. *dictis compellat.* 664) Rott. II. *mea regna.* 665) C. 1, 7. *Typhoea*, fulmina, quibus Gigantes vicit. 666) Burm. duo *tua munera.* Goth. III. *lumina.* 668) C. 1. *iacteturque.* C. 8. *iactatusque.* Pier. *Jun. acerbae.* C. 1. *Jun. iraque.* 669) Notum tibi est.

Hunc Phoenissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus; et vereor, quo se Junonia vertant
Hospitia. Haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis et cingere flamma
Reginam meditor, ne quo se numine mutet,
Sed magno Aeneae mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem:
Regius accitu cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,
Dona ferens, pelago et flammis restantia Trojae.
Hunc ego sopitum somno super alta Cythera
Aut super Idalium sacrata sede recondam,
Ne qua scire dolos mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo, et notos pueri puer indue vultus,
Ut, quum te gremio accipiet laetissima Dido,
Regales inter mensas laticemque Lyaeum,
Quum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem fallasque veneno.
Paret Amor dictis carae genetricis, et alas

---

670) Al. *Nunc.* Phoenissa, s. e Phoenicia oriunda, et Junonis cultui addicta. 671) Heins. *ut vereor.* 672) In tanto rerum momento non cessabit Juno, sed novas adversus Aeneam machinas parabit, quo eum perdat. 673) Bigot *Quodcirca.* Oudart. *arte.* Mor. II. *flammis*, sc. amoris. 674) Ne Junonis machinatione aliqua animus eius mutetur. 675) Medic. *Aenean.* Sprot. *mecum Aeneae.* Mor. II. *mec. mag. Aen.* Amet Dido Aeneam, quem ego amo, tueor tanquam mater. 676) Pier. *Quo.* Heins. *Qui.* Zul. *Quo facile* Gud. *Quam.* Leid. *Quid.* 677) Vatic. fr. *accitus.* Regius s. Ascanius. C. 8. *accita.* Maxima cura, sc. amor, carus Veneri. 678) Hamb. I. *puer ille.* Carthaginem, coloniam Sidoniorum ac Tyriorum. 679) Dorvill. sine *et.* 680) Mor. *Nunc.* Parrh. *Citheron.* 681) C. 1. *sacr. in sede.* Bigot. *Idaliam.* Goth. II. *Idalia.* Hamb. et Leid. I. *secreta.* Sprot. *reponam.* Idalium est templum in monte positum, etiam nemus Cypri Veneri sacrum, aeque ac urbs versus solem condita. 682) Burm. *Ne quis.* Hamb. II. *mediusque.* Ne qua, via sc., in medio negotio impedimentum adferre possit. 683) Mor. I. *ipsius.* Faciem falsam exhibe. 684) Notos s. suos proprios vultus. 685) Goth. III. *Et.* Guelph. *Ut te cum.* 686) Montalb. *Regales epulas inter lat. L.* Hic graeco more duo substantiva coniuncta sunt. Lyaeum, Bacchicum, eo quod Bacchus animum curis liberet. V. 1. *Regalis.* V. 2. *Liceum.* 687) C. 6. *finget.* 688) Hamb II. *Obscurum.* Ed. Ven. *fallaxque venenum*, sed potius per fraudem venenum amoris instilles. 689) C. 7. *genitricis.*

Exuit, et gressu gaudens incedit Juli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat, et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliae lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adspirans complectitur umbra.
Jamque ibat dicto parens, et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce laetus Achate.
Quum venit, aulaeis jam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

Jam pater Aeneas et jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis.
Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longo
Cura penum struere, et flammis adolere Penates.
Centum aliae, totidemque pares aetate ministri,
Qui dapibus mensas onerant et pocula ponunt.
Nec non et Tyrii per limina laeta frequentes
Convenere, toris jussi discumbere pictis.
Mirantur dona Aeneae, mirantur Iulum,
Flagrantesque dei vultus simulataque verba,
Pallamque, et pictum croceo velamen acantho.

690) Al. *et vultu*. Sprot. *gradiens*. Dorvill. *incessit*. 691) Pier. *placitam*. C. 8. *Ascanco*. 693) Amaracus est herba coronaria, suavissimi odoris, flosculos emittens perpusillos, candidos. 694) Zul. *Floridus — amplectitur*, anhelando odores. C. 7. *spirans*. 696) Laetus habens ducem Achatem. 697) Aulaeis, velis pretiosisque tapetibus, vel suspensis super lectum, vel in lecto substructis. 698) Mediamque locavit, inter Aeneam et falsum Julum. Sponda est pars lecti exterior, saepe pro toto sumitur, unde et sponsis nomen est. 700) Rom. *Convenient*. C. 1. *disc. auro*. C. 8. *astro*; sed super toro purpurea veste strato. 701) C. 1. *lymphas manibus*. C. 6, 7. et 8 *manibus fam*. Hamb. II. *lympham*. 702) Medic. *tunsis*. C. 7, 8. *mantilia*, villosa lintea, tergendis manibus comparata, unde nomen habent. 703) Feminae panem in canistris struebant, ut distribueretur convivis. 704) Penus sunt res ad victum necessariae, quae in intima domus parte adservantur; Penates sunt Dii, qui in intima domus parte colebantur. 706) C. 1, 6, 7, 8. *onerent — ponant*. 707) Dorvill. *limina nota*. 708) Menag. I. *visi disc*. Goth. I. *discrimine*. Tori picti iterum sunt vestes stragulae. C. 7. *thoris*. 710) C. 1, 6, 8. *Flagrantisque*. Sprot. gl. *Fulgentisque*. Menag. I. *vultum*. Fors oculi fulgentes amoris indicantur. 711) C. 7. *achanto*.

Praecipue infelix, pesti devota futurae,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phoenissa, et pariter puero donisque movetur.
Ille, ubi complexu Aeneae colloque pependit,
Et magnum falsi implevit genitoris amorem,
Reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto
Haeret, et interdum gremio fovet inscia Dido,
Insidat quantus miserae deus. At memor ille
Matris Acidaliae, paullatim abolere Sychaeum
Incipit, et vivo tentat praevertere amore
Jam pridem resides animos desuetaque corda.

Postquam prima quies epulis, mensaeque remotae,
Crateras magnos statuunt et vina coronant.
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria; dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque poposcit
Implevitque mero pateram, quam Belus et omnes
A Belo soliti. Tum facta silentia tectis:
Jupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur,

---

712) Pesti etc., amori exitiabili destinata. 713) Hamb. I. *videndo.* 714) Al. *pariter puero donisque*, *donis pariter pueroque movetur*, s. tenetur, delectatur. 717) Goth. III. *Huc oculis.* Hamb. I. *et pectore.* 718) Jortin. *inscia quantus.* 719) C. 6. *Insideat.* Franc. *quantum m. d. ac memor.* Miserae pro sibi. C. 7. *miscere.* 720) Men. II. *obolere.* Acidalia Venus a fonte Acidalio, qui est in Orchomeno Boeotiae civitate, in quo se Gratiae lavant, quas Veneri constat esse sacratas. Abolere Sichaei memoriam, amorem. 721) C. 1, 8. *temptat.* Leid. *pervertere.* Goth. III. *vino t. p. amorem.* Praeoccupare, ne Juno Didoni odium inspiret in Troianos. 723) C. 1. *prima dies*; sed potius cum primum epulandi finis esset factus. Mensae ipsae non removentur, sed tantum edulia, lances, ait Cerda. 724) Burm. *Crateres.* Rott. III. *magnas*, quasi a cratera ductum sit. Al. *Cr longe* vel *laeti st.* Vina coronant vel sertis, vel mero usque ad summum. 725) Gud. *St. str.* Bigot *vocesque.* Pier. *per alta volutant*, loquuntur, quae audiri possunt, per totum coenaculum. 720) Al. *lychini*, *lichini lacuaribus altis.* Lychni sunt hi, quos triclinii lumina vocat Lucilius, faces. 729) Heins. *qua.* A Belo Tyriorum regum stirpem ducebant Graeci. 730) C. 7. *A bello.* Longob. *Dum.* Inter Didonis maiores numeratur Belus, a quo Tyriorum regum stirpem ducebant Graeci. 731) Jupiter hospitalis fuit in magna veneratione. C. 6, *Juppiter.*

Hunc laetum Tyriisque diem Trojaque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores!
Adsit laetitiae Bacchus dator, et bona Juno!
Et vos, o coetum, Tyrii, celebrate faventes!
Dixit, et in mensam laticum libavit honorem,
Primaque, libato, summo tenus attigit ore.
Tum Bitiae dedit increpitans. Ille impiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro.
Post alii proceres. Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quae maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, solisque labores;
Unde hominum genus, et pecudes; unde imber, et ignes;
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausu Tyrii, Troësque sequuntur.
Nec non et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem:

---

733) Menag. II. sine *que*. C. 6. *minoris*; sed nepotes intelliguntur. 734) Medic. *At sit*, Juno propitia. 735) C. 9. *o Tyrii coetum*. 736) C. 1, 7, 8. *immensum* laticum, laticis, honorem, i. e. vinum in deorum cultum libatione effusum. 737) Heins. coni. *libatos*. Hamb. II. *libatum*. Sprot. *sacro tenus*. Libato alteri tradit poculum, unde primo loco gustaverat, ut et ille libatione facta biberet, quod et is laetus lubensque facit. 738) Hamb. I. *Cum Bithiae*. Al. *Byciae*, *Biciae*. Dedit, propinavit invitans. 739) Men. I. *summo s. p.* Oud. *profluit*. Pier. *pr. ore*. Poculum vini plenum exhausit, quod tantum labris attigerat Dido. 740) Jopas dicitur a voce attributa citharae. Est proprius citharoedorum habitus, comam alere. C. 8. *Joppas*. 741) Medic. *doc. quem*. Graev. *quam*. Atlas, Rex Mauritaniae astrologiae peritissimus, coelum humeris sustinuisse dicitur. 742) Al. *Is can.*, lunae cursus solisque defectus. 743) Hamb. *Unde genus hominum et pecudum*. Ed. Ven. *pecudes*, *aqua*, *imb.*, sed aqua ex glossa. Sprot. *et ignis*. Medic. Pier. *et pecudes*, *genus unde ferarum*. V. 2. *himber*. 744) Plures ap. Heins. *Pliadasque Hyadas*. Ed. Ven. *Plyadasque hyades*. Parrh. *Pleiadasque*. Hamb. II. *septemque Triones*. Arcturus stella procellosa, in signo Bootae, prope caudam ursae maioris. Hyades stellae in fronte Tauri. Gemini Triones sunt Helice et Cynosura, ursa maior et minor. 745) Goth. II. *Qui*. Burm. tres *properant*. Mor. I. *se intingere*. C. 7. *tingere*. 746) C. 7. *obstat*. Goth. II. *tum quae*. 747) Vulgo *plausum*. M. III. *plausus*. 748) Ed. Ven. *trahebant*. 749) Quasi longo haustu.

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa;
Nunc, quibus Aurorae venisset filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi; nunc, quantus Achilles.
Imo age, et a prima, dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaum, casusque tuorum,
Erroresque tuos. Nam te jam septima portat
Omnibus errantem terris et fluctibus aestas.

---

750) Gud. *super Hectora*, Priami regis Troianorum filii, ab Achille occisi. 752) Diomedes rex Thraciae equos habuit admodum feros, qui corporibus humanis pascebantur, a quibus equis originem ducebant equi illius Diomedis, qui ad Troiam pugnavit V. 2. *Dyomedes*. 753) Hugen. *Nunc age*. Excidium Troiae a simulato inde Achivorum reditu equoque fabricato C 6, 7. *Immo*. 756) Hinc probat Segresius, aestate Aeneam ad Africae litus appulsum esse.

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER SECUNDUS.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant,
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
Infandum, Regina, jubes renovare dolorem;
Trojanas ut opes, et lamentabile regnum
Eruerint Danai; quaeque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulixi
Temperet a lacrimis! et jam nox humida coelo
Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breviter Trojae supremum audire laborem;

LIBER SECUNDUS.

2) Medic. *ab alto.* Aeneas sc. sedebat in altiore s. dextra parte lecti, Ascanius in inferiore s. sinistra, Dido in media. C. 7, 8. *thoro — alto est.* 3) Hamb. I. *renovare iubes regina.* 4) Hugen *opis.* 5) Franc. *ipsa.* 7) Goth. III. *diri.* Franc. *Vlyssei*, C. 8. *Vlixis.* Myrmidones sunt Thessaliae incolae, sicut Dolopes; sed hic spectant ad Achillem et Neoptolemum eius filium. C. 7. *Dolopumve.* 8) C. 1. *etiam.* Gud. *temperat.* 9) Nox descendit in Oceanum, quasi cursu per medium caelum facto. Sid. cad., die proximo imminente. 10) Hamb. I. *sed cum t.* Franc. *Et si.* Gud. *agnoscere.* Graev. cogn. *tantos* 11) Supr. lab., ipsum urbis excidium. C. 7. *Suppremum adire.* Ibi etiam hic versiculus praepositus est anteriori.

Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit; – – –
Incipiam.
Fracti bello, fatisque repulsi
Ductores Danaûm, tot jam labentibus annis,
Instar montis equum divina Palladis arte
Aedificant, sectaque intexunt abiete costas.
Votum pro reditu simulant; ea fama vagatur.
Huc delecta virûm sortiti corpora furtim
Includunt caeco lateri, penitusque cavernas
Ingentes uterumque armato milite complent.
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant;
Nunc tantum sinus, et statio male fida carinis;
Huc se provecti deserto in litore condunt.
Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu:
Panduntur portae. Juvat ire, et Dorica castra,
Desertosque videre locos, litusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles;
Classibus hic locus; hic acie certare solebant.
Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae,
Et molem mirantur equi; primusque Thymoetes
Duci intra muros hortatur, et arce locari;

---

12) Mor. II. *luctumque.* 13) Erat fatale, non nisi post novem annos Troiam capi. 15) Menag. I. *divinae.* Equi fabricator fuit Epeus, materiam advexit Aiax Oilei; Pallas artibus praeest. 16) C. 1. *abite.* Ven. *factaque.* Abiete pro quovis ligno. 17) Votum s. vovisse. 18) Gud. *dilecta.* C. 6. *electa.* 20) Heins. *ingentis*, ut C. 7, 6. 21) Tenedos, insula Hellesponti, contra Sigeum Troadis promontorium. 22) Bigot *manerent.* 23) Sinus est reductus quidam secessus littoris; statio vero, ubi naves tempestate iactatae ad tempus stant. C. 8. *sinus, statio.* 24) Longob. *proiecti.* Goth. III. gloss. *ponunt.* C. 7. *Hunc.* C. 8. *profecti.* 25) C. 7. *Non.* Ed. Ven. *Vos et abisse.* Vento secundo petiisse Mycenas, urbem regiam Agamemnonis in Peloponneso. 26) C. 1. *se solvit.* Mor. II. sine *se.* Omnis Teucria, s. Troiae sexus, aetas, gens et conditio per decennium luctu pressa fuit, quem nunc deponit. 27) Doris, Graeciae regio, inter Thessaliam, Aetoliam et Phocidem. 29) Hamb. I. *tend. Vlixes*, s. tentorium habebat. 30) Vulgo *acies.* Classibus, h. e. navibus in terram subductis. C. 6, 7, 8. *acies.* 31) Minerva Vulcani nuptias respuit, et virginitatem servavit. 32) C. 1. *miratur.* 33) Ven. *inter.* Mor. II. *infra.* Moret. *in arce.*

Sive dolo, seu jam Trojae sic fata ferebant.
At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaûm insidias suspectaque dona
Praecipitare jubent, subjectisque urere flammis;
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria vulgus.
Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce;
Et procul, o miseri, quae tanta insania, cives?
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut haec in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaque desuper urbi;
Aut aliquis latet error. Equo ne credite, Teucri.
Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes.
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso
Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.
Et, si fata deûm, si mens non laeva fuisset,
Impulerat ferro Argolicas foedare latebras;
Trojaque nunc stares, Priamiquae arx alta maneres.
Ecce, manus juvenem interea post terga revinctum

---

34) Hamb. I. *manebant.* Hamb. II. *parabant.* Montalb. *volebant.* C. 8. *facta.* Sive dolo: habuit enim Thymoetes aliquam prodendi Priami quasi causam justam. 35) Goth. III. *sent. cordi.* Hamb II. s. *surgit.* Capys conditor Capuae existimatus. 37) Al. *subiectisve.* 38) C. 1. 8. *temptare.* 40) Pier. *ante alios.* Goth. I. *Primus ibi iuvenum m. c. c.* 41) Laocoon iuxta aliquos Anchisae frater fuit, iuxta alios Priami filius, sacerdos Apollinis. C. 1, 7. *Lacaon.* C. 8. *Loacoon — ab urbe.* 42) Menag. II. *infamia.* 43) Goth. II. *aut illa.* C. 7. *advectos.* 44) Men. I. *et sic.* 45) Mor. II. *hic.* Wall. *incluso.* 46) Al. *Atque.* 47) Leid. *domus.* Cum enim altior esset muris et domibus, suspicabatur Laocoon esse aut speculam, aut machinam foetam ignibus, qui deinde in subiectam urbem ingruerent. 48) Al. *latet error equo; ne.* Al. *nec cr.* Error pro fraude. 49) Parrh. *haec dona.* 50) Mor. II. *val. contorquet vir.* 51) Feri equi. C. 8. *curam.* 52) Rott. II. *Intorsit.* Reg. *recuso.* Hamb. I. *recluso.* 53) Bigot *sonitumque.* Sprot. *catervae.* 54) Guelph. *non coeca.* Fata contraria, Numina laeva, mentem imprudentem Troianorum. 55) Hamb. I. *tentare lat.* Argolicas, s. Graecas, ab Argis, urbe Peloponnesi. Foedare, lacerare, vulnerare. 56) Medic. *staret — maneret.* 57) C. 7. *revictum.*

Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidae: qui se ignotum venientibus ultro,
Hoc ipsum ut strueret, Trojamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu versare dolos, seu certae occumbere morti.
Undique visendi studio Trojana juventus
Circumfusa ruit, certantque illudere capto.
Accipe nunc Danaûm insidias, et crimine ab uno
Disce omnes.
Namque, ut conspectu in medio turbatus, inermis,
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt
Accipere? aut quid jam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi
Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt.
Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis
Impetus. Hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat; memoret, quae sit fiducia capto.
(Ille haec, deposita tandem formidine, fatur.)
Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcunque, fatebor
Vera, inquit; neque me Argolica de gente negabo;
Hoc primum. Nec, si miserum Fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.
Fando aliquod si forte tuas pervenit ad aures

---

59) Al. *Dardanidem*, sc. regem. Servius *quis se.* Troiani a rege Dardano, Teucri genero. 60) Mor. I. sine *ut* Goth. III. *instrueret.* Ut adduceretur ad regem sc. 61) Mor. I. *fidensque.* Rom. *fidens animo.* Oud. *ad utrumque.* 62) Longob. *versare dolo.* 63) C. 7. *viscendi*, sed male. 64) Rom. *certatque.* 65) Ed. Junt. *crimen ab uno*; ex unius fraude disce, quam perfidi omnes Danai sint. 67) Gud. sine *in.* 68) Mor. I. *Phryg. circum agm. spexit*; al. *circ. Phr. ag. sp.* Goth. II. *spexit Ph. a. circ* Phrygia pro Troiana, quia Troas in Phrygia minore fuit. 69) Mor. I. *quaenam nunc tellus.* Hamb. II. *possent.* 70) C. 8. *Jam quid.* 71) Ed. Junt. *unquam.* C. 1, 2, 9. Mor. II. *insuper*, sc. praeterea. 72) Cum sanguine, sc. vita ipsa. 73) Guelph *compressi.* Dorvill. *comprensus.* 75) Zul. *cepto.* C. 1. *memor et.* 77) Med. *quidem.* C. 1, 6, 8, 9. *fuerint quaecunque*, mihique exinde acciderint. C. 7. *Rex tibi.* 78) Ed. Ven. *Vera, nec Arg. me iam de.* 79) Ven. *ne si.* Hoc primum sc. verum fatebor. C. 8. *sc.* 80) Gud. *fingit.* Goth. III. *finxit.* Ed. Ven. *fingat.* Dorvill. *iam vanum et mendacem.* 81) C. 1, 8. *aliquid*, sed aliquod nomen dicitur.

Naupliadae nomen Palamedis, et incluta fama
Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci; nunc cassum lumine lugent:
Illi me comitem, et consanguinitate propinquum,
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regumque vigebat
Consiliis: et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus. Invidia postquam pellacis Ulixi
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris;
Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens; et me, fors si qua tulisset,
Si patrios unquam remeassem victor ad Argos,
Promisi ultorem; et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes; hinc semper Ulixes
Criminibus terrere novis; hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, et quaerere conscius arma.
Nec requievit enim, donec Calchante ministro —
Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo?
Quidve moror? si omnes uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est: jamdudum sumite poenas.

---

82) Palamedes fuit Nauplii filius, regis Euboeae insulae, in Aegaeo mari. C. 6, 7, 8. *inclita.* 83) Pelasgi, s. Achivi, seriorum Graecorum more, falso sub crimine proditionis. Ulysses enim aurum in Palamedis tentorio clam defodit. 84) Goth. III. *quod b. vocabat.* Dissuadebat bellum et oppignorationem Troiae. C. 6. *bella verebat* (? !). 85) C. 6, 7. *Dimisere.* Cassum lumine, privatum vita. 87) Witt *in annis.* Bigot *ab armis.* In arma, ad bellum; ab eius initis, pro pr. ab annis. C. 6. *primis me mis.* 88) C. 1, 9. *regnumque.* Goth. III. *regio incolumis.* Vulgo *regnumque.* Subintelligatur commune imperium et concilium totius Graeciae, ad bellum Troianum consociatae, vel regnum Euboeae, quod obtinebat Nauplius Palamedis pater. 89) Al. *Conciliis.* 90) C. 1. *fallacis*; al. *infelicis.* C. 7, 9, 8. *Ulixei.* 91) C. 1. *loquar.* Longob. *excessit.* Puget *decessit.* Zul. *discessit.* 92) Al. *Afflictans.* Reg. *vita*, erasa littera *m.* Franc. *luctumque.* In tenebris, vitatis hominum conventibus. 93) Ven. *casu.* 94) Mor. I. *Nec tac. infelix.* Ed. Ven. *et sors me si qua.* 95) Al. *usquam.* C. 9, 7. *remearem.* — *ad agros.* Leid. *in agros.* 96) Minatus sum, et Ulyssis odium exasperavi. 98) Crimina nova proferre. 99) Conscius intra se occisi Palamedis, vel periculi imminentis. Arma esse possunt consilia. 100 Goth. II. *magistro.* Calchas, Graecorum augur, absque cuius consilio nihil Troiano bello gestum est. C. 7. *Calcante.* 101) Pier. *ignota.* C. 7, 8. *nequicquam.* 102) Uno ordine, loco, reatu. 103) Jam dudum, quam primum.

Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae.
Tum vero ardemus scitari et quaerere caussas,
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae.
Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur.

Saepe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri, et longo fessi discedere bello.
Fecissentque utinam! saepe illos aspera ponti
Interclusit hiems, et terruit Auster euntes.
Praecipue, quum jam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toro sonuerunt aethere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phoebi
Mittimus, isque adytis haec tristia dicta reportat:
Sanguine placastis ventos, et virgine caesa,
Quum primum Iliacas Danai venistis ad oras;
Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum
Argolica. Vulgi quae vox ut venit ad aures,
Obstupuere animis, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios; quae sint ea numina divûm,

---

104) Heins. *Haec Ith.* Al. *hoc magno.* Rem facietis optatissimam Ulyssi Ithacae regi, et Agamemnoni et Menelao Atrei filiis. 105) C. 9. *Dum.* Burm. *scitare.* Goth. II. *scrutari.* 106) Al. *Pelasgi* s. Graeci, quia suspecta olim fuit Graecorum fides. 107) Ad fraudem composito animo. 108) Carisius *voluere. Saepe* pro *aliquoties.* 109) Parrh. sine *et.* Cerda *decedere.* C. 7. *Moltiri, longo* sine *et.* 110) Rott. II. *et saepe.* Mont. *illis asp. portum J. h.* 111) Deterruit ire volentes, quo minus navigarent, Auster, ventus meridialis, adversus redeuntibus e Troade in Graeciam. In C. 1. hic versiculus post v. 125 positus est. 112) Medic. *iam cum.* Dorvill. *cum hic.* Hamb. I. *confectus.* Menag. II. *contectus.* Franc. *concestus.* C. 7, 8. *acervis.* 113) Mox orti sunt turbines. C. 7. *toto.* 114) Al. *Euripilum, Eurypilum, Euriphilum fictantem*, augurem nobilem, quem 40. navibus ad bellum Troianum venisse, ait Homerus. C. 1. 7. *Euriphili.* 115) Parrh. sine *que.* Hamb. II. *in que.* Montalb. *susque.* Hamb. I. *tristia dona.* C. 9. *hicque aditis.* 116) Hamb. II. *placasti.* Virgine caesa Iphigenia, Agamemnonis filia. 118) Hamb. II. *animamque l. Argolicam.* Medic. *litandum est*, s. sacrificandum ab iis, quorum oblatio Diis grata est, unde litaniae catholicorum derivantur. 120) C. 1, 6, 7, 9 *animi.* Al. *Obstipuere.* 121) Hamb. II. *parant.* Goth. II. *petant.* Poscere proprium est de fatis. 122) Sprot. *Hinc.* Burm. tres *magno vatem.* Mont. *Calchante.* Ithacus, Ulysses, Ithacae insulae rex. 123) Hamb. I. *ea munera.* Sed numina hic sumuntur pro voluntate Deorum.

Flagitat. Et mihi jam multi crudele canebant
Artificis scelus, et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Composito rumpit vocem, et me destinat arae.
Assensere omnes; et quae sibi quisque timebat,
Unius in miseri exitium conversa tulere.
Jamque dies infanda aderat; mihi sacra parari,
Et salsae fruges, et circum tempora vittae.
Eripui, fateor, leto me, et vincula rupi;
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Delitui, dum vela, darent si forte dedissent.
Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad poenas ob nostra reposcent
Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te, per superos, et conscia numina veri,
Per, si qua est, quae restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum; miserere animi non digna ferentis.
His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro
Ipse viro primus manicas atque arta levari

124) Multi divinabant. 125) Hamb. I. *ventura timebant.* Schrader coni. *pavidi v.* providebant. 126) Bigot *bis senos.* 128) Zul. *clam. auctus.* 129) Longob. *Compositam.* C. 6, 7. *aris*, sc. ut damnatos. 130 Gud. *timebant.* Goth. III. *sibi q. parabat.* 131) Conversa tulere, converterunt. 132) Goth. *infesta — parantur.* 133) Salsae fruges, far tostum contusum sale adsperso. Vincula non sunt vittae, sed, quibus ligatus servabatur, et ad aram ducebatur, etsi iam vittatus. C. 8. *victae.* 134) Burm. tres *leto fatcor.* 135) Goth. I. *lacus.* Ulva est herba quaelibet palustris. 136) Menag. II. *Dilicui.* Moret. fr. *daret.* Hamb. II. *si forte tulisset*, sed potius *si fata tulissent.* Vulgo: dum vela darent, si forte dedissent 137) Prior s. pristina patria est antiqua. 138) C. 1, 6, 7. *dulcis.* 139) Medic. *fors et p.*, sed male nisi forsit, forset pro fortasse. C. 7. *illo* 140) Bigot *Refugium.* 141) Quod, quocirca, qua in re. 142) C. 1, 9. *restat.* Al. *unquam.* 143) Bigot *horum mis. lab* Ven. *malorum*, Fides hic est iusti rectique observantia. 144) Bigot *miserere viri.* 145) Al. *veniam.* Hamb. I. *ultra*; sed potius facili promtoque animo. His l., propter has lacrimas. Manica significat aliquando vestium partem, quae manus et brachia protegit. 146) Sprot. *Ipse ultro primus.* Hamb. II. *manicas primas.* Hugen *alta.* Graev. *arta atque.* Goth. III. *levavit*; sed deberet sequi: *Vincla senex* vel *bonus Priamus.* C. 1, 6, 7, 8. *arta.* Manica significat modo vestium partem, quae manus et brachia protegit, modo vincula manuum.

Vincla jubet Priamus, dictisque ita fatur amicis;
Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos;
Noster eris; mihique haec edissere vera roganti:
Quo molem hanc immanis equi statuere? quis auctor?
Quidve petunt? quae religio? aut quae machina belli?
Dixerat. Ille dolis instructus et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos, aeterni ignes, et non violabile vestrum
Testor numen, ait; vos arae, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittaeque deûm, quas hostia gessi;
Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt; teneor patriae nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas, servataque serves
Troja fidem; si vera feram, si magna rependam.
Omnis spes Danaûm, et coepti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo
Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes,
Fatale aggressi sacrato avellere templo
Palladium, caesis summae custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divae contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm, fractae vires, aversa deae mens.

---

148) Leid. *hic.* Mor. I. *hinc nam.* Bigot *hinc obliviscere.* Amissos, quorum sc. usu privatus est. 149) Sprot *hoc.* 150) Huger. *Quid molem.* Hamb. I. sine *hanc.* Ed. Ald. *stravere.* 151) Burm. tres *petant.* Sprot *petit.* C. 6. *relligio? quae.* 152) Graeci mala fide infames fuerunt. 153) Leid. *exhaustas.* Goth. II. *exustas.* 154) Aeterni ignes sunt sol, luna et sidera. 155) C. 1. *aras.* 156) Desunt C. 1. *vittaeque Deum, quas hostia gessi.* Vittae deum sunt divinis rebus adhibitae. 157) C. 6. *revolvere*, jus commune popularium. 158) C. 1. *aras.* Oud. *al. om.* 159) *Si* pro siquidem, non dubitantis, sed affirmantis est. 160) Wall. *Dum modo.* Mor. III. *iurataque.* Goth III. *promissaque.* 161) Men. II. *si vera rependam.* 162) C. 1. *coeptis.* Vratisl. *capti.* Ven. *coepti et.* Danaum s. Graecorum. Fiducia est spes certa de belli exitu. 163) C. 7. *auxilio* Bigot *semp. fuit.* 164) Graev. ex gl. *repertor Vl.* Tydides, Diomedes, Tydei filius, impius propter Palladium ablatum, quod fuit Palladis statua, armata scuto breviore et hasta. 165) Graev. *egressi.* Men. II. *advellere* pro abvellere. 168) Heins. ed. Dan. *virgineasque.* Men. II. *divas* Ven. *sunt divae ausi*, contrectare manibus impuris. 169) Burm. *et retro.* 170) Gud. *adversa.*

Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum; arsere coruscae
Luminibus flammae arrectis, salsusque per artus
Sudor iit; terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem
Extemplo tentanda fuga canit aequora Calchas;
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago et curvis secum avexere carinis.
Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso
Improvisi aderunt. Ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso,
Effigiem statuere; nefas quae triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, coeloque educere jussit;
Ne recipi portis, aut duci in moenia possit;
Neu populum antiqua sub religione tueri.
Nam si vestra manus violasset dona Minervae,
Tum magnum exitium (quod dî prius omen in ipsum
Convertant!) Priami imperio Phrygibusque futurum,
Sin manibus vestris vestram adscendisset in urbem:
Ultro Asiam magno Pelopea ad moenia bello

---

171) Pallas fuit Tritonia dicta. 172) C. 6, 7. *in castris.* Oculi Palladii exarsere ira. 173) C. 7. *arctus.* 174) C. 7. *collo.* 176) Calchas, Graecorum vates. 177) Goth. III. *Non.* Zul. *excidi.* Pergama, arx Troiae. 178) Zul. *Numina.* Alluditur ad Romanorum morem, quo Imperatores urbem redibant ad repetenda auspicia, neque extra eam fas erat. 179) Vulgo *advexere*, al. *adduxere.* 180) Men. I. *Et nunc quae.* Poetae tam Argos, quam Mycenas sumunt pro Graecia. 181) Parrh. *parent.* Goth. III. *parant socios*, h e. opes et copias bellicas instaurant. 182) Medic, *aderant.* C. 6, 7. *omnîa.* 183) Rott III. *et pro num.* Oudart *n. rapto.* Interea Calchantis monitu, Palladii vice, quo rapto deae sibi iram conflavere, ad sacrilegium expiandum, hoc equi signum statuerunt 185) Pier. *Hanc adeo.* 186) Robur vel lignum quodvis durissimum, vel species quercus. 187) C. 1. *postis.* Al. *Neu rec.* Moret. II. *in portis.* Mor. I. *nec duci.* Al. *posset.* C. 7. *poscit.* 188) C. 1. *ant. rel. tu.* Al. *Nec.* In locum Palladii succedere, quod antiquo cultu et populi credulitate urbem servaturum erat. 190) Hamb. II. *excidium.* C. 8. *Dii.* 191) Puget. *Convertent.* Hamb. I. *Phrygiis*, s. Troianis. C. 8. *futuras.* 192) Sin a vobis in urbem inductus esset equus, Troianos, conversis fatis, Argos esse bello petituros et excisuros. 193) Hamb. I. *magnam.* Heins. *Pelopeia ad m.*, vel Argos, ubi praecipue regnavit Pelops, vel totum Peloponnesum, i. e. insulam Pelopis.

Venturam, et nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidiis perjurique arte Sinonis
Credita res; captique dolis lacrimisque coactis,
Quos neque Tydides, nec Larissaeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinae.

Hic aliud majus miseris multoque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
Solemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum, inter fluctus arrecta, jubaeque
Sanguineae exsuperant undas; pars cetera pontum
Pone legit, sinuantque immensa volumine terga.
Fit sonitus, spumante salo; jamque arva tenebant,
Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exsangues. Illi agmine certo
Laocoonta petunt; et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, et miseros morsu depascitur artus.
Post ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem,

---

194) Witt. *in nostros.* Bigot. *et vestros.* 196) C. 1. *coacti.* 197) Larissaeus s. Thessalus. Tydides, Diomedes Tydei filius. 198) Carina est trabs ima, quae fundamentum est totius navis; saepe pro tota navi sumitur. 199) Donat. *Huc aliud.* Hamb. I. *mis. maius m. timendum.* 200) Bigot. *Obiicitur monstrum.* Troianos, qui tale quid non praeviderant. 201) Ubi non erant certi deo sacerdotes, sorte duci mos erat; et hic sors in Laocoontem, iam antea sacerdotem Apollinis, cecidit. C. 1. *Lacoon.* 202) C. 1, 6, 7. *Sollemnis — mactavit.* Hamb. II. *taurum immensum.* Goth. *ingentes.* 203) Hamb. I. *a Tenedo gemini.* 205) Mentel. *incumbent.* 206) Bigot. *erecta.* Goth. III. *arrepta.* 207) C. 1, 6, 7, 8, 9. *superant.* 208) Zul. *Pone secat.* C. 1, 9. *sinuatque.* 209) Men. II. *solo*, s. mari. 210) C. 1, 6. *Ardentisque — subfecti.* 212) Oudart *exanimes.* Sprot. *ex agmine.* Mor. I. *cepto.* Burm. *facto.* Certo et ordinato motu. C. 6. *visum.* 214) Rott. 1. *iam amplexus.* Mor. fr. *complexus.* Hos duos pueros appellatos Antiphantem et Thymbraeum, Hyginus scribit. 215) Al. coni. *et teneros.* C. 7. *arctus.* Circumdat nodis, et devorat. 216) Mor. II. *auxilium.* Bigot. *et tela.* Mor. fr. *tela parentem*, cum telo in manu approperantem.

Corripiunt, spirisque ligant ingentibus; et jam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas atroque veneno;
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Quales mugitus, fugit quum saucius aram
Taurus, et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, saevaeque petunt Tritonidis arcem;
Sub pedibusque deae, clipeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor, et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Laeserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque divae
Numina conclamant.
Dividimus muros, et moenia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subjiciunt lapsus, et stuppea vincula collo

---

218) C. 8. *mediam.* C. 7. *Ampl. med. bis, bis.* Cum uterque serpens corpus et collum ejus tractibus inferioris corporis sui circumdedissent, emicant suis capitibus. 220) Ment. *devellere.* 221) C. 1. *Perfusas.* Sanies est sanguis mutatus ac fere corruptus, atro colore permixtus. 223) Vulgo *aras.* C. 7. *Qualis.* 224) C. 1. *securum.* C. 9. *securem.* 225) Hamb. II. *lapsi.* Templa delubra dicta sunt, quia plerumque ante ipsa fontes erant aut lacus, ubi templa ingressuri deluebantur. 226) Hamb. II. *diffugiunt.* Minervae Tritoniae arx, s. urbs Troiana, in qua templum illud erat. 227) Franc. *clypei sub.* Moris fuit antiquorum, ad pedes deorum effingere monstra ab ipsis domita. 229) C. 7. *expedisse.* Men. I. *expandisse.* Quidam aiunt supplicium luisse tum quidem Laocoonta, non ob laesum equum, iramque Palladis, sed ob violatam alio scelere sanctitatem Apollinei templi, cuius erat sacerdos; et serpentes aufugisse in idem illud templum, quod erat in urbis arce. 230) Mor. I. sacrum quia. 231) Zul. *torserit.* A tergo equum aggressus, ictum in eam impegit lateris partem, quae alvo contermina est. 232) Zul. *sedem.* Mor. I. *sedis.* Franc. *horrendaque.* Ad sedes Deae, sc. templum, ubi Numen placandum erat. 233) Ment. III. *conclamat.* 234) Cruqu. Schol. *Diffidimus.* Germanus muros vult esse lapideum urbis ambitum, moenia vero turres et munitiones, quibus muri defenduntur. 235) Hamb. II. *operi omnes se accingunt.* Rotae labentes dicuntur, quando volvuntur. 236) C. 7, 8. *stupea.*

Intendunt. Scandit fatalis machina muros,
Feta armis. Pueri circum innuptaeque puellae
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediaeque minans illabitur urbi.
O patria, o divûm domus, Ilium, et incluta bello
Moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen immemores caecique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei jussu non unquam credita Teucris.
Nos delubra deûm miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.
Vertitur interea coelum, et ruit Oceano nox,
Involvens umbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos; fusi per moenia Teucri
Conticuere; sopor fessos complectitur artus.
  Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo, tacitae per amica silentia lunae,

---

237) Scandit, transscendit rotis et funibus machina illa, quae esset extremum fatum atque exitium allatura. 238) Feta armis, s. plena armatis viris. 239) Hymnos canunt pueri et puellae adhuc virgines in honorem Palladis. 240) Nihil grandius potuit dici ad explicandum exitium, quam *minans i. u.* 241) C. 1, 6, 7, 8. *inclita* Al. *Ilion inclita, Ilion et.* Habuit murorum structores Neptunum et Apollinem. 242) Ven. *ipse.* Burm. *limine poste.* 244) Immemores, improvidi, quia fatum et memoriam abstulit, et menti tenebras induxit. 245) Monstrum infelix, pro equo portentosae magnitudinis. 246) Cassandra Priami et Hecubae filia, quae, cum ab amatore Apolline artem accepisset vaticinandi, nec ei tamen gratiam amoris mutui retulisset, indignatus Deus effecit, ut a Troianis fides ipsius vaticiniis non haberetur. 247) Jussu Apollinis, cui amores Cass. eluserat. 248) Ex more gentium omnium, quae in privatis publicisque laetitiis ianuas velabant ramis arborum, templa, vias, omnem denique urbem. 249) Hamb. II. *per urbes.* 250) Sole in Oceanum, ut fingitur, cadente, consequitur statim nox. 252) Myrm. dolos. Haec vox non excogitata est a vate in invidiam Graecorum. Nam hi ipsi palam profitebantur, se velle dolos construere, cum aliter civitatem non possent capere. Dispersi per moenia s. urbem. 253) Burm. tres *amplectitur* 254) Mor. II. *At iam.* Heins. et Pier. *ibant.* Phalanx Macedonum est agmen pedestre, perpetuo umbonum textu consertum, atque ita iuncto impetu in hostes incurrens. 255) C. 1. *tacite.* Luna in media et silente nocte.

Litora nota petens: flammas quum regia puppis
Extulerat; fatisque deûm defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon; illos patefactus ad auras
Reddit equus, laetique cavo se robore promunt
Thessandrus Sthenelusque duces, et dirus Ulixes,
Demissum lapsi per funem, Acamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeos.
Invadunt urbem somno vinoque sepultam;
Caeduntur vigiles, portisque patentibus omnes
Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit, et dono divûm gratissima serpit.
In somnis, ecce, ante oculos moestissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus,

---

256) Mor. I. *flammas tum.* C. 7. *Littora.* 257) Zul. *fatis divum.* Gud. *dei.* Fatis. pro ipsis diis iniquis, Sinon servatus a Troianis. 258) Puget. *Danaos utero.* 259) C. 1. *lustra*; al. *castra.* Sinon aperit equi latera. 260) Al. *produnt.* Mor. fr. *promit.* C. 7. *Addit.* 261) Al. *Tisandrus, Thesandrus, Thersandrus, Stenelus, Scelenus Schelemus, Schoeneus.* Ven. *durus.* Thesandrus fuit filius Polynicis, qui de regno Thebano cum fratre Eteocle confligens occidit. Sthenelus vero filius illius Capanei Argivi, qui eodem Thebano bello Polynicem secutus occiderat, vel Jovis fulmine vel Thebanorum lapidatione obrutus. Vox *duces* non ad Thesandrum et Sthenelum modo, sed etiam ad Ulyssem, Neoptolemum et alios pertinet, quos hic appellat. 262) Al. *Dimissum.* Rott. II. *demissam.* Vulgo *Athamasq.* Cum fune opus erat ad descendendum, hoc ipso equi magnitudo indicatur. C. 8. *Achomasque.* 263) Pelid. Neopt., admodum adolescens ad belli Troiani reliquias perductus, Pelei nepos, qui Aeaci fuit filius, regis in Aegina insula. Primo loco delapsus per funem Machaon, Aesculapii filius, Podalirii frater; uterque medicus insignis fuit, praecipue vulneribus sanandis. 264) Vulgo *Epeus.* Gud. *Epios.* Al. *Epius, Epyus, Ipeus, Opeus, Ypheus. Epheus, Ephius, Epheos.* Medic. *Epaeos.* Menelaus Helenae maritus, Atrei filius Agamemnonis frater, Tyndarei Spartani regis gener ac successor. Epeus equi lignei fabricator, qui muralem reperit machinam, quae vocatur aries. 265) Hamb. II. *somnoque meroque.* Goth. III. *vino somnoque.* Goth. II. *sopitam.* 268) Burm. fessos laboribus et curis diurnis interpretatur. 269) Serpit, quando latenter membris infunditur. Aggreditur narrare, uti Hector in somnis Aeneae apparuerit. 270) Al. *Insomnis.* Montalb. *Insomnes.* 271) Medic. *refundere.* Pier. *fluctus.*

Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli,
Vel Danaûm Phrygios jaculatus puppibus ignes!
Squalentem barbam, et concretos sanguine crines,
Vulneraque illa gerens, quae circum plurima muros
Accepit patrios. Ultro flens ipse videbar
Compellare virum, et moestas expromere voces:
O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrûm,
Quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores,
Defessi adspicimus! quae caussa indigna serenos
Foedavit vultus? aut cur haec vulnera cerno?
Ille nihil: nec me quaerentem vana moratur;
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros; ruit alto a culmine Troja.
Sat patriae Priamoque datum. Si Pergama dextra

---

272) Rott. II. *biiugis*. 273) C. 7. *Vulnere — transjectus*. 274) C. 1. *erit*. Medic. *Ei*. Al. *Heu*. Duplex Hectoris felicitas memoratur, qua redux victor cum spoliis Achillis, et qua ignium iaculator, quibus naves Graecorum incenderat. 275) C. 1, 8. *Achillis*. Al. *exuviis*; al. *inductus Achillei*. Achillis exuviae s. arma, non huic, sed Patroclo direptae sunt, qui Achillis armis indutus ab Hectore occisus est. Qui redit, pro qualis redibat. C. 7. *inductus*. 276) Goth. I. *iaculatum*. Danaum puppibus, s. in naves Achivorum 277) Franc. sine *et*. Men. I. *et concreto s. cr.*; foedum quidem, sed quod horrorem aeque ac miserationem facere possit. C. 7. *concretas*. 278) Bigot. *Vulnera et illa*. Franc. *Vulneraque ipsa* vel *ista ferens*. C. 6, 9. *circa*. 279) Accepit, pro acceperat. 280) Mor. fr. *incertas exp*. Bigot. *has promere*. Men I. *effundere*. Nonius *in moestas*. 281) Hamb. II. *Dardanide*. Pier. *Dardanidum*. Cruqu. Schol. *sanctissima*. Pier. *firmissima*, *fortissima*. 283) Zul. *quem te post*. Gud. *multa dierum*. Guelph. *post tanta*. 284) Oudart. *per varios*. Bigot. *post hominum varios*. 285) Hamb. I. *accipimus*. Hugen *severos*. Defessi cladibus. 286) Leid. *et cur*. 287) Montalb *Ipse*. Men. I. *nec me remoratur vana quaerentem*. Ed. Ven. *fata moratus*. 288) Parrh. *de pectore fundens*. 289) Leid. *Heus f.* Cuning. corr. *tete*. Dorvill. *eripe telis*. 290) Men I. *alto culm*. Leid. *al. ab c.* Dorvill. coni. *alta a c. Tr.* 291) Witt. *datum est*. Pergama, s. arx Troiae.

Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troja Penates:
Hos cape fatorum comites; his moenia quaere,
Magna pererrato statues quae denique ponto.
Sic ait; et manibus vittas Vestamque potentem,
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.
  Diverso interea miscentur moenia luctu;
Et magis atque magis, quamquam secreta parentis
Anchisae domus arboribusque obtecta recessit,
Clarescunt sonitus; armorumque ingruit horror.
Excutior somno, et summi fastigia tecti
Adscensu supero, atque arrectis auribus adsto:
In segetem veluti quum flamma furentibus austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata laeta, boumque labores,
Praecipitesque trahit silvas; stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum vero manifesta fides, Danaûmque patescunt
Insidiae. Jam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Vulcano superante, domus; jam proximus ardet
Ucalegon; Sigea igni freta lata relucent.

---

292) Rott. II. *possint.* 293) Per *sacra* intellige res ad ceremonias Deorum pertinentes, ut vittas, infulas — per *penates* Deorum domesticorum simulacra, Troiae publicos Deos, urbis tutelam. 294) C. 1. *quae te.* Heins. *his m. q. Magna*, distinxit. Moenia, sc. urbem Lavinium. 295) Longob. *qui.* 296) C. 1. *vittam.* Per Vestam intellige vel unum ex illis Penatium simulacris vel ignem ipsum aeternum. 297) Burm. *affert.* Adytis vel re ipsa effert, vel in somnis videtur efferre. Adyta sunt intimae partes domorum templorumque, in quas intrare nefas est. 298) Leid. *moen. fletu*, sc. a diversis urbis partibus luctus miscetur. 299) Medic. *At magis.* Austris fur., ventis flantibus. 300) C. 7. *obtexta.* Domus secreta recessit, remotior a littore et porta Scaea, eaque parte, qua Achivi urbem ingressi sunt. 301) Pier. cod. antiquiss. *Concrescunt.* Heins. *Crebrescunt.* Franc. *arb.* sine *que.* Mor. I. *error.* 305) Bigot. *mont. a vertice torrens.* Mor. I. *rapidos.* Mor. III. *m. a fl.* 306) Hamb. I. *hominumque labores.* Vatic. fr. *bovumque lab.* 308) Sprot. *Aspiciens.* 310) C. 1. *Deiphebi.* Hamb. II. *alta r.* Deiphobus fuit Priami filius qui, postquam Paris a Pyrrho occisus est, Helenam duxit uxorem, cuius dolo inter primos interfectus est. 311) Vulcano superante, sc. ad signandum valde excrescentem ignem. 312) C. 1. *reducent.* Rott. II. *Uchalion.* Parrh. *Sigeoque igni.* Ucalegon (pro domo ipsius) fuit e consiliariis Priami. Sigeum est promontorium Troadis, non longe ab urbe. *Freta* dixit, pro mari Hellespontiaco, quod regionem illam alluit, et proprie fretum est.

Exoritur clamorque virûm clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec sat rationis in armis;
Sed, glomerare manum bello, et concurrere in arcem
Cum sociis, ardent animi. Furor iraque mentem
Praecipitant; pulchrumque mori succurrit in armis.
  Ecce autem telis Panthus elapsus Achivûm,
Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos,
Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.
Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu quum talia reddit:
Venit summa dies, et ineluctabile tempus
Dardaniae. Fuimus Troes; fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum. Ferus omnia Jupiter Argos
Transtulit. Incensa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in moenibus adstans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet,
Insultans. Portis alii bipatentibus adsunt,
Millia quot magnis unquam venere Mycenis.
Obsedere alii telis angusta viarum

---

314) Nec mihi ipsi satis constabat, quantum in armis profuturus essem incensae urbi. 315) C. 1. *manus*. Mor. I. *ad arcem*. 317) Gud. *Praecipitat*. Hamb. II. *praecipitent*. 318) Men. I. *Achivis*. 319) Panthus Otrei filius, sacerdos Apollinis, qui in arce colebatur. 320) Rott. III. *iactos*. Gud. *victus*. Sacra hic sunt vittae, velamina. 321) Moret. *cursumque*. Menag. I. *cursusque*. Al. *littora*, *lumina*. Servius, Donatus et al., qui *limina* retinent, exaggerant Aeneae virtutem, cuius in domum, et Hector, et Pantheus sacra deferebant. 322) C. 1, 8. *Panthii*. Rott. I. *loci*. Burm. coni. *qua*. Aeneas de arce maxime sollicitus fuisse videtur; Heyne vero arcem pro perfugio accipit: quo nempe confugimus. 323) Leid. distinguit: *eram gemitu*, *cum*. 324) C. 1. *inelitabile regnum*. Macrob. V. 1. *inel. fatum*. Ed. Ven et Cod. Witt. gloss. *inevitabile tempus*. 325) Mor. III. *Dardanidae*. Al. *Ilion* 326) Bigot. *omina*. Crudelis Jupiter Argivis victoriam et rerum summam permisit, Troia nunc eversa. C. 7. *Juppiter*. 327) S. 1. *incorsa*. — *Dominantur* refertur ad hostes, dominantibus flammis. 328) C. 1. *Ardui armatas*. Burm. *mediisque in m.*, sc. media in urbe. 329) C. 7. *fudit*, s emisit. Reg. *victor*, propositi effector, sine *que*. 330) C. 1. *alibi*. Men. I. *Exsultans*. Men. et Sprot. *portisque alii*. Gud. *alibi patentibus*. Rott. *alii patentibus*. C. 7. *alii in bipatentibus*. Ed. Ven. *aliique petentibus*. 331) Vulgo *nunquam*. 332) Mor. II. *Obsidere*.

Oppositi; stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci; vix primi proelia tentant
Portarum vigiles, et caeco Marte resistunt.
Talibus Othryadae dictis et numine divûm
In flammas et in arma feror, quo tristis Erinnys,
Quo fremitus vocat, et sublatus ad aethera clamor.
Addunt se socios Rhipeus, et maximus armis
Epytus; oblati per lunam Hypanisque Dymasque,
Et lateri agglomerant nostro; juvenisque Coroebus
Mygdonides. Illis ad Trojam forte diebus
Venerat, insano Cassandrae incensus amore;
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat.
Infelix, qui non sponsae praecepta furentis
Audierit.
Quos ubi confertos audere in proelia vidi,
Incipio super his: Juvenes, fortissima frustra
Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi: (quae sit rebus fortuna videtis;
Excessere omnes adytis arisque relictis
Dî, quibus imperium hoc steterat; succurritis urbi

---

333) C. 1, 8. *Oppositis.* Pier. *stat pernicies.* Goth. II. *stant.* Ed. Ven. *umbone corusco.* 334) C. 8. *prima.* 335) Rott. II. *resistent.* Caeco Marte, s. certamine obscuro, quia per noctem committebatur, vel insano, quia a paucis et improvidis contra multos et paratos. 336) Tanquam a deo aliquo actus — in medium incendium et pugnas ruit Aeneas. 337) Erynnis est nomen commune tribus furiis, sc. Alecto, Tisiphone, Megaerae; hic animi impetus. 338) Gud. *Quod fr.* Dorvill. et Witt. *Quo gemitus.* Hamb. II. *in aethere.* Mor. I. *ab aethere.* 339) C. 1. *Ripheus*, al. *Repheus*, *Rypheus*, *Rupheus*, *Nipheus.* Men. I. *sociis.* Pier. *maximus annis.* 340) C. 1. *Aephytus*, al. *Epitus*, *Epithus*, *Ephitus*, *Iphytus*, *Et Pythus.* *Hipanis*, *Hyphanis*, *Dimas*, *Dumas* Wall. *oblecti.* Waddelius coni. *per lucem.* Per lunam intellige mediam noctem. 341) Reg. *glomerant.* Vulgo *Choroebus*, *Chorebus*, *Corebus*, filius Mygdonis. 342) Goth. III. *Mirdoneis.* Parrh. *illis qui Troiam.* Mygdonides a Mygdone patre, fratre Hecubae Priami uxoris. 343) Al. *Casandrae.* Burm. aliq. *accensus*, et *captus am.* 344) Gener, h. l. spe. 345) Praecepta sunt monita vatis a deo actae. 346) C. 1, 8. *audierat.* 347) Goth. III. *concretos.* Franc. *confectos.* Pier. C. *consertos*, sed *confertos* tuetur. Burm. coni. *ardentem in pr.* 348) Juvenum fortitudo ad patriae salutem inutilis erat, hinc frustra. 349) C. 9. *nobis audendi*, al. *audenti.* C. 8. *cup. est.* 351) Troia capta excesserunt numina tutelaria. 352) Rott. II. sine *hoc.* Parrh. *succurrimus.*

Incensae:) moriamur, et in media arma ruamus.
Una salus victis, nullam sperare salutem.
Sic animis juvenum furor additus. Inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit caecos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis, per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem, mediaeque tenemus
Urbis iter. Nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrimis aequare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos.
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos, et religiosa deorum
Limina. Nec soli poenas dant sanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in praecordia virtus,
Victoresque cadunt Danai. Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.
Primus se, Danaûm magna comitante caterva,
Androgeus offert nobis, socia agmina credens
Inscius, atque ultro verbis compellat amicis:
Festinate, viri. Nam quae tam sera moratur
Segnities? alii rapiunt incensa feruntque
Pergama: vos celsis nunc primum a navibus itis?

---

353) Sero ad patriam defendendam properatis. Scopus huius orationis est concitare milites ad virilem mortem. 354) Goth. III. *superare.* Una salus, sc. honesta mors. 356) Mor. fr. sine *in.* Lupi sunt nocte audaciores, et nocte fiebat invasio Troiana. 357) Exegit, egit. Natura feris curam maximam immisit de conservanda sobole, pro qua tuenda praecipites invadunt quaevis pericula. 359) Oudart *in mort. haud dub.* 360) Quasi tecti cava umbra. Virg. cavum appellare solet inane. 361) Mentel. II. *foenera.* Sprot. *vulnera.* Dorvill. *talia.* 362) Ven. *lacrimis possit.* Ed. Ven. *possit animis aeq.* Sprot. *lacrimis explere.* Hamb. I. *aeq. dolores*, al. *dolorem.* Vratisl. *lacrimas aequare dolori.* 363) Hugen. *fuit.* Goth. II. *durata.* 364) Inertia sc. senum, infantum, feminarum. 365) C. 8. *domus.* Voss. *perque vias et r. d.* C. 6. *relligiosa.* 366) Moret. qu. *dant poenas*, sc. moriuntur. 367) Fabric. *Quaedam* pro Quondam, s. aliquando. 369) Pier. *noctis imago*, sc. indicatur varietas, qua mors inferebatur, igne, gladio, ruina. 370) Rott. *Primus sed.* 371) Vulgo *Androgeos.* Pier. *se offert.* Hugen. *effert.* 372) Bigot. *affatur.* 373) Witt *tam lenta*, gl. *sera.* 374) Segnities, quae tardos facit. Rapere, depopulari more hostili. 375) Men. sine *nunc.* Parrh. sine *a.* Burm. *nunc pr. cels. a nav.* Hamb. II. *a puppibus.*

Dixit; et extemplo, neque enim responsa dabantur
Fida satis, sensit medios delapsus in hostes.
Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.
Improvisum aspris, veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Attollentem iras, et caerula colla tumentem:
Haud secus Androgeus visu tremefactus abibat.
Irruimus, densis et circumfundimur armis,
Ignarosque loci passim et formidine captos
Sternimus. Adspirat primo Fortuna labori.
Atque hic successu exsultans animisque Coroebus,
O socii, qua prima, inquit, Fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.
Mutemus clipeos, Danaûmque insignia nobis
Aptemus. Dolus an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam, clipeique insigne decorum
Induitur, laterique Argivum accommodat ensem.
Hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas, omnisque juventus
Laeta facit; spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus immixti Danais haud numine nostro,
Multaque per caecam congressi proelia noctem
Conserimus; mul os Danaûm demittimus Orco.

---

376) Bigot. *neque iam*. 377) C. 1. *dilapsus*, al. *illapsus*. Pier. *ad hostes*. C. 8. *elapsos*. Hic graecismus occurrit. 378) Hamb. I. *retorsit*. 379) Hugen *improvisam*. Men. I. *qui in sentibus*. Aspris pro Asperis. 380) Parrh. *gradiens. trep.* Witt. *nitens pedibus trep. ref.* 381) Oud. *colla moventem*. Haec verba respiciunt virorem colubri. 383) C. 1, 6, 7. *circumfundimus*. Gud. *circumfudimus*. 384) Goth. II. *et passim*. 387) Al. *quae*. Rott. II. *quam*, sc. in quam partem. Rott. III. *qua primum*. Leid. *quod prima*. 388) C. 1. *ostendat*. Hamb. II. *qua se ostendit*. Zul. sine *se*. Mor. IV. et fr. *extendit se dextra*, sc. propitia. 389) Gud. *mutamus*. Deg. *mittemus*. Goth. I. *ciclopes*. Insignia vel de clipeorum insignibus ac sculpturis, vel de galeis et crista 390) Pier. *quis ab hoste requiret*? Hugen. *requirit*. Hamb. II. *revisat*. 391) Servius *Arma? dabunt ipsi*. Bigot. *dab. hostes*. Dabunt, interpr. dent, ministrent. Goth. II. *clade com.* C. 8. *factus*. Galeam comantem, cristatam, caudis animalium ornatam. 392 Pier. *Androgeo*. Goth. III. *decori*. 394) C. 1, 6, 7, 8. *Ripheus*. 395) Gud. *armant*. 396) Witt. *non n. n.*, sc. averso. Gud. *nomine nostro*. Zul. *omine bono*. Indicantur varii conflictus paucorum Troianorum 397) Ed. Ven. *per totamque*. Men. I. *lumina noct*. 398) Medic. *Dimittimus*. Goth. III. *committimus*. Leid. *demisimus*.

Diffugiunt alii ad naves, et litora cursu
Fida petunt; pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo.
Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!

Ecce trahebatur passis Priameia virgo
Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae,
Ad coelum tendens ardentia lumina frustra;
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus,
Et sese medium injecit periturus in agmen.
Consequimur cuncti, et densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima caedes,
Armorum facie et Grajarum errore jubarum.
Tum Danai gemitu atque ereptae virginis ira
Undique collecti invadunt; acerrimus Ajax,
Et gemini Atridae, Dolopumque exercitus omnis.
Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque, Notusque, et laetus Eois
Eurus equis; stridunt silvae, saevitque tridenti
Spumens, atque imo Nereus ciet aequora fundo.
Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram

---

399) Sprot. *Defugiunt.* 401) Mor. *Scandere.* 402) Wall. *quicquam.* Bigot. *quamquam.* Fidere pro audere. 403) Al. *sparsis*, *parssis.* Wall. gl. *virgo Pr. sparsis.* Vim Cassandrae ab Aiace coram Pallade illatam esse, vulgo memorant. 404) In extrema necessitate homines confugiebant ad sacra, unde divelli non poterant 406) Bigot. *iam ten.* Mor II. *nam geminas.* Arcebant, coercebant, amovebant. 497) C. 6. *Chorebus.* 408) Al. *iecit.* Witt. *medium mittit.* Vulgo *moriturus* 409 Hamb. II. *concurrimus, denso agmine.* 410) Delubrum intellige Minervae, ex quo Cassandra erat abducta. 411) Hamb. II. *obruimur.* 412) Witt. *horrore.* Quod arma, quae induerant, Graeca erant, et cristae Graecae. 413) C 7. *Tunc.* Propter Cassandram sibi a Coroebo ceterisque ereptam. 414 Ed. Ven. *vadunt.* 415) C. 6, 7, 8. *Dolopumve.* 416) Witt. *Adverso rupti.* Hamb. II. *quondam rupte ceu.* 417) Goth. III. gl. *Confugiunt.* Rott. II. *Zephyrique.* Hamb. I. *notus Eois.* Ventus occidentalis, meridionalis et orientalis. 418) Al. *strident.* Infert tridentem mari ad fluctus excitandos. 419) Men. II. *ponto* Nereus sumitur pro Nereidum Nympharum patre et uno e maris praesidibus, infert tridentem mari ad fluctus excitandos. 420) Men. II. *obscuram.* Hamb. I. *per umbras.* Leid. *sub umbram.*

Fudimus insidiis, totaque agitavimus urbe,
Apparent; primi clipeos mentitaque tela
Agnoscunt, atque ora sono discordia signant.
Ilicet obruimur numero; primusque Coroebus
Penelei dextra, divae armipotentis ad aram,
Procumbit; cadit et Rhipeus, justissimus unus
Qui fuit in Teucris, et servantissimus aequi;
Dîs aliter visum. Pereunt Hypanisque Dymasque
Confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres, et flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro, nec tela, nec ullas
Vitavisse vices Danaûm, et si fata fuissent,
Ut caderem, meruisse manu. Divellimur inde;
Iphitus et Pelias mecum: quorum Iphitus aevo
Jam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixi:
Protenus ad sedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe:
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentes

---

421) C. 9, 8 *Fundimus*. Pier. *totamque ag. urbem* Hamb II. *agitamus in urbe.* 422) Al. *Apparent Primi*, *App primo.* Goth. I. *clipei primos.* Mentita s. falsa arma, quae nos Graecos esse mentiebantur. 423) Alii Phrygia, alii Graeca lingua utebantur; quidam explicant de vario militum symbolo. 424) Ed. Ven. *Illic.* Al. *Illicet.* Goth. II. *Illico.* Parrh. *irruimur.* 425) Dorvill. *Peneleo* Sprot *Pelenei*, unius e quinque Boeotorum ducibus, qui ad expeditionem Troianam venerant. Armipotentis Palladis, quae quassans arma e cerebro Jovis nata est. 426) Al. *Procubuit.* C. 1, 6 7, 8. *Ripheus.* 428) Burm. *visum est* Diis, reum ac morte dignum esse. 429) C. 1. *Confixis.* Vrat. *Confossi.* Montalb. sine *a* et gloss. *confisi* Wall. *Pantheu.* Goth. II. *Phantu.* Vel hoc solum potuisset facere Troianam cladem memorabilem, quantum est viros principes a suis civibus interfectos! 430) Gud. *neque Ap. inf.*, s. velamen, amictus. 432) Vratisl. *nostro* C. 8. *in hoc casu nostro.* 433) Hamb I. *Vit. manus.* Leid. III. *si fata dedissent.* Bigot *tulissent* Vices fortunae, casus, pugnae. 434) Sprot *m. mea.* Me dignum fuisse morte propter caedes Graecorum plurimas manu patratas. 435) *Yphitus*, *Iphytus*, *Ephitus*, *Hyphitus*, *Iphicus.* C. 7. *Ipphitus.* 436) Barth. *Pelia et v.* Parrh. sine *et.* Burm. *Pelias ex v.* Al. *Ulixis*, *Ulixei.* 437) Heins. coni. *vocari* 440) Heins. tres: *Hic M.* Goth. III. sine *que.* Al. *ad bella. Martem* pro bello, cuius Deus est. C. 7. *Danaos.*

Cernimus, obsessumque acta testudine limen.
Haerent parietibus scalae, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus, clipeosque ad tela sinistris
Protecti objiciunt; prensant fastigia dextris.
Dardanidae contra turres ac tecta domorum
Culmina convellunt; his se, quando ultima cernunt,
Extrema jam in morte parant defendere telis;
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt. Alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores; has servant agmine denso.
Instaurati animi, regis succurrere tectis,
Auxilioque levare viros, vimque addere victis.

Limen erat, caecaeque fores, et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo: infelix qua se, dum regna manebant,
Saepius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis, unde
Tela manu miseri jactabant irrita Teucri.

---

441) Hamb. I. *alta.* Testudo fuit machina inventa bello Troiano, repugnante Heynio. C. 8. *apta.* 442) Gradus scalarum adversus tela superne missa protegerent se. 443) Al. *ac tela*, *ad tecta.* Mor. III. sine *que.* Hugen *clipeisque*, unde Heins. coni. *clipieisque ad tela sinistras.* 444) Al. *pressant*, *pensant.* Fast gia sumuntur aut pro turris summa parte, aut pro ipso tecto. 445) Mor. I. *econtra.* Pier. *turres et.* Al. *tota domorum.* Moret. qu. *tuta d* 446) Sprot. *hi.* Parrh. *hisce et q.* 447) Al. sine *in.* Parrh. *parent.* 448) Pier. *Aeratasque trabes.* Hamb. I. *Aeriasque.* Al. *decora illa*, vel *ampla.* 449) Hamb. I. *fractis.* 450) Mor. I. *Obsidere.* Men. I. *quas servant.* Leid. *asservant.* Servius *adservant.* Bigot. *ordine longo.* 451) Al. *animis.* 452) Menag. I. *et vim.* Heins. coni. *victi.* Bigot. add. *tectis.* 453) Goth. III. *devius.* 454) Videntur continua duo fuisse palatia Priami et Hectoris, cuius Andromache uxor fuit. Postes relicti ab hostibus, qui positam illam januam non animadverterant. 455) Men. I. *qua sê infelix.* C. 6. *manebunt.* 456) Menag. II. *Andromacha*, filia Ectonis regis Thebes, in Cilicia, minoris Asiae provincia. Soceri fuerunt Priamus et Hecuba. 457) Wall. *Astyonacta*, filium unicum Andromaches ex Hectore, alii Nesum, al. Scamandrum, al. Scamandrium vocant. 458) Servius *Evado huc s.* Sprot *inde.* E ado sc. hanc portam ingressus regiam. 459) Burm. exc. *iact. undique.* Vatic. fr. *inertia.*

Turrim in praecipiti stantem, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri,
Et Danaûm solitae naves, et Achaia castra,
Aggressi ferro circum, qua summa labantes
Juncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, impulimusque. Ea lapsa repente ruinam
Cum sonitu trahit, et Danaûm super agmina late
Incidit. Ast alii subeunt; nec saxa, nec ullum
Telorum interea cessat genus.
 Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
Exsultat, telis et luce coruscus aëna.
Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis novus exuviis nitidusque juventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga,
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.
Una ingens Periphas et equorum agitator Achillis
Armiger Automedon, una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, et flammas ad culmina jactant.
Ipse inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, postesque a cardine vellit
Aeratos; jamque excisa trabe firma cavavit

---

460) Al. *Turrem*, in editiore loco positam, eandemque altissimam. 461) Sprot. *inde.* 462) C. 1, 9, 8. *naves solitae, et Achaica* 463) Gud. *quae.* Burm. *labentes*, s. cedentes. Qua trabium, quae summum tabulatum sustinebant, capita, parieti immissa, infirmiorem illum reddebant, et exscindi facilem. 464) Hugen. *imis.* 465) C. 1. *impulimus*, *quae lapsa.* Gud. *Elapsa.* Uratisl. *ruinas.* 466) Heins. ed. Dan. *agmine.* 469) Vestibulum, quod Vestae sacrum, sc. ante januam, qua illud intratur. 470) Vulgo *Exsultat telis*, al. *coruscat ahena*, sc. armis, thorace, clipeo et galea. 471) Mala, s. noxia et venenata herba. 472) Parrh. *sub terram.* Dorvill. *timidum*, al. *gelidum* 473) C. 1, 8. *Cum pos.* Hamb. I. *Tum p.* Leid. *Compositis.* 474) Thuan. *corpore.* C. 9. *Convolvens.* 475) Serpens in ore ita vibrat linguam, ut tres esse videantur. 476) C. 8. *Periphos.* 477) C. 7. *Automedum — Schiria.* Al. *Autumedon.* Medic. *omnes.* E. Scyro insula, una e Cycladibus, in qua regnavit Lycomedes, copias adduxerat Pyrrhus ab hoc acceptas. 478) Servius *Succ. muro, et flammam ad fastigia iactant*, sc. fores adoriuntur. 479) Leid. *correcta.* Ipse Pyrrhus fores ex dura materia, ilice, factas. 480) Men. I. *prorumpit.* Ven. *praerumpit*, postesque aere obductos labefactat. 481) Hamb. I. *Auratos.* Voſs. *Ferratos.* Men. I. *et iam.* Oudart *excissa.* Longob. *cavabat* fores roboreas, et effecit aperturam foramine, quo prospectus intra atrium datur.

Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram.
Apparet domus intus, et atria longa patescunt;
Apparent Priami et veterum penetralia regum,
Armatosque vident stantes in limine primo.
At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur, penitusque cavae plangoribus aedes
Femineis ululant. Ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidae tectis matres ingentibus errant,
Amplexaeque tenent postes, atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus; nec claustra, neque ipsi
Custodes sufferre valent. Labat ariete crebro
Janua, et emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi; rumpunt aditus, primosque trucidant
Immissi Danai, et late loca milite complent.
Non sic, aggeribus ruptis quum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnes
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
Caede Neoptolemum, geminosque in limine Atridas;
Vidi Hecubam centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignes.

---

487) Burm. *clangoribus.* Ululatus fit in aedibus cum plangoribus, qui resonant. 488) Omnia flebilia attribui solent sexui foemineo, prompto ad lacrimas et querimonias. 489) Foeminae per ingentes aedes errabant, et ad postes tanquam numen confugiebant. 490) C. 1. *postis — fingunt.* Osculantur postes, quippe ultimum vale dicturae, iam iam ab hoste abstrahendae. 491) C 1, 6, 7, 8. *nec* Sustinere Pyrrhi impetum non potuere, nec fores roboreae, nec qui adstant foribus pugnaturi. 492) Al. *subferre.* Mor. II. *proferre.* Machina fuit longior, cuius caput in arietis caput ex aere conformatum, in urbium portas magna vi librabatur 493) Al. *emoto — card.* Franc *remoto c.* Bigot *ordine postes.* 494) Hamb. *irrumpunt.* 496) Hamb. I. gl. *cum sp. exit Amnis et opp. evincit.* 497) C. 8 *eiecit.* Macrob. *V.* 5. *erupit* Scheffer *trahit de gurg.* Goth. III. *oppositas evincit.* 498) Burm. *arma.* Ed. Ven. *tumulo*, sed fertur aqua cumulata. 499) Men. I. *rapit.* Hamb. II. *parat.* Parrh. *frementem.* 500) Bigot abest *que.* Hamb. I. *Atrides.* C. 7, 8. *Neoptolomum.* 501) Hecuba uxor Priami, filia Cissei Thraciae regis. Nurus proprie uxor filii est; sed hic intelliguntur juniores foeminae, quae in comitatu Hecubae erant, aut ad eam confugerant, et quarum duae fuerunt unicuique liberorum. 502) C. 8 *ille sacraverat*, s. accenderat Diis Penatibus.

Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro spoliisque superbi
Procubuere. Tenent Danai, qua deficit ignis.
    Forsitan et, Priami fuerint quae fata, requiras.
Urbis uti captae casum convulsaque vidit
Limina tectorum, et medium in penetralibus hostem:
Arma diu senior desueta trementibus aevo
Circumdat nequidquam humeris, et inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.
Aedibus in mediis, nudoque sub aetheris axe,
Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus
Incumbens arae, atque umbra complexa Penates.
Hic Hecuba et natae nequidquam altaria circum,
Praecipites atra ceu tempestate columbae,
Condensae, et divûm amplexae simulacra sedebant.
Ipsum autem sumtis Priamum juvenalibus armis
Ut vidit: Quae mens tam dira, miserrime conjunx,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget; non, si ipse meus nunc adforet Hector.
Huc tandem concede; haec ara tuebitur omnes,
Aut moriere simul. Sic ore effata recepit
Ad sese, et sacra longaevum in sede locavit.
    Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostes

---

503) *Quinq. intus th.* Separata cubicula. Pier. *spes illa*, *sp. quanta*, *sp. ampla.* Scheffer *sp. alta.* 504) Aurum barb., s. Phrygium. 505) Tenent, per vim occupant. 506) C. 9. *requiris.* Witt. *requires.* 507) C. 8. *ubi.* Ven. *ubi hic.* Hamb. I. *casus.* 508) C. 1. *tect.*; *mediis pen.* C 6, 7, 8. *med. in p.* C. 9. *et mediis penetr* 509) Goth. I. *senio.* Wall. *distincta.* Rott. II. *timentibus.* 510) Franc. *nec quicquam.* C. 6. *nequiquam.* C. 7. *nequicquam* 511) Burm. *hac densos.* Pier. *ad hostes.* 512) Sub aperto coelo. 513) Ad hanc aram Priamus occisus fuit. Arae sub arboribus ponebantur. 514) *Penates* Cerda aedes, al. statuas domesticorum deorum cum Herceo Jove in eadem ara positas intelligit. 515) Goth. III. *alt. cingunt.* C. 6, 8. *nequicquam*, sc. nullum fructum salutis e loci sanctitate habiturae. 516) Devolantes ad loca tuta. 517) Vulgo *tenebant.* 518) C. 1, 7, 8, 9. *iuvenilibus* 519) Mens abominanda consilia agitans. 522) Montalb. *meis.* C. 7. *afforet.* 523) C. 6. *omnis.* 524) Parrh. *Vel. mor.* 525) Burm. *in* abest. Bigot. *a sede*, sc. ara. 526) Polites, Priami filius, celeritate pedum insignis, a Pyrrho occisus. C. 8. *Polides.*

Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat
Saucius. Illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
Insequitur, jam jamque manu tenet, et premit hasta.
Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iraeque pepercit.
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Dî, si qua est coelo pietas, quae talia curet,
Persolvant grates dignas, et praemia reddant
Debita, qui nati coram me cernere letum
Fecisti, et patrios foedasti funere vultus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo; sed jura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu
Conjecit, rauco quod protenus aere repulsum,
Et summo clipei nequidquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo haec, et nuntius ibis
Pelidae genitori. Illi mea tristia facta
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

---

528) Burm. duo *fuit*. Bigot. *fugiens vacua*, ut significet Troianos iam fuga dispersos. 529) Mor. II. *infecto*. Men. I. *infausto* Oblongus Pierii: *infesto in vulnere*, saucius enim erat Polites. Vulnus pro telo, ictu. 530) C. 1. et 8. abest hic versus. Is, qui transfigit hastam, premit eam. 531) Pier. *evasit et ante p.* 532) Wall. *et vitam multo.* Pier. *fundit.* 533) Al. sine *in*. Mor. I. *media iam in*. Invicti regis virtus explicatur sub persona Priami. 534) Continuit se. 535) Ed. Ven. *Ac tibi*. Voſs. *Et t.* 536) Bigot. *si qua coelo*. Dorvill. *si qua coelo est*. Leid. *in coelo*. Men. I. *est pietas coelo*. Medic. *curent*. Pietas h. l. est respectus ac miseratio eius, qui indigna patitur. C. 7. *Dii*. 537) Grates s. poenas. 538) C 6. *laetum*. 539) Al. *foed. vulnere v.* Funere, caede, sanguine contaminari homines, communis erat opinio. 540) Reg. *a quo te*. 541) In hostem. 542) Bigot *exhibuit* Al. *corpus* sine *que*. Supplex pro repetendo Hectoris cadavere. Jura supplicum valde sancta fuerunt. 543) Parrh. *recessit*. 544) Bigot. *fatur*. Sine ictu, quod non penetraret, sed perforato corio ab aere resiliret. 545) Parrh. *Proiecit*. Puget. *repulsum est*. Pier. *sepultum*, vel. *sepultum est*. C. 6, 7. *protinus — repulsum est* aereo clypeo, qui percussu surdum sonum edebat. 546) Vrat. *E summo*. Hamb. II. *repellit* Umbo est media pars clypei. C. 6, 8. *nequicquam*, sine vulnere. 547) Mor. II. *Cum P.* Mor. II. *Tum Pyrrh.* 548) Zul. *illic*. Mor. II. *fata*. Nonius *dicta*. 549) C. 7. *Neoptolomum*.

Nunc morere. Hoc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit et in multo lapsantem sanguine nati,
Implicuitque comam laeva, dextraque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Haec finis Priami fatorum; hic exitus illum
Sorte tulit, Trojam incensam. et prolapsa videntem
Pergama; tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiae. Jacet ingens litore truncus,
Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus.
At me tum primum saevus circumstetit horror.
Obstupui; subiit cari genitoris imago,
Ut regem aequaevum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem; subiit deserta Creusa,
Et direpta domus, et parvi casus Iuli.
Respicio, et, quae sit me circum copia, lustro.
Deseruere omnes defessi, et corpora saltu
Ad terram misere aut ignibus aegra dedere.
[Jamque adeo super unus eram, quum limina Vestae
Servantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida adspicio; dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti,
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,

550) Vulgo *Haec.* 551) C. 7. *laxantem.* 552) Hamb. II. *Implevitque.* C. 7. *coma*, non male, si *laevam* legas cum Burm. 553) Witt. *scapulo.* Goth. II *addidit.* 554) Goth. II. *Hic f.* Franc. *Hic f. Pr.*, *hic fat. ex.* Heins. *hac exitus illum Sorte tulit.* 555) Burm. *et lapsa.* 557) Dorvill. *aequore tr.* Priamus dicitur imperasse Phrygiae minori ac maiori, quae maximam Asiae minoris partem complectuntur. Priami corpus insepultum proiectum fuit. 558) Oud. *abscissumque.* C 7. *numine.* 559) Menag. II. *Ut me.* Witt. *At mecum.* Burm. *cum primum* Hugen. *error.* 561) Parrh. *funere.* 562) Pier. *subit et.* 563) Al. *Ut dir.*, *Et deserta.* Casus Juli, sc. quid Julo acciderit. Direptio domus meae animo objiciebatur, quasi jam facta. 564) Oudart *Despicio* Wall. *quae sit rerum mihi copia l.*, pro copiis. 565 Defessi sc. pugnando e turri, ut supra v. 458 memoratum est. 566) Bigot. *dederunt* 567) C. 1, 6, 7. 8, 9. desunt versus 567 — 588 Ed. Junt. *lumina* Rott. II. gl. *vasto* Burm. *vaste*, et *vastae.* Ut Aeneas se unum superstitem vidit, Helena fors metu pavida ad Vestae templum confugit, ibique in secreto latebat. 568) Vofs. *tacita*, abdita 569) Ed. Ven. *Tyndaridem*, ob Tyndareum patrem, Spartae regem. 570) Ed. Ven. *per c, tuenti.* 571) Ed. Ven. *obversaque P.*

Et poenas Danaûm et deserti conjugis iras
Praemetuens, Trojae et patriae communis Erinnys,
Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat.
Exarsere ignes animo; subit ira cadentem
Ulcisci patriam, et sceleratas sumere poenas.
Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
Adspiciet, partoque ibit regina triumpho?
Conjugiumque, domumque, patres, natosque videbit,
Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine litus?
Non ita. Namque, etsi nullum memorabile nomen
Feminea in poena est, nec habet victoria laudem:
Exstinxisse nefas tamen, et sumsisse merentes
Laudabor poenas; animumque explesse juvabit
Ultricis flammae, et cineres satiasse meorum.
Talia jactabam, et furiata mente ferebar,]
Quum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam, qualisque videri
Coelicolis et quanta solet; dextraque prehensum
Continuit, roseoque haec insuper addidit ore:

---

572) Burm. aliq. *Et Dan. poenam.* Goth. II. *Et D p., d. et.* 573) Vulgo *Permetuens* Goth. II. *patr. comm ob iras.* Erynnys est nomen furiis commune. 574) Al. *Argis* Invisa s. abdita 575) Burm. *ignis* Subit impetus ex ira, ut ulciscerer excidium patriae. 576) Poenas de scelerata foemina sumtas. 577) Sparta, patria Helenae, urbs Peloponnesi. 578) Al. *regnata fr.* 579) Men. II. *patris*, sed parentes, ut coniugem pristinum 580) Al. sine *et.* Phrygiis ministris, Troianis captivis illi in servitium addictis. 581) Menag. *ferro ut Pr.* Burm. *ferro Priamo ut*, vel. *f. Priamus ut.* Ed Junt. *ars. ignis* 582) Reg. *sudaret* vel *sudari.* Al. *sudavit.* Guelph. *Dardanio*, et *Dardanidum* sang. madefactum. 584) Burm. *habet haec.* 585) Ed. Ven. *tanti et sums.* Men. II. *merentes*, sed Heins. *merentis.* Nefas, sc. pro persona scelesta. 586) Ed. Ven. *animum expressisse.* Laudabor, quod scelestam Helenam extinxerim. 587) Goth. *famae.* Rott. *flammam* Burm aliq. *famam*, sed coni. *Ultrici flamma.* Goth. II. *servasse.* 588) Burm. *ferebam.* Servius *loquebar.* 589) C 1. *videbam.* Burm. *Tum mihi.* Wall. *T. m. ante oculos sese.* Franc. *ante oculos t. cl. videnda.* C. 7. *non ante alias.* Venus Aeneae apparuit specie suâ divina. 590) Bigot. *et clara.* Zul. *in nocte ref.* Lux et splendor est nota divinitatis Deorum. C. 7 *refulxit.* 592) Medic. *dextramque.*

Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius adspicies, ubi fessum aetate parentem
Liqueris Anchisen? superet conjunxne Creusa,
Ascaniusque puer? quos omnes undique Grajae
Circum errant acies; et, ni mea cura resistat,
Jam flammae tulerint, inimicus et hauserit ensis.
Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae,
Culpatusve Paris; divûm inclementia, divûm,
Has evertit opes, sternitque a culmine Trojam.
Adspice; namque omnem, quae nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, et humida circum
Caligat, nubem eripiam; tu ne qua parentis
Jussa time, neu praeceptis parere recusa.
Hic, ubi disjectas moles avulsaque saxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque ab sedibus urbem
Eruit. Hic Juno Scaeas saevissima portas
Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen
Ferro accincta vocat.

---

594) Oud. *quid.* Men. II. *quis indomitus tantas.* Pier. *tantus furor.* Sequitur oratio Veneris ad Aeneam, qua illum a furore revocat urgentissimis rationibus. 595 Goth I. *vestri,* sed cura totius familiae. 596 Leid. *aspicias.* Medic. *ibi.* Aspicies pro circumspicies. 597) Al. *Anchisem? super et.* Witt. *coniuxque.* C. 7. *Creusane coniux.* 599) Ed. Ven. *Circuerant.* 600) Bigot. *abstulerint.* 601) Helenae, Tyndarei filiae, Lacedemoniae. Sequitur oratio Veneris ad filium, qua avertit Troianum excidium ab Helena et Paride, verius a se ipsa, quae nuptias illas conciliavit. 602) C. 1. abest: *div. incl., divum.* C. 6, 7. *verum incl. divum.* Pier. *sed enim incl d* Sprot. *saevum incl. d.* Zul. *unquam incl. d.* Bigot. *divum i summis.* Culpatus pro scelesto. 603) Leid. *sternit.* C. 7, 8. *avertit* 604) Men. I. *adducta.* Zul. *timenti.* 605) C. 1. *Mortalis.* Franc. *hebetet.* Leid. *tibi limina circum.* Goth III. gl. *lumina.* 606) Sub nube intellige caliginem. 607) Leid. *ne.* 608) Men. II. *Hic tibi.* Bigot. *deiectas.* Men. I. *discretas.* Hugen. *disiectaque saxis.* 609 Zul. *und. sanguine f.* Pulvis est ex ruinis. 610) Men. II. *immota.* Vratisl. *remota* Virg. Neptunum Troianae urbi infestum facit Virgil. ob periurium Laomedontis. 611) Vulgo *a sed.* 612) Dorv *socias.* Portas scaeas, in sinistra urbis parte. Juno in hoc odio non secundas, sed primas tenet partes 613) Prima, sc. in urbis ingressu, socium agmen s. Achivos. 614) Dorv. supplevit: ***saevasque accendit ad iras.***

Jam summas arces Tritonia, respice, Pallas
Insedit, nimbo effulgens, et Gorgone saeva.
Ipse Pater Danais animos viresque secundas
Sufficit; ipse deos in Dardana suscitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque impone labori.
Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam.
Dixerat, et spissis noctis se condidit umbris.
Apparent dirae facies, inimicaque Trojae
Numina magna deûm.
    Tum vero omne mihi visum considere in ignes
Ilium, et ex imo verti Neptunia Troja;
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum
Quum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolae certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat;
Vulneribus donec paullatim evicta supremum
Congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam.
Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostes
Expedior. Dant tela locum, flammaeque recedunt.
    Atque, ubi jam patriae perventum ad limina sedis,
Antiquasque domos: genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troja,

---

615) In Troiano excidio diruunt Dii ea, quibus ipsi valent. 616) Bigot. *Insidet et n.* Mor. II. *Obsedit.* C. 8. *nimbo et fulgens.* Heins. ed. Dan. *effugiens.* Mor. II. *limbo.* Zul. *clypeo.* Franc. *Insedit nimbo, eff. et Gorgona.* Nimbus est nubes divina s. circulus lucidus circa caput Divorum. Gorgon est caput Medusae. 617) Wall. *vires animosque.* Virg. culpam omnium Deorum in Jovem transfert. 618) In Dard. arma, s. adversus Troianos pugnantes. 619) Puget *excipe nate.* Leid. *fuga.* Burm. coni. *Arripe nate fugam.* Schrader coni. *Irape* pro accelera. C. 7. *fugam et.* 620) Medic. *Nunquam.* Wall. *patrio tutum te lumine.* Men. II. *in limine.* Burm. *limite* Franc. *patris te in limine.* Dea promittit illi opem. 624) C. 1. *vistum.* Burm. *visum est.* Hamb. II. *in igne.* 625) Troia a Neptuno condita. 626) Ornus fraxinus est sylvestris et montana, cui ruenti Troia Deorum ferocitate ruens comparatur 627) Burm. et C. 7. *abscisam.* Men. II. *abcisam.* 629) Wall. *Ut trem. comam*, pro coma, quod est Hellenicum. 630) Hamb. I. *supremo* 632) C. 1. *ducentae — hostis.* Hamb. I. *Discedo* Al *abducente* vel *add. dea*, sc. Venere. C. 7, 9. *Dea.* 633) Liberum iter habeo inter hostium tela et flammas. 634) Vulgo *Ast ubi.* Leid. *Ac ubi.* C. 8. *lumina.* 636) C. 1, 6, 7, 8. *montis.* Sprot. *primos montis.* 637) Cerda *excissa.* Hamb. II. *abscisa.* Mor. II. *perducere.* Negat, se esse Troia discessurum.

Exsiliumque pati. Vos o, quibus integer aevi
Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si coelicolae voluissent ducere vitam,
Has mihi servassent sedes. Satis una superque
Vidimus excidia, et captae superavimus urbi.
Sic o, sic positum affati discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam. Miserebitur hostis,
Exuviasque petet. Facilis jactura sepulcri.
Jam pridem invisus divis, et inutilis, annos
Demoror, ex quo me divûm pater atque hominum rex
Fulminis afflavit ventis, et contigit igni.
  Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra effusi lacrimis, conjunxque Creusa,
Ascaniusque, omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urguenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque et sedibus haeret in isdem.
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium aut quae jam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituraeque addere Trojae

---

638) C. 1. *Vos é quibus.* 639) Sanguis iuvenibus est integer plenusque, in senibus vero diminutus, unde tremor provenit. 640) Agitate, sc. animo. Franc. addit: *et rebus servate secundis.* 642) Sufficit semel Troiam ab Hercule expugnatam vidisse, et urbi captae supervixisse. 643) Burm. sine *et.* 644) Hamb. I. *dimittite.* Petit, ut affentur extrema illa, Vale, Vale, quae mortuis dici solent. C. 1. *discite.* 645) Ven. *Miserabitur.* Manu, non mea, sed hostis. 646) Hamb. II. *petat.* Al. *sep. est.* Cadaver insepultum abjici, quod aliis horrendum, mihi grave non est. 647) Sprot. *annis.* 648) C. 1. *dium.* Annos quasi festinantes diu vivendo detineo. 649) Oudart. *igne.* Fulmen fere nunquam, nisi vento flante impellitur; unde pingitur cum alis. C. 6. *adfavit v., ac.* 650) Affixus loco, ad senis pertinaciam explicandam. 651) Montalb. *Nos circum.* Burm. *effusis l.* Rott. II. *effusi lacrimas*, graecismo. 652) Men. I. *evertere*, perdere. 653) Zul. *obcumbere*, sed exitium imminens accelerare. C. 7. *urgenti.* 654) Wall. *que* abest. 656) Mor. I. *et quae.* Mentel. I. *iam* deest. Pier. *aut mihi quae f.* 657) Zul. *Mene ferre.* Medic. *et ferre.* 658) Tantum nefas, ut suaderet rem tam nefariam. 659) Oud. gl. *ex toto.* 660) Mor. I. *periturae te addere.*

Teque tuosque juvat: patet isti janua leto,
Jamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes,
Eripis, ut mediis hostem in penetralibus, utque
Ascanium, patremque meum, juxtaque Creusam,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma; vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais; sinite instaurata revisam
Proelia. Nunquam omnes hodie moriemur inulti.
Hinc ferro accingor rursus, clipeoque sinistram
Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine conjunx
Haerebat, parvumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;
Sin aliquam expertus sumtis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Julus,
Cui pater, et conjunx quondam tua dicta relinquor?
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat,
Quum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter, moestorumque ora parentum,
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli

---

661) Donatus: *Te quoque, nosque j.* Pier. et Burm. *istic.* Ed. Ven. *illic*, ea mors facile obtineri potest. Al. *letho.* C. 1, 6, 9. *tuisque — istic.* C 6 *laeto.* 662) Montalb. *Namque.* Zul. *aderat.* Ven. *multo maculatus sanguine.* Imbuet se tuo sanguine, sicut multo Priami. 663) C 7, 8, 9. *patremque ob runcat.* 664) Mor I. *Hocce.* Parrh. *p. t. per hostes.* 665) Medic. *Eripit.* Parrh *in* abest Burm. *atque.* Vulgo *usque.* 666) Parrh. *Ascanium Anchisemque patrem juxtaque.* 667) Rott. II. *mactato* Wall *mactatum.* Parrh. *maculatum.* Hamb I. *iactantes.* Heins. coni. *iactatos,* C. 1. *sternam.* 670) Pier *Nusquam.* Franc. *unquam.* 671) Vulgo *Hic.* Wall *cliveo rursusque.* Pier. *clipeoque sinistrae*, sc. loco clipei 673) Hamb. I. *comprensa pedes*, per graecismum. Hugen. *in limina.* 674) Franc. *que.* Patri, sc. mihi. 675) Vofs. *t ahe in om.* Dorvill. *cape.* 676) Goth. III. *inermis* 678 Goth. II *tua cura.* Licet multas habueris, me tantum nominabas coniugem. 679) Hamb. II. *tectum illa* Pier. *replevit.* Vatic. fr. *ripleraт.* 680) Medic. *Cum subito.* Gud. *miserabile.* C. 6. *Cum subito dictumque.* 681) Ven *arma p* 682) Montalb. *lenis.* 683) C. 1, 8, 7. *mollis.* Servius *lucem* Al *tractuque — molles — comas.* Ait fundere, quia ignis hic instar aquae. Apex est summa pars pilei. C. 6. *tantumque inn. molles.*

Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, et sanctos restinguere fontibus ignes.
At pater Anchises oculos ad sidera laetus
Extulit, et coelo palmas cum voce tetendit:
Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Adspice nos; hoc tantum; et, si pietate meremur,
Da deinde auxilium, pater, atque haec omina firma.
  Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
Intonuit laevum, et de coelo lapsa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idaea claram se condere silva,
Signantemque vias; tum longo limite sulcus
Dat lucem, et late circum loca sulfure fumant.
Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Affaturque deos, et sanctum sidus adorat.
Jam jam nulla mora est. Sequor, et, qua ducitis, adsum.
Dî patrii, servate domum, servate nepotem;
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troja est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.
Dixerat ille, et jam per moenia clarior ignis

---

684) C. 1, 8. *pasti* (?) Lambere, pasci, pro ardere. 685) C. 1, 8. *crineque.* Wall. *trepidi.* Hugen *manu crinemque.* 686) Goth. II. *sacros.* Voſs *exstinguere.* C. 8. *restringere.* Fontibus pro aqua. 687) Franc. *Et p.* 688) Rott. I. *ac coeli.* Pier. *ad coelum.* 689) C. 6, 7. *Juppiter.* 690) Medic. *hos.* Hugen *nos tantum et si quid pietate m.*, quae Aeneae fuit maxima. Al. *Respice*; plura a te non peto. 691) C. 1. *inde.* 692) C. 7. *flagore.* 693) C. 1. *laevi.* Vatic. fr. *umbram.* Cadentis stellae omen veteribus faustum fuit 694) Dorv. *magna cum.* Fax illa est, quam alii crinem aut comam dicere solent. 695) Dorv. *lambentem.* 696) Vat. fr. *silvam.* 697) C. 1. *sulcos.* Vulgo *limine* vel *lumine.* Wall. *cum l. l. sulcans.* 698) Fulmina enim sulfuris odorem habent. 699) Rott I. *His.* Gud. *se tollere.* Pier. *in auras* vel *ad aras.* Qui nullis precibus, iam cedit prodigio Deorum. Augures observatis auspiciis statim de templo recedebant. 700) Zul. *sanct. lumen.* Precatur Deos. 701) C. 1, 8, 9. *quo.* 702) Mor. II. *nepotes.* Dii patrii non solum sunt custodes urbis, sed etiam praesides cuiusque familiae et generis. 703) Leid. *Vestrum o aug.* Menag. *aug. est.* C. 1. *Troia* sine *est.* Augurium ad omnia futuri omina transfertur. 704) Anchises se dat comitem Aeneae, pater filio 705) Witt. *Ille etiam.* Ed. Ven. *ille quidem per.* Clarior strepitus ignis.

Auditur, propiusque aestus incendia volvunt.
Ergo age, care pater, cervici imponere nostrae;
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit;
Quo res cunque cadent, unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit. Mihi parvus Iulus
Sit comes, et longe servet vestigia conjunx.
Vos famuli, quae dicam, animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Desertae Cereris, juxtaque antiqua cupressus,
Religione patrum multos servata per annos.
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.
Me, bello e tanto digressum et caede recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.
Haec fatus, latos humeros subjectaque colla
Veste super, fulvique insternor pelle leonis;
Succedoque oneri. Dextrae se parvus Iulus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus aequis;
Pone subit conjunx. Ferimur per opaca locorum.
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant

---

706) Voſs *que* abest. Ven. *volvit.* 708) Men. I. *subito.* 709) Pier. *cadant.* Wall. *cadunt.* Burm. *cadet.* Witt. *cadat.* Hamb. II. *cadit.* Leid. *periclum est* C. 8. *cadunt.* 710) Donat. *Mihi solus J.* Te humeris feram, natum dextra traham, et conjux a longe veniet, ne si multi una exirent, deprehenderentur ab hostibus. 711) E longinquo observet gressus meos 713 Heins. *urbem.* 714) Ceres fuit Saturni et Opis filia, frugum repertrix, cuius templum erat desertum vetustate vel belli decennalis tempore. C. 6. *cypressus.* 715) C. 6, 7. *Relligione — servate*, sed male. 716) C. 1, 6. *unum.* Heins coni. *Hac.* Leid. *ex diversa* vel *e diverso.* Men. I. *ex adverso.* Burm. tres *veniamus.* C. 7. *Hanc e* diversis viis, quibus dimittuntur. 717) Leid. *Tum.* Ven. *saxa* 718 C. 1, 7. *bello et tanto.* Dorvill. *bello tanto* Goth. III. *ex tanto* Rott. II. *et tanto.* Witt. *bello egressum ex tanto.* 719) Burm. et Pier. *Adtractare* vel *attractare.* Al. *donec in fl* Hugen *fl. in uno.* Mos fuit veterum, ut nunquam attrectarent sacra, aut ad sacrificium offerendum accederent, nisi lotis manibus, aliquando capite aut toto corpore. 720) Al. *Abiero*, pro abibo. 721) Zul. *Hoc.* Pier *proiectaque colla.* Goth. III. *submissa.* Adhibet Aeneas humeris pellem leonis, qua patrem in tergo excipiat. 723 Ment. III. *parvulus.* Aeneas pietate ductus patrem humeris suis ex incendio eripuit. C. 7. *Dextrae peravus.* 725) Ment. III. *subiit.* Guelph. *per op. viarum.*

Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji,
Nunc omnes terrent aurae; sonus excitat omnis
Suspensum, et pariter comitique onerique timentem.
Jamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse viam: subito quum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus; genitorque per umbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant.
Ardentes clipeos atque aera micantia cerno.
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum
Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu
Dum sequor, et nota excedo regione viarum:
Heu! misero conjunx fatone erepta Creusa
Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum; nec post oculis est reddita nostris;
Nec prius amissam respexi, animumve reflexi,
Quam tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam
Venimus. Hic demum collectis omnibus una
Defuit, et comites natumque virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque deorumque?
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium Anchisenque patrem Teucrosque Penates
Commendo sociis, et curva valle recondo;
Ipse urbem repeto, et cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnes, omnemque reverti
Per Trojam, et rursus caput objectare periclis.

---

727) Burm. *examine Gr.* 730) Burm. *propinquandum.* 731) C. 1, 9. *viam*, sed fortunam, periculum innuit. Sonus crebro auribus allabitur. 732) Hamb. II. *umbras.* 733) Ven. et Goth. III. *Respiciens.* Non aderant hostes, sed metu Anchises adesse iam putabat. 734) Hamb. II. *Ingentis cl.* Ardentes clipeos sc. relucente flamma. 735) Burm. aliq. *nescio quid.* 738) Dorv. *fatove.* Coniux mihi erepta Creusa fato ne substitit, an erravit de via, an lassa resedit? 739) Franc. *viam.* Gud. *seu capta.* C 8. et 7. *lapsa.* 740) Burm. *Incertum est.* 741) C. 6, 7. *animumque.* Voſs *refluxi.* 742) Mor. II. *Cereri* Collis, in quo antiqua Cereris erat aedes. 744) Burm. *reflexit*, revocavit. 745) Hamb. II. *incuso.* Leid. *deosque.* C. 6, 7. *deumque.* Franc. *hominum demensque deorum.* Amens, veluti ad facti excusationem. 746) Nihil enim funestius marito accidere, quam amittere uxorem, et nihil tristius uxori, quam perdere maritum. C. 7. *adversa.* 748) Mor I gl. *in valle.* 750) Ven. *revocare.* Pier. *renovasse.* Zul. *ren. meos* Dorvill. *r. urbis.* Stat, s. decretum est apud me. 751) Proiicere se ad periculum.

Principio muros obscuraque limina portae,
Qua gressum extuleram, repeto; et vestigia retro
Observata sequor per noctem, et lumine lustro.
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.
Inde domum, si forte pedem, si forte tulisset,
Me refero. Irruerant Danai, et tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur; exsuperant flammae; furit aestus ad auras.
Procedo, et Priami sedes arcemque reviso.
Et jam porticibus vacuis Junonis asylo
Custodes lecti Phoenix et dirus Ulixes
Praedam asservabant. Huc undique Troia gaza
Incensis erepta adytis, mensaeque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur. Pueri et pavidae longo ordine matres
Stant circum.
Ausus quin etiam voces jactare per umbram,
Implevi clamore vias, moestusque Creusam
Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.

---

752) Cerda coni. *obsessaque.* 755) C. 6, 7, 9. *animo;* al. *animum.* Dorvill. *tunc ipsa s.* Horror noctis ubique me terret. Aeneas de se solo loquitur, et tamen *animos* ait. 757) Gud. *Irruere.* Hamb. I. *Intus erant Danai, tectum.* Men. I. *omne replebant.* 758) Vulgo *Illicet.* Al. *fast. tecti.* 759) Goth II. *et superant.* C. 8 *aestas.* 760) Vulgo *Proc. ad Pr.* vel *Protinus ad Pr* Mor. I. *Praecedo.* Ed. Ven. *sedemque arcemque reviso*, in qua jam fuerat ea nocte. 761) Goth. II. *At iam.* Asylo pro templo, quod in arce fuit Port. amplis, aut ob magnum spatium vacuis, aut ab strepitu armorum et multitudine hostium. 762) C. 1 *durus.* Burm. *laeti.* Phoenix, filius regis Agenoris, et frater Cadmi. 763) C. 1, 6, 7, 8, 9 *observabant.* Parrh. *observant.* Goth. II. *Hic* Gaza est aerarium Persarum. 764) C. 1. *mensemque* (?) *Deorum.* Mensae D. fors sunt, quibus oracula reddebantur. 765) Medic. *Craterasque.* Burm. duo sine *que.* Vestis Phrygia magni momenti. 766) Victores congerere solebant in unum locum omnem praedam, quo militibus gratum quoddam spectaculum praeberetur. Cerda credit, tacite indicari ab Aenea Trojanam virtutem. 767) Nostrae editioni Cerdae additum est: *et tacitis implent mugitibus aures*; Witt vero *auras.* Ven. *et crebris sua carpunt pectora pugnis.* Burm *crebrisque premunt sua pect. p.* Guelph. *et crebris pusant s. p. p.* 768) Burm. *umbras.* Heins. coni. *per urbem.* 769) Burm. *viam.* 770) Franc. *Nec quicquam.*

Quaerenti, et tectis urbis sine fine furenti,
Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae
Visa mihi ante oculos, et nota major imago.
Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
Quid tantum insano juvat indulgere dolori,
O dulcis conjunx? non haec sine numine divûm
Eveniunt. Nec te hinc comitem asportare Creusam
Fas aut ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exilia, et vastum maris aequor arandum.
Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius, arva
Inter opima virum, leni fluit agmine Thybris.
Illic res laetae, regnumque, et regia conjunx
Parta tibi; lacrimas dilectae pelle Creusae.
Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
Adspiciam, aut Grajis servitum matribus ibo,
Dardanis, et divae Veneris nurus:
Sed me magna deûm Genetrix his detinet oris.
Jamque vale, et nati serva communis amorem.
Haec ubi dicta dedit, lacrimantem et multa volentem
Dicere deseruit, tenuesque recessit in auras.

---

771) Mor. III. *sine more*. C. 9. *ruenti*. Tectis urbis, s. intra moenia. 772) Zul. *unius umbra*. Virg. attingit quaestionem de animabus mortuorum solitis apparere his, qui adhuc vivunt. 773) Nota maior s. pristina. 774) Pier. *Obstipui, steterantque c.* Franc. *stetereque*. 775) Pier. *Tunc*. Hamb. II. *effari*. 776) Vulgo *labori*. 777) Sine voluntate Deorum. 778) C. 1, 7, 8, 9 *Nec te com. hinc*. 779) C. 1, 7, 8. *Fas haut*. Witt. *haud ille sinet*. Burm. *summi*. Goth. II. *puri*. Fas, fatum, s. voluntas Deorum. 780) Gud. *longum*. Goth. III. *auxilia*. Exsilia pro exsilium, s. longum iter extra patriam. C. 8. *arandum est*. Aequor est quaelibet aequa planities. 781) Vulgo *Ad t*. Heins. coni. *Ut t*. Parrh. *Hesperiem* s. Italiam. 782) Dorv. *laeto fl.* Lydius Thybris pro Etruscus, ex veteri opinione originis Etruscorum a Lydis ductae. 783) Medic. *res Italae*. C. 1. *laeta*. 785) Franc. *superbam*, s. regiam superborum dominorum. C 8. *Dolopumque* superbas sedes, s. regiam superborum dominorum. 786) Al. *haut* vel *haud*. 787) Serv. suppl. *et tua coniux*. Dardanis, quia Priami filia e Dardana oriunda. 788) Hamb. *me detinet*. Ed. Ven. *hic distinet*. M. D. *Genitrix*, Cybele. C. 8. *aris*. 789) C. 1. *nate* (?). Graev. *amores*. 790) C. 1. *valentem*. Leid. *Plura vol*. 791) C. 1. *tenuisque* (?) Hamb. II. *Discere*. C. 7. *diseruit*.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Sic demum socios consumta nocte reviso.
  Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum
Invenio admirans numerum; matresque, virosque,
Collectam exsilio pubem, miserabile vulgus.
Undique convenere, animis opibusque parati,
In quascunque velim pelago deducere terras.
Jamque jugis summae surgebat Lucifer Idae,
Ducebatque diem: Danaique obsessa tenebant
Limina portarum, nec spes opis ulla dabatur.
Cessi, et sublato montem genitore petivi.

---

792) Macrob. V. 7. *conatus erat.* Dor. *colla et dare.* Mor. II. *circumdare brachia collo.* 793) Heins. *comprensa*, al. *compressa.* Zul. *compresa.* Hamb. II. *conata.* Pier. *manu.* 794) Medic. *Par l. vennis, v. s. vento.* 795) Securus iam et certus coniuge, et ubi illa esset, rediit ad socios. 796) Rott. III. sine *hic.* Hamb. II. *effluxisse.* 798) Heins. *ex Ilio.* Rott. III. *et mis.* Leid. *mirabile.* Collectam pubem exsilio, sc. juvenes ad fugam. 799) Mor. II. *animisque.* Opes s. fortunas ad naves faciendas et exstruendas. Hic videtur innui regia potestas Aeneae a suis data, qua caruit, quamdiu in Troia fuit 800) Gud. *decurrere.* Omnes se et fortunas suas Aeneae commiserunt, ut, quo ipse vellet, duceret per maria. 801) Ida est mons ad orientem Troiae, unde Lucifer, stella Veneris, ante solis ortum apparebat. 802) Franc. sine *que.* 803) Limina portarum, s. portas. Spes auxilii patriae ferendi. 801) C. 1, 9. *montes*, quibus innuitur pars iugi Idaei, qua ad Antandrum via ferebat. Cessi, discessi.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER TERTIUS.

Postquam res Asiae Priamique evertere gentem
Immeritam visum Superis, ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troja:
Diversa exsilia et desertas quaerere terras
Auguriis agimur divûm, classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae;
Incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur;
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat aestas,
Et pater Anchises dare fatis vela jubebat:
Litora quum patriae lacrimans portusque relinquo
Et campos, ubi Troja fuit. Feror exsul in altum
Cum sociis natoque Penatibus et magnis dîs.

LIBER TERTIUS.

1) Medic. *Priamique vertere.* Res s. regnum. 2) Rottend. *Immeritum.* Heins. *visum est.* 3) Burm. *Ilion*, sc. arx; Troja, sc. urbs. 4) Plur. Cod. et *diversas.* 5) Sprot. *classimque.* Rottend. I. *classesque.* 6) C. 7. *Atandro* sine *et.* Antandrum est urbs ad sinum Adramyttenum ad Idaei montis radices. 7) Heins. *ferent.* 8) Hamb. I. *Ut pr.* Medic. *inceperit.* 9) C. 8. *jubebant.* Burmann duo: *At p.* Hamb. duo: *dare ventis v.* 10) C. 1, 6. *cum*; C. 8. *tum*; C. 9. *dum.* 12) C. 6, 7, 8. *Diis.* C. 6, 7. *gnatoque.*

Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo;
Hospitium antiquum Trojae, sociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, et litore curvo
Moenia prima loco, fatis ingressus iniquis;
Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.

Sacra Dionaeae matri divisque ferebam
Auspicibus coeptorum operum, superoque nitentem
Coelicolûm regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit juxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, et densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi; viridemque ab hûmo convellere silvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras,
Horrendum et dictu video mirabile monstrum.
Nam, quae prima solo ruptis radicibus arbor
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus et alterius lentum convellere vimen
Insequor, et caussas penitus tentare latentes:
Ater et alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo Nymphas venerabar agrestes,

---

13) C. 6, 7. *Mavorcia.* Jam Homerus tribuit Thraciam Marti sedem. Procul non est longe dissita terra. 14) C. 6, 7, 8. *Ligurgo.* Moret. II. et Medic. *erant.* Supp. quam. Lycurgus fuit rex Thraciae, Dryantis filius, qui Baccho infestus ipsum fugere compulit in insulam Naxum, et vites Thracia tota succidi jussit. quas cum ipse succideret, dicitur Dei ultione in furorem actus sibi crura amputasse. 15) Regem Thracum hospitii jure cum Priamo junctum indicat, cuius filiam Polymnestor coniugem habuerat. 16) Leid. *Cum* Burm. duo *corvo*, *curro.* 18) Medic. *Aeneades.* Montalb *gentes de n.* Rottend. III. *cunctos.* Urbs Aenos inter ostia Hebri et Chersonesum. 19) C. 8. *Dianaeae.* 20 Wittian. *Auspiciis.* Parrhas. *superumque.* Nitentem s. candidum. 21) C. 6, 7. *littore.* 22) Tumulus, s. collis s. sepulcrum. 23) Myrtetum horret densis virgultis. 24) Exc. Burmann. *avellere.* 25) *Ut* abest a sec. Hamb. — Burmann. tres *arum.* Pier. et Ven. *miserabile.* 27) C. 8. *Namque ubi.* C. 1, 6, 8. *arbos.* Sprot. *Cum quae.* Ed. Mediol. *Namque ut.* 28) C. 7. *licuntur.* Al. *hinc atro linquuntur.* Sanguis dissolvitur in guttas. 29) C. 1. *infrigidus.* 32) C. 6, 8. *temptare latentis.* Tentare s. explorare. 33) Hamb. I. *Rursus et alterius.* 34) Nymphas Hamadryadas sc., cum enim hae una cum arbore vivant et occidant, dubitabat num esset earum sanguis.

Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis,
Rite secundarent visus, omenque levarent.
Tertia sed postquam majore hastilia nisu
Aggredior, genibusque adversae obluctor arenae:
(Eloquar, an sileam?) gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad aures:
Quid miserum, Aenea, laceras? jam parce sepulto;
Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troja
Externum tulit, aut cruor hic de stipite manat.
Heu! fuge crudeles terras, fuge litus avarum.
Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit
Telorum seges, et jaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threïcio regi, quum jam diffideret armis
Dardaniae, cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractae Teucrûm, et Fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit; Polydorum obtruncat, et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames! Postquam pavor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumque parentem,
Monstra deûm refero, et, quae sit sententia, posco.

---

35) C. 1. *Grandaevumque.* Hamb. II. *armis.* Menag. I. *oris.* Gradivus nominatur Mars 36) C. 7. *levaret.* Goth. II. *secundaret — levaret.* Visus pro visum, ostentum, portentum. 37) Al. *Tertio — maiori — nixu.* 38) Rottend. II. *aversae.* 39) Ven. *Alloquar.* 40) C. 1. *auras.* Al. *Auditus.* 41) Pier. *sepulchro.* 42) Scelerare manus violatione sepulcri, quae religio sancta semper fuit. 43) C. 7, 8. *haud.* C. 1. *cespite.* Wall. *Ext. dedit.* 44) C 8. *crudelis.* Hamb. II. *amarum.* 45) Euripides in Hecuba v. 700 ait a Polymnestore caesum. 46) Al. *implevit.* Jaculis pro, in jacula. 47) Hamb. II. *Nunc* 48) C. 6, 8. *steterantque comae, vox fauc.* sine *et.* 50) C. 8. *mandaret.* Exc. Burm. *commisit al.* 51) C. 7. *Tregicio*; al. *Thraicio*, *Traicio.* 52) Hamb. II. *insidione.* 54) Agamemnon, Atrei Mycenarum regis filius et rex ipse, ad expeditionem Troianam dux electus totius Graeciae, unde rex regum appellatur. 55) C. 7. *adrumpit.* Burm. *abrupit*; al. *obrumpit*, *erupit.* 56) Wall. *corpora cog.* 57) Wall. *caeca f.* Burm. duo *relinquit.* 58) Hamb. II. *Dilectos.* Pier. *parentum.* 59) Menag. 1. deest *et.*

Omnibus idem animus, scelerata excedere terra,
Linqui pollutum hospitium, et dare classibus austros.
Ergo instauramus Polydoro funus, et ingens
Aggeritur tumulo tellus; stant Manibus arae,
Caeruleis moestae vittis atraque cupresso;
Et circum Iliades crinem de more solutae.
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis et sacri pateras; animamque sepulcro
Condimus, et magna supremum voce ciemus
    Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, et lene crepitans vocat auster in altum,
Deducunt socii naves, et litora complent.
Provehimur portu; terraeque urbesque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereïdum matri et Neptuno Aegaeo:
Quam pius Arcitenens, oras et litora circum
Errantem, Gyaro celsa Myconoque revinxit,
Immotamque coli dedit, et contemnere ventos.
Huc feror; haec fessos tuto placidissima portu
Accipit. Egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,

---

60) Goth. III. *abscedere*. Consentiunt omnes, linquendam esse Thraciam. 61) Hamb. I. *austrum*. 62) Rottend. I1. *Polydori*. 63) C. 6. *cumulo*. 64) C. 6. *cypresso*. Vofs. *nexae*. Pier. et Burm. *cupressu*, quae est funebris arbor, hinc atra. Caeruleae vittae sunt nigrae, maestae vittis, maestitiam declarantes. 65) C 1. *crinae*. Matronae Trojanae lamentantur stantes ad tumulum. 66) Hamb. II. *trepido*. Oudart *fumantia*. Cymbia fuit vas oblongum et forma angustum, navique simillimum. 67) Exc. Burm. *sacras p*. Franc. *animaque*. Sanguinis, sc. victima caesa. 68) Placamus manes, ut quieti suae reddantur, et supremum vocamus. 69) Goth. III. *prima quies*. Parrhas. *pacataque*. Ineunte vere 70) C. 6, 7. *lenis*. Heins. coni. *segnes crepitans*. Burm. *lentos c*. Auster pro vento quocunque. 71) C. 1 *navis* — *littora* 73) C. 1. *medio colitur*. Delus inter Gyarum Myconumque Cyclades post Latonae partum consedit, in qua nati Apollo et Diana. Aegis fuit Euboeae oppidum, vel Aega Aeolidis promontorium. 74) Al. *Neptunio* 75) C 1. abest hic vers. — C. 6, 7. *horas et littora*. Arcitenens Apollo dicitur ab arcu. 76) C. 7. *Michono celsa Gyaroque*. C. 8. *Micone excelsa Gyaroque*. C. 6. *Micono celsa Gyaroque*. Hamb. I. *ligavit*. 77) Olim dicitur errasse mari, hinc immotam. 78) C. 1. *pontu*. C. 7. *porta*. Dorvill. *nuc fess*. Montalb. *tcto* 80) Veterum more rex idem ac sacerdos, Anius filius Apollinis ex Rhea.

Vittis et sacra redimitus tempora lauro,
Occurrit; veterem Anchisen agnoscit amicum.
Jungimus hospitio dextras, et tecta subimus.
Templa dei saxo venerabar structa vetusto.
Da propriam, Thymbraee, domum; da moenia fessis,
Et genus, et mansuram urbem. Serva altera Trojae
Pergama, reliquias Danaûm atque immitis Achilli.
Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?
Da pater augurium, atque animis illabere nostris.
  Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque, laurusque dei; totusque moveri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram, et vox fertur ad aures:
Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto
Accipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.
Haec Phoebus; mixtoque ingens exorta tumultu
Laetitia; et cuncti, quae sint ea moenia, quaerunt,
Quo Phoebus vocet errantes, jubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,
Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras:
Creta Jovis magni medio jacet insula ponto;

---

82) C. 1, 7. *agnovit.* Servius nempe ait: Ad Anium Anchises ante bellum Troicum consultum venerat, an Salamina peteret comes Priamo; unde et agnoscitur, sc. ab Anio. 83) Hospitium inter Anchisen et Anium fuerat. 84) C. 6, 7. *veneramur.* 85) Al. *Da patriam.* Thymbra erat Troadis vicus cum Apollinis templo. 86) Da urbem propriam Troianis. 89) Augurium pro oraculo. 90) Parrh. *erat.* 91) C. 1. *Limina tum.* Zulich. *Lim. sunt.* Rott. III. *laurosque.* An laurus qua simulacrum, an laurea sylva, consita in templi vestibulo, intelligatur incertum est. 92) C. 7. *mugere*, ipso templi penetrali per motum terrae patefacto. Mons Cynthus Deli insulae. 93) C. 7 *Summissi.* Leid. et Oudart deest *et* – Pier., Hamb. II. et Witt. *ad auras.* 94) C. 1. *quem.* Oraculum Italiam, unde Dardanus originem habere dicebatur, respicit. 95) Sprot. *toto.* Ubere pro ubertate. 96) Zulich. ex interpr. *exq. terram.* 97) Magnitudo Romani imperii innuitur. 98) Ven. *ab ipsis.* 99) C. 8. *mistoque.* Hugen *excita* 100) Ven. *s. haec m.* C. 6. *sunt.* 101) Al. *iubeatve* 102) C. 1, 6, 7. *monimenta.* Mont. *priorum.* 103) Burm. tres *dicite.*

Mons Idaeus ubi, et gentis cunabula nostrae;
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna;
Maximus unde pater, si rite audita recordor,
Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras,
Optavitque locum regno. Nondum Ilium et arces
Pergameae steterant; habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybelae, Corybantiaque aera,
Idaeumque nemus; hinc fida silentia sacris,
Et juncti currum dominae subiere leones.
Ergo agite, et, divûm ducunt qua jussa, sequamur;
Placemus ventos, et Gnosia regna petamus.
Nec longo distant cursu; modo Jupiter adsit,
Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris.
Sic fatus, meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo;
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
  Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretae;
Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.
Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus,
Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donusam,

---

105) Burm. *ibi.* Zulich. deest *et.* Mons Idaeus celebris est ortu Jovis. 108) C. 8. *Chretheas.* C. 1, 6, 7. *in oras.* Al. *Teucer* vel *Teucros.* Hamb. II. *adductus.* Leid. *devectus.* Goth. II. *transvectus.* Teucer, Creta frugum inopia laborante, ad quaerendas exteras sedes profectus est. Rhoeteum fuit promontorium Troadis. 109) Goth. II. et Burm. *Aptavit.* 110) C. 7. *habitabunt* ad Idae radices. 111) C. 1. *Cybeli.* C. 8. *Cybele — ora.* Al. *Cybeles*, *Cibili.* Corybantes fuerunt Jovis altores, qui frequenti cymbalorum aereorum pulsu in sacris utebantur. 112) C. 7. *hic*; al. *et f.*, al. *ac ipsa mysteria sacris.* 113) Franc. *vincti.* Dorv. *victi.* 114) Goth. II. *quo.* Ed Ven. *qua fata.* 115) Vulgo *Gnossia*, sc. Cretam, cuius urbs praecipua Gnossos fuit. 116) C. 6, 7. *Juppiter*, qui sumitur v. pro Deorum rege, v. pro aere ventis impulso. 117) Hamb. II. *sistat.* 118) Nonius *mactabat*, in Deum honorem. 119) C. 6. *tibi taurum.* Videtur a sorte data et navigatione facienda causa sacrificii esse petenda. 120) C. 1. *fel. auram* Hiems pro tempestatibus. 121) C. 1. *parentis.* Hamb. 1. *regno c. paterno.* 122) Idomeneus duxit Cretenses ad bellum Troianum. 123) Heins. *domus.* Pier. *domum.* 124) Ortygia est unum ex vetustis Deli nominibus. 125) C. 6, 7. *Baccatamque — Donisam.* Menag. 1. *Bacchantemque.* Vatic. fr. *Naxum*, ut mox *Olearum* et *Parum.* Naxon est insula, in qua vel ipse Bacchus egit chorum bachicum, vel turba sacra bacchica celebrare solet. Donusa est insula silvosa vel herbosa inter Icariam et Gyarum.

Olearon, niveamque Paron, sparsasque per aequor
Cycladas, et crebris legimus freta consita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor.
Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntes,
Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.
Ergo avidus muros optatae molior urbis,
Pergameamque voco, et laetam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.
Jamque fere sicco subductae litore puppes;
Connubiis arvisque novis operata juventus;
Jura domosque dabam: subito quum tabida membris,
Corrupto coeli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, et letifer annus.
Linquebant dulces animas, aut aegra trahebant
Corpora; tum steriles exurere Sirius agros;
Arebant herbae, et victum seges aegra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiae Phoebumque remenso
Hortatur pater ire mari, veniamque precari;
Quam fessis finem rebus ferat; unde laborum
Tentare auxilium jubeat; quo vertere cursus.
    Nox erat, et terris animalia somnus habebat.
Effigies sacrae divûm, Phrygiique Penates,

---

126) Al. *Oliaron*, quae est insula Cycladum juxta Paron, niveo marmore nobilem. 127) C. 7, 8. *concita*. C. 1, 8. *Ciclades*. Al. *cons. ventis*; nonnulli Sporadas esse volunt. 128) Oudart. *exagitur*. 131) Medic. *Sed tandem — allabitur*, ut Ven. — Hamb. II. *labimur*. Curetum orae spectant ad antiquissimas Cretae origines. 133) C. 7. *voco, laetam* gentem, sc. socios a Troia profectos. 134) Hic commendatur cura rei familiaris et privatarum domorum. Attolli dicitur de aedificiis in altum eductis. 135) Hamb. I. *lit. classes*. 136) Ven. *armisque*. Pro felici successu coniugiorum et agrorum sacrificabatur. 137) Zulich. *dabunt*. Leges et instituta condebam. 138) Rottend. *Corrupta*. Hamb. I. *tactu*, aere. 139) C. 1. *lucifer*. C. 6. *laetifer*. 140) Pier. aliquot: *et l. annus Linq. d. a.* 141) C. 8. *tunc*. C. 6, 7. *Syrius*. Parrh. *dum*. Menag. *serius* Wall. *exuere*. Sirius est stella in ore maioris canis, pro aestu caeli. 142) Vatic. fr. et tres Burm. *Ardebant*. Goth II. *seges ipsa*. Gud. et Mentel. *negabant*. Vatic. fr. *negare*. Pestis atrocissima in homines, pecora et herbas grassatur. 143) C. 7. *oraculum*. 144) Fess. reb. s. calamitatibus. 145) C. 1, 6. *Quem fessus*. 146) C. 8. *Temptare*. Leid. un. et Oudart. *Temptari*. Hamb. II. *auxiliumque iubet*. 147) Hamb. I. *in terris*.

Quos mecum a Troja, mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare jacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras.
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit; et tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti;
Nos tumidum sub te permensi classibus aequor;
Iidem venturos tollemus in astra nepotes,
Imperiumque urbi dabimus. Tu moenia magnis
Magna para, longumque fugae ne linque laborem.
Mutandae sedes. Non haec tibi litora suasit
Delius, aut Cretae jussit considere, Apollo.
Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt;
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebae.
Oenotri coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem.
Hae nobis propriae sedes; hinc Dardanus ortus,
Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.
Surge age, et haec laetus longaevo dicta parenti
Haud dubitanda refer; Corythum, terrasque requirat
Ausonias. Dictaea negat tibi Jupiter arva.
Talibus attonitus visis, ac voce deorum,
(Nec sopor illud erat; sed coram agnoscere vultus,

---

149) C. 7. *mediis ex.* 150) C. 6 *iacentes.* 151) C. 1. *quaeso.* Al. *Insomnis, Insomnes.* Leid. *manifeste.* 152) Menag. I. *incertas* 153) Goth. II. *Cum.* 154) C. 6, 7. *Apollo* sine *est.* Sprot: *Quae t. d. Ortygiae.* Hamb. II, *dilato.* 155) Rottend. III. *Hinc.* Hamb. II. *lumina.* Sed limina de ipso cubiculo sunt accipienda. 156) Wall. *incensaque tua.* 157) Sprot. *permissi.* Dorvill. *emensi.* 158) Goth. et Mentel. *ad astra*, sc. ad summum potentiae fastigium. 159) Moenia magnis, sc. nepotibus ad tantam imperii opumque magnitudinem perventuris. 160) Hamb. I. *neu.* Wall *furorem* 162) C. 8. *haud Creta considere jussit.* 166) Vatic. fr. et al. *duxisse.* Burm. duo *gentes.* 167) Menag. I. *Haec.* Franc. *vobis.* Witt. *Hac vob.* Mentel. III. *hic Dard.* 168) Ed. Ven. *vestrum.* Pater ad posteros refertur, non ad fratrem Dardanum. 170) C. 7 *Coritum.* Zulich. *dubitata.* Al. *requiras, require.* Coritus, nunc Cortona, est mons et urbs Tusciae. 171) C. 6, 7. *Juppiter.* Dicte est mons Cretae, in quo educatus est Jupp. 172) C. 1, 8. *et voce.* Burm. tres *iussis.*

Velatasque comas, praesentiaque ora videbar;
Tum gelidus toto manabat corpore sudor)
Corripio e stratis corpus, tendoque supinas
Ad coelum cum voce manus, et munera libo
Intemerata focis. Perfecto laetus honore
Anchisen facio certum, remque ordine pando.
Agnovit prolem ambiguam, geminosque parentes,
Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate, Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra canebat.
Nunc repeto haec generi portendere debita nostro;
Et saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare.
Sed quis ad Hesperiae venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phoebo, et moniti meliora sequamur.
Sic ait; et cuncti dicto paremus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem paucisque relictis
Vela damus, vastumque cava trabe currimus aequor.
Postquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullae
Apparent terrae, coelum undique et undique pontus:
Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens; et inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt
Aequora; dispersi jactamur gurgite vasto.

---

174) Comae vittis ornatae. 175) Burm. duo *pectore s.* 176) *E* aliquot Cod. deest. Vofs. *ex.* 177) Mun. intem., s. vinum purum. 178) Franc. *Praefecto.* 179) Multi *Anchisem.* 180) Troiani sunt Dardani et Teucri genus. 181) Rott. III. *decepto.* Hamb. I. *err. viarum*, el. *parentum.* Errore circa loca vetera interpretanda, unde Troiani originem ducant. 182) Sprot. *Italicis.* Goth. III. *flammis.* Vatic. fr. *factis.* Bellum Troianum omnia bella superavit. 183) Burm. duo *casus tales.* Hamb. I. *canebas.* Moret. II. *monebat.* Goth. I. *tenebat.* Vaticiniis Cassandrae, filiae Priami, a Troianis nulla fides habebatur. 184) C. 8. *protendere.* Exc. Burm. *Nam* Portendere, praedicere. 185) Hugen *vocavit.* 186) C. 6, 7. *littora* Montalb. *Italiae.* 187) C. 6. *tunc.* C. 7. *moneret.* Al. *ut quem*; aut *quem tu moveres.* 188) C. 6. *Caedamus.* C. 1, 7, 8 *Credamus.* Hamb. II. *maiora s.* 189) C. 1, 8, 7. *dictis.* Ovatio erat minor triumphus, solito pedestris. 192) C. 7. *illae.* 193) Macrob. *ulla Apparet tellus.* 194) Hugen. *institit.* 195) Tenebris coelum obducens. 196) C. 7 *volvunt venti.* Moret. I. *volvent.* 197) Mentel. III. *jactatur.* Hamb. II. *turbine.*

Involvere diem nimbi, et nox humida coelum
Abstulit; ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, et caecis erramus in undis.
Ipse diem noctemque negat discernere coelo,
Nec meminisse viae media Palinurus in unda.
Tres adeo incertos caeca caligine soles
Erramus pelago; totidem sine sidere noctes.
Quarto terra die primum se attollere tandem
Visa, aperire procul montes, ac volvere fumum.
Vela cadunt; remis insurgimus; haud mora, nautae
Adnixi torquent spumas, et caerula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Accipiunt. Strophades Grajo stant nomine dictae,
Insulae Jonio in magno: quas dira Celaeno,
Harpyaeque colunt aliae, Phineïa postquam
Clausa domus, mensasque metu liquere priores.
Tristius haud illis monstrum, nec saevior ulla
Pestis et ira deûm Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus, foedissima ventris
Proluvies, uncaeque manus, et pallida semper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus: ecce
Laeta boum passim campis armenta videmus,

---

198) Ment. I. et Hamb. II. *coelo*, sc. diem. Procellae aspectum coeli, lucemque ac solem eripiunt, et tenebrae ex pluvia. 199) Moret. II. *abrupti nub. ignes.* Goth. II. *imbribus.* 200) Hamb. II. *caecisque.* Wall. *et cesis.* Ignoto in mari, quia caeca cerni non possunt. 201) Hamb. I. *decernere.* Sprot. *discrimine.* 202) Medic. *viam.* Ed. Ven. *mediis P. in undis.* Meminisse pro noscere. Palinurus est gubernator navis Aeneae. 203) C. 1. 8, 7. *Tris.* Ven. et Parrh. *caeca in cal.* Incertos soles ob iter incertum. 204) Parrh. *Err. vento.* Hugen. *et totidem.* 205) Mentel. III. *primo.* 206) Hugen. *vellere fum.*, incensis passim ignibus in litoralibus habitationibus. Terra aperit montes, dum in conspectum eos admovet, ex quo ipsa visa est. 207) Hug. *remisque.* Moret. II. *insurgunt*, dum elevatur corpus magnum ad nisum. 208) Ven. *Adnisi.* 209) Med. et Gud. *prima.* Strophades sunt duae insulae in mari Jonio ex adverso Peloponnesi sitae. 210) C. 1 *dicit.* C. 7. *Excipiunt.* 212) Burm. duo *Pheneia.* Vat. fr. *Phyneia.* Harpyae tres numerantur, sc. Iris, Aello, Ocypete. 213) Ex domo Phinei expulsae. 214) Witt. *Tristior haud illis monstris.* Medic. *aut.* Ven. *haud saevior.* 215) Rott. III. *a Stygiis.* Cum res a Diis iratis immittitur. 217) Uncae manus, ungues. Pallor ex fame datur avibus, quae edacissimae sunt. 220) Goth. III. *Lecta b. passis.* Goth. II. *in campis.* Armenta pinguia sunt laeta.

Caprigenumque pecus, nullo custode, per herbas.
Irruimus ferro, et divos, ipsumque vocamus
In partem praedamque Jovem. Tum litore curvo
Extruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At subitae horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiae, et magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactuque omnia foedant
Immundo; tum vox tetrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo sub rupe cavata,
Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris,
Instruimus mensas, arisque reponimus ignem.
Rursum ex diverso coeli caecisque latebris
Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis;
Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capessant,
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus ac jussi faciunt, tectosque per herbam
Disponunt enses, et scuta latentia condunt.
Ergo ubi delapsae sonitum per curva dedere
Litora, dat signum specula Misenus ab alta
Aere cavo. Invadunt socii, et nova proelia tentant,
Obscenas pelagi ferro foedare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt; celerique fuga sub sidera lapsae
Semesam praedam et vestigia foeda relinquunt.
Una in praecelsa consedit rupe Celaeno,
Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem;

---

221) C. 7. *genus.* C. 1. *Caprienumque.* Hamb. II. *Caprig. genus.* Vulgo. *per herbam.* 223) In partem praedae. 224) Toros, a torta herba, ex qua struebantur lecti. 225) Al. *Et, Ac subito.* Sprot. *horrifero.* Goth. *de mont. altis.* 226) Pier. aliquot *plangoribus.* Al. *aures, auras* 228) Vox dira, stridor. 229) Leid. un. *Rursus secessu.* 230) C. 1, 7. *clausa*; al. *clausam, clausum.* Forte aras Jovi erexerant, ut praedae partem ei sacrificarent. 231) Hamb. II. *mensis arisque rep. ignes.* Menag. II. *imponimus.* 232) Zulich. *coelo.* Leid. *tenebris.* 233) Pier. aliquot: *T. s. ped. subito c.* 234) Burm. et Goth. *socii.* Hamb. II. *capessunt.* Franc. *capescant.* Goth. III. *Poll. os dapibus.* 236) Rott. III. *faciant.* Mont. *rectosque.* Parrh. *per herbas.* Rottend I. *per orbem* 238) Heins. *dilapsae.* Fingit poeta veluti hostile praelium, in quo utrinque tubis canitur. 239) C. 7. *Miscenus.* C. 1. *ad alta.* Hamb. II. *dederunt.* Specula est locus editior, unde late prospectus patet. 240) Leid. un. *coeptant.* 241) Parrh. *ferro pelagi foedare*, s. vulnerare. Harpyae dicuntur filiae Ponti, aut Neptuni aut Terrae, hinc pel. vol. 242) C. 1. *ullam plumis.* Hamb. II. *vulnere.* 243) Moret. *sidere.* 245) C. 6, 7. *Celeno.* 246) C. 7, 8. *rupitque.*

Bellum etiam pro caede boum stratisque juvencis,
Laomedontiadae, bellumne inferre paratis,
Et patrio Harpyias insontes pellere regno?
Accipite ergo, animis atque haec mea figite dicta.
Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
Praedixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit:
Sed non ante datam cingetis moenibus urbem,
Quam vos dira fames nostraeque injuria caedis
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit; et in silvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Deriguit; cecidere animi; nec jam amplius armis,
Sed votis precibusque jubent exposcere pacem,
Sive deae, seu sint dirae obscenaeque volucres.
Et pater Anchises passis de litore palmis
Numina magna vocat, meritosque indicit honores.
Dî, prohibete minas; dî, talem avertite casum;
Et placidi servate pios. Tum litore funem
Deripere, excussosque jubet laxare rudentes.
Tendunt vela Noti; ferimur spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabant.
Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,

---

247) Hamb. I. *Bella.* Goth. III. *iam pro.* Moret I. *caesisque iuv.* 248) Pier. *bellumque.* Troiani, a Laomedonte rege, Priami patre. 249) Patrio regno, Neptuni patris, cui parent mare et insulae. 250) Heins. distinxit post *ergo*, alii post *animis.* Med. *figite dextra* 251) C. 7. *purus Apollo.* C. 1. *mi.* — A Jove omnia prodire, notum est. 252) *Ego* deest aliquot Cod. Confusae tandem fuere Harpyae cum Furiis. 253) Ventum secundum nacti. 254 *que* abest a Mentel. II. 255) Datam, vel praedictam, vel fatis concessam. 257) C. 8. *subigit — consumere.* Voſs. *subiget.* Al. *assumere.* 258) Pier. *in silvas.* Plures cod. *pinnis.* 260) C. 6, 8, 7. *Diriguit.* Zul. *non iam.* Parrh. *nec ampl.* 261) C. 6. *vident*, Gloss. *volunt* pacem s. veniam exp. 262) Parrh. *durae.* Per Deas intellige Furias. 263) C. 6. *At.* C. 7. *pansis.* Heins. *Et.* Sprot. *En.* Zul. *sparsis.* 264) *que* abest a Leid. Vulgo *inducit.* Dii erant maiores et minores. 265) Hamb. I. *Di, pr. nefas!* Di, *t. av pestem!* Burm. exc. *talemque a.* Montalb. *advertite.* Minas s. malum sinistro vaticinio denunciatum. 266) Hamb. I. *Dii pl.* Gud. *placide.* Goth. I. *serv. viros!* 267) C. 8, 6. *Diripere.* Oudart. *extensosque.* 268) C. 6, 7. *fugimus.* 269) C. 1. 6, 7. *vocabat.* Hugen. *cursu.* Goth. II. *cursus.*

Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacae, Laërtia regna,
Et terram altricem saevi exsecramur Ulixi.
Mox et Leucatae nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi, et parvae succedimus urbi.
Ancora de prora jacitur. Stant litore puppes.
    Ergo insperata tandem tellure potiti,
Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras;
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palaestras
Nudati socii. Juvat evasisse tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes.
Interea magnum sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas.
Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, et rem carmine signo:
Aeneas haec de Danais victoribus arma.
Linquere tum portus jubeo, et considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, et aequora verrunt.
Protenus aërias Phaeacum abscondimus arces,
Litoraque Epiri legimus, portuque subimus
Chaonio, et celsam Buthroti accedimus urbem.

---

271) C. 1, 8. *Samoque, et Nerithos.* C. 6. *Samaeque.* 272) C. 6. *Defugimus sc. Ithacaeque Laertia.* Same, Dulichium et Ithaca sub eadem fere linea occurrunt ante fauces, sinus Corinthiaci. Neritos est mons Ithacae. Laertes Acrisii filius vulgo Ulyssis pater creditus est. 273) C. 1, 6, 8. *Ulixis.* Goth. III. *ultricem* 274) Sprot. *Leucaten umbrosa.* Oudart. *Leucatem*, nobile amantum saltu promontorium. 275) Men. II. *formidandus* Templum Apollinis Actiaci fuit in loco edito. 276) Zulich. *successimus*; sed potius ascendimus. 277) C. 7. *Anchora.* 278) Puget. *potimur.* 279) Ed. Ven. *Lustramusque*, solvimus vota Jovi. 280) Al. *Acciaque, Acteaque, Acteiaque.* Voſs. un. *celebrantur.* Octavianus ludos splendidos instituit a. 723. 281) Palaestras pro ludis gymnicis. 282) Puget. *Audaces socii.* 283) Argi urbs Peloponnesi. 284) Zul. *circum vertitur.* 285) Exasperat procellarum ira. 286) Sprot. *aere novo.* Rottend. II. *clypeo.* Abas quis fuerit ambigitur 287) Ven. *aversis fingo.* Postibus figit Apollinei templi, vel Leucatae, vel Actii. 289) C. 8. *cum.* Goth. II *tum penitus.* Transtris s. scamnis, in quibus remiges sedent. 291) C. 1, 8, 6, 7. *Protinus aereas.* Sprot. *urbes* 292) C. 6, 7. *portusque.* 293) C. 6. *Chaonios.* C. 1, 6. *Bythroti.* C. 8. *Butreti.* Al. *Brutoti, Bitroti.* Vulgo *ascendimus.* Portus Pelodes ad Buthrotum Epiri Chaonibus olim habitatae.

Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Grajas regnare per urbes,
Conjugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum;
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui; miroque incensum pectus amore.
Compellare virum, et casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classes et litora linquens.
Solemnes tum forte dapes, et tristia dona,
Ante urbem in luco, falsi Simoentis ad undam,
Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.
Ut me conspexit venientem, et Troïa circum
Arma amens vidit: magnis exterrita monstris
Deriguit visu in medio; calor ossa reliquit;
Labitur; et longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius affers,
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? dixit, lacrimasque effudit, et omnem
Implevit clamore locum. Vix pauca furenti
Subjicio, et raris turbatus vocibus hisco:
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita: nam vera vides.
Heu! quis te casus dejectam conjuge tanto
Excipit? aut quae digna satis Fortuna revisit?

---

294) Ed. Mediol. *Hinc.* 295) C. 7, 8. *Priamidem*: al. *Priamidenque.* Helenus erat frater Hectoris. 296) Leid. un. *regnisque p.* 297) Patrio marito, sc. Troianae originis. 298) C. 1. *Obstipui — incensnm est.* Parrh. *amore est.* 299) Ven. *agnoscere* 300) Leid. *Egredior portu, et.* Hamb. I. *classes ac.* Hamb. I. *linquo* 301) C. 6. 7. *cum.* 302) C. 7. *Simoontis*, al. *Simcontis* Burm. duo *undas.* Simois in Ilio erat. 303) C. 7. *Manisque* Vatic. fr. *Andromachen.* Vel vero cineri, vel eius umbrae. 304) Menag II. *cumulum.* Inanem s. honorarium tumulum Hectoris. 305) Sprot. *geminans.* Leid un. *caussa.* Hamb. II. *caussas.* Vel utramque aram Hectori, vel unam huic, alteram Astyanacti. 306) Gamb. I. *Troica* 307) Hamb II. *Arma timens.* Monstris, sc. aspectu. 308) C. 1, 7, 8. *Diriguit* Burm. duo et Goth. III. *relinquit.* 310) C 6, 7. *nuncius adfers.* Medic. *verum mihi.* 311 Goth II. *an si lux.* 312) Burm. *effundit.* Hector ipse inter umbras versatur. 313) Furenti s. impatienter dolenti. 314) Hisco, s. loquor. 315) Vatic. fr. *omina.* Extrema sc. pericula. 316) C. 1. *nec v. fides.* Al. *Nec dubites.* 318) Zul. *dig. sacris.*

Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?
Dejecit vultum, et demissa voce locuta est:
O felix una ante alias Priameïa virgo,
Hostilem ad tumulum Trojae sub moenibus altis
Jussa mori, quae sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos, patria incensa, diversa per aequora vectae,
Stirpis Achilleae fastus, juvenemque superbum,
Servitio enixae, tulimus. Qui deinde, secutus
Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque Hymenaeos,
Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.
Ast illum, ereptae magno inflammatus amore
Conjugis, et scelerum Furiis agitatus, Orestes
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
Pars Heleno, qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Trojano a Chaone dixit,
Pergamaque, Iliacamque jugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quae fata dedere?
Aut quisnam ignarum nostris deus appulit oris?
Quid puer Ascanius? superatne, et vescitur aura?
Quem tibi jam Troja * * * *
Ecqua tamen puero est amissae cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles

---

319) C. 6. *Andromachen.* Mentel I. *Andromachae.* Al. *Pyrrhi*, *Pirri*, *Pyrrhi an c. servat?* 320) Al. *dimissa*, *submissa*, secundum morem pudicae foeminae. 321) Montalb. *alios.* Pr v., i. e. Polyxena, Priami et Hecubae filia, amata ab Achille. 324) C. 7. *cativa.* 325) Vatic. fr. *vecti.* De se tantum loquitur, licet in multitudine. 327) Andromache captiva a Pyrrho in uxorem admissa, suscepit ex eo Molossum 328) Menelai filiam, Lacedemonii regis, ex Helena filia Jovis et Ledae. 329) Sprot. *transmittit.* Hamb. I. *concessit.* Goth. III. *permisit.* 330) Vatic. fr. et Gud. *flammatus.* 331) Orestes Agamemnonis et Clytaemnestrae filius. 332) Burm. binis *que* abest. Patrias s. graecas s. delphicas. 333) C. 6, 7. *Neoptolomi.* 334) Voſs. *Sors Heleno.* Chaon aut comes, aut frater Heleni fuit 335) Al. *Pergamiam*, *Pergameamque* Una res in duas dividitur: Pergamus enim fuit arx Iliaca s. Troiana, quam monti imposuit 337) A rebus suis ad Aeneae transit. 338) Ed. Ven. *quis iam.* 339) Pier. *aut v. aures.* Jam a patre ad filii res transit. 340) C. 1. *Quem t. j. Troja obsessa est enixa Creusa.* C. 7. *Q. t. j. Tr. peperit fumante Creusa.* Menag. II. *Quae t.* 341) C. 7 *Qua tamen* C. 1. *Quae tamen.* Vox *amissae* ad Creusam refertur. 342) C. 8. *Et quid.* Antiqua virtus videtur ad Aeneam, animi viriles ad Hectorem referri.

Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrimans, longosque ciebat
Insassum fletus, quum sese a moenibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus affert,
Agnoscitque suos, laetusque ad limina ducit,
Et multum lacrimas verba inter singula fundit.
Procedo, et parvam Trojam, simulataque magnis
Pergama, et arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scaeaeque amplector limina portae.
Nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus, paterasque tenebant.
    Jamque dies alterque dies processit, et aurae
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro.
His vatem aggredior dictis, ac talia quaeso:
Trojugena, interpres divûm, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, et praepetis omina pennae,
Fare age (namque omnem cursum mihi prospera dixit
Religio, et cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere, et terras tentare repostas;
Sola novum dictuque nefas Harpyia Celaeno
Prodigium canit, et tristes denuntiat iras,

---

343) Avunculus pro consanguineo. 345) Zul. *In casum*. A moenibus, sc. via ex urbe. 346 Al. *offert, effert*. 347 Hamb. II. *Agnovitque*. Vulgo *ad moenia*. 348) C. 7. *fudit*. Al. *lacrimans*. 349) Sprot. *ad parvum*. Zul. et Leid. *et patriam*. Witt. *sim. multis*. 350) Xanthus est Troadis fluvius. 351) Scaea est Troadis porta. 352) Ven. et Hamb. II. *feruntur*. 353) Montalb. *Illas*. 354) C. 7. deest *in*. *Aulai* est graecismus pro aulae. 355) Witt. *impositisque*. Ven. *tenebat*. Fors porticus aulam circumdederunt. 356) Leid. *praecessit*. 357) Menag. II. *inflatus*. Rott II. caret *que*. 359) C. 8. *interpretes*. Witt *q. n divum*. Virg. quinque divinationis species enumerat. Significatur sc. per numina Phoebi, qui aliquando in vates illapsus, os ipsis ad futura praedicenda aperiebat; per tripodas, in quibus sedentes puellae vaticinabantur; per Clarii lauros vaticinium ex combustione laurei rami; per sidera astromantia; per volucrum linguas ars augurum. 360) C. 7. *Tripodes*, *Clari*. C. 8. *laurus*. Al. *Clarii et lauros*. Medic *laurus*. 361) C. 8. *praepitis*. Al. *omnia pennae* 363) C. 6, 7 *Relligio*, sc. ut sit — *et* abest a pluribus cod. Religio pro vaticinio accipienda est. 366) C. 1, 8. *tristis*. Eventum rerum prodigii similem.

Obscenamque famem), quae prima pericula vito?
Quidve sequens tantos possim superare labores?
Hic Helenus, caesis primum de more juvencis,
Exorat pacem divûm, vittasque resolvit
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phoebe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit,
Atque haec deinde canit divino ex ore sacerdos:
Nate dea, (nam te majoribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides; sic fata deûm rex
Sortitur, volvitque vices; is vertitur ordo)
Pauca tibi e multis, quo tutior hospita lustres
Aequora, et Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis; prohibent nam cetera Parcae
Scire, Helenum farique vetat Saturnia Juno.
Principio Italiam, quam tu jam rere propinquam,
Vicinosque, ignare, paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante et Trinacria lentandus remus in unda,
Et salis Ausonii lustrandum navibus aequor,
Infernique lacus, Aeaeaeque insula Circae,
Quam tuta possis urbem componere terra.
Signa tibi dicam; tu condita mente teneto.
Quum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, jacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati:
Is locus urbis erit; requies ea certa laborum.

---

367) Quatenus ad ultima redacti etiam ea comedant, quae nauseam faciunt. 368) Al *Quodve* 370) Resolvit infulam vittatam, qua implicati erant capilli sacerdotis. 372) Hamb. I. *Ipse etiam*. Pier. *duxit*. Suspensum, perturbatum horrore ex praesentia Dei. 373) Leid. uni deest *haec*. 375) Vel majorum Deorum, vel ad maiora spectantibus Ausp. 376) C. I, 8. *his*. Ed Ven. et Junt. *hic*. Goth. II. *sic* 377) Parrh. *tutius*. Hospita pro vicinis 378 Hamb. I. *consistere*. 380) Hamb. I. *vetet*. 383) Italiae illa pars, quae Aeneae petenda est, remota est longo illo tractu inferioris Italiae. 384) Goth. II. *tentandus*. Guelpherb. *flectendus*; sed agendus et curvandus solum vi undarum, erunt longissimae morae circa Siciliam. 386) C 8 *Circes*; *al. Circe*, quae est Solis et Perses Nymphae filia, soror Aeetae Colchici regis, qui pater fuit Medeae. Aea fuit insula et urbs colchici regni circa ostia Phasis fluvii. 387) Hamb II. *posses*. 389) Pier. *undas*. Secreti, sc. ab hominum frequentia remoti. 391) Montalb. *foetus capitum*. 393) Al. *Hic*. Burm. duo *erat*.

Nec tu mensarum morsus horresce futuros:
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quae nostri perfunditur aequoris aestu,
Effuge; cuncta malis habitantur moenia Grajis.
Hic et Narycii posuerunt moenia Locri,
Et Sallentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus: hic illa ducis Meliboei
Parva Philoctetae subnixa Petilia muro.
Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes,
Et positis aris jam vota in litore solves,
Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto;
Hac casti maneant in religione nepotes.
Ast, ubi digressum Siculae te admoverit orae
Ventus, et angusti rarescent claustra Pelori:
Laeva tibi tellus, et longo laeva petantur
Aequora circuitu; dextrum fuge litus, et undas.
Haec loca, vi quondam et vasta convulsa ruina,
(Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas)

---

394) C. 8. *futuris.* Duplex ratio, cur non debeat horrescere Harpyarum minas. 395) Heins. quatuor *inveniant.* 396) Goth. III. *Has inter.* Oram s. frontem. 397) Parrh. *qua nostri.* Burm. duo *profunditur.* Aequoris Jonii inter Epirum et Italiam. 399) C. 7. *Naracii.* C. 8 *Maricii,* ad litus Italiae extremae exterius, in Bruttiis, non procul a promontorio Italiae Zephyrio. 400) Sallentinorum, qui ex antiquis Messapiis fuerunt, tractus erat in peninsula Calabria. 401) C. 1. *Lycius,* quod fuit inter insigniora Cretae oppida. 402) Vulgo *Petilia* in Bruttiis supra Crotonem a Philoctete, Herculis comite, duce Meliboeensi, moenibus firmata 403) C. 8. *steterunt.* Goth. 1. *puppes.* Hamb 1. *naves.* 404) Medic. *in litora*; sed ad Castrum Minervae. 405) Dorv. *Purpureas velare,* sc. memento. 406) C. 1, 7, 8. *ignis.* Subest hic fabula de Diomedis vel Ulyssis in his locis obcursa. 407) C. 7. *Hostilis.* C. 1, 8. *omnia* Franc. *occurret.* Al. *omnia turbet.* 409) In observatione rituum. 410) Sprot. *degressum.* 411) C. 6, 7. *augusti rarescunt*; Glofs. *clarescent.* Parrh. *plaustra.* Pelorus est promontorium Siciliae. 412) Pier *Laeta.* Goth. II. *petentur.* Vicinitas locorum facit, ut hi navigantes, qui longius sunt putent omnia esse interclusa, et nullum aditum, ac velut claustra quaedam. 414) Ruina s. motu terrae. 415) Al. *longaeva.*

Dissiluisse ferunt, quum protenus utraque tellus
Una foret; venit medio vi pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes
Litore diductas angusto interluit aestu.
Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, et sidera verberat unda.
At Scyllam caecis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem, et naves in saxa trahentem.
Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
Pube tenus; postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum.
Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos et circum flectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam et caeruleis canibus resonantia saxa.
Praeterea, si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris implet Apollo,
Unum illud tibi, nate dea, praeque omnibus unum
Praedicam, et repetens iterumque iterumque monebo:
Junonis magnae primum prece numen adora;
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis. Sic denique victor
Trinacria fines Italos mittere relicta.
Huc ubi delatus Cumaeam accesseris urbem,

---

416) C. 6, 7. *protinus*, sine interruptione. 417) Rott. III *forent*. Ven. *venit in m.* Cum vi pontus venit in medium. 419) C. 1, 7. *deductas* Litore s. mari. 420) C. 6. *Caripdis* ad latus Siciliae, sed non nisi impetuosior undarum fluxus; Scylla ad latus Italiae est scopulus. 421) Barathrum erat locus apud Athenienses profundissimus, in quem noxii praecipitabantur. 422) C. 8. *obruptum*, sed praeceps potius. 423) Erigit s. emittit. 424) C. 7. *prohibet*. 425) C 8. *exhortantem*. C. 6. *exertatam, et navis*. Hamb. II. *Ora exercentem*. Ven. *O exhalantem*. 426) Montalb. *p. corpore*. Prima s. superiore corporis parte — postrema s. inferiore. 427) Pistrix pro bellua marina, balaena. 428) Ven. *caudam*. Habens coniunctas delphinum caudas lupinis cum corporibus, in quae virgineum corpus desinit. 429) C. 1. *Trinacri*. C. 6. *Trinacrii*. C. 1. *Pachinni*, quod est promontorium Siciliae. 430) Goth. II. *Cessantes* 435) C. 7. *te*. Hamb. I. *Verum aliud*. 436) Burm. tres: *Praedico*. 437) Hamb. I. *Jun. sacrae*. 439) Al. *S. s. votis*. 441) C. 6. *Cymeam*. Cuma est urbs eversa Italiae, in litore Campaniae.

Divinosque lacus, et Averna sonantia silvis:
Insanam vatem adspicies, quae rupe sub ima
Fata canit, foliisque notas et nomina mandat.
Quaecunque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit,
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenuis quum cardine ventus
Impulit, et teneras turbavit janua frondes,
Nunquam deinde cavo volitantia prendere saxo,
Nec revocare situs, aut jungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllae.
Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti,
Quamvis increpitent socii, et vi cursus in altum
Vela vocet, possisque sinus implere secundos,
Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas.
Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiae populos, venturaque bella,
Et, quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet, cursusque dabit venerata secundos.
Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri.
Vade age, et ingentem factis fer ad aethera Trojam.

Quae postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto
Imperat ad naves ferri, stipatque carinis
Ingens argentum, Dodonaeosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem,

---

443) C. 1. *rure.* Sprot. *Infamem vatem.* Hamb. II. *sub ipsa.* 444) C. 7. *foliis.* Litteras et verba scribit. 445) Carmina s. vaticinia. 446) C. 6, 7. *reliquit.* Medic. *Degerit.* 448) Hamb. I. *carcere.* Menag. I. *vento.* 449) Janua mota. 451) Zul. *nec jung.* 452) Gud. *aedemque.* Sine responso abeunt. 453) C. 1, 6. *tantae*; sed male. 454) Heins. *increpitant.* Witt. *et tua.* 455) C. 1, 8. *vocent.* Sinus vento secundo inflatos. 457) Burm. *canet — resolvat.* Ipsa reddat vaticinia, non foliis vaticinia mandet. 458) C. 1. *Italia.* 459) Witt. *Et quocunque.* Franc. *Ex quo — Expediat.* Pier. *effugias.* 460) *Venerata* passive dictum est. 461) Ven. *moveri.* 462) Burm. *fatis.* 463) C. 1, 8. *affatus.* C. 7. *est* deest. *Effatus* cum respectu ad fata. 464) C. 8. *deinde.* Franc. *septoque.* Zul. *elephante*, sc. ebore, quod ex eius dentibus secatur. 465) Menag. I. *cathenis.* 466) C. 1. *Dodonasque.* C. 7. *libetas.* Lebetas aereas: aes enim Dodonae celebre fuit. 467) Lorica est tunica quaedam et munimentum pectoris in bello.

Et conum insignis galeae, cristasque comantes,
Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces;
Remigium supplet; socios simul instruit armis.
  Interea classem velis aptare jubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phoebi interpres multo compellat honore:
Conjugio, Anchisa, Veneris dignate superbo,
Cura deûm, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniae tellus; hanc arripe velis.
Et tamen hanc pelago praeterlabare necesse est.
Ausoniae pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate. Quid ultra
Provehor, et fando surgentes demoror austros?
Nec minus Andromache, digressu moesta supremo,
Fert picturatas auri subtemine vestes,
Et Phrygiam Ascanio chlamydem; nec cedit honori;
Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
Accipe et haec, manuum tibi quae monumenta mearum
Sint, puer, et longum Andromachae testentur amorem,
Conjugis Hectoreae. Cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei super Astyanactis imago.
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;
Et nunc aequali tecum pubesceret aevo.

---

468) Conum s. conus transfertur ad eam galeae partem, quae ex ejus convexo eminet, sustinetque cristas. 469) *Sunt haec.* Neoptolemus s. Pyrrhus. C. 7, 8. *Neoptolomi.* 470) Duces, agasones, magistros equorum. 471) Medic. *instruet.* Remigium est ipse remorum apparatus, qui sunt arma. 472) Ex decoro seniori Anchisae haec semper cura datur. 474) Verbis honorificis. 475) Anchisa est vocativus graecus. 476) Primo cum Hercules expugnavit Troiam — secundo cum haec a Graecis incensa est. 477) Ven. *eripe.* 478) C. 7. *praeterlabere.* 479) Pandit, oraculo designat Ap. agrum Lavinium. 481) Sermone progredior et vos demoror, quo minus austris utamini. 482) Andromache erat coniux Hectoris et nurus Priami. 483) C. 6, 7. *sub tegmine.* Distinctas coloribus et variegatas aureo textu. 484) Goth. III. *Ausonio.* 484) Phrygia s. acu picta chlamys. 485) C. 7. *Testilibus.* Inserviunt vel vestiendo corpori, vel ornandis mensis. 486) C. 6, 7, 1. *monimenta.* 487) C. 7. *testetur.* Burm. *testantur.* 489) O imago, quae mihi sola superest mei Ast.

Hos ego digrediens lacrimis affabar obortis:
Vivite felices, quibus est Fortuna peracta
Jam sua, nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies; nullum maris aequor arandum;
Arva neque Ausoniae, semper cedentia retro,
Quaerenda. Effigiem Xanthi Trojamque videtis,
Quam vestrae fecere manus, melioribus, opto,
Auspiciis, et quae fuerit minus obvia Grajis.
Si quando Thybrim, vicinaque Thybridis arva
Intraro, gentique meae data moenia cernam:
Cognatas urbes olim populosque propinquos,
Epiro, Hesperia, (quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem casus) unam faciemus utramque
Trojam animis. Maneat nostros ea cura nepotes.

Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta,
Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis.
Sol ruit interea, et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatae gremio telluris ad undam,
Sortiti remos, passimque in litore sicco
Corpora curamus; fessos sopor irrigat artus.
Necdum orbem medium Nox horis acta subibat:
Haud segnis strato surgit Palinurus, et omnes
Explorat ventos, atque auribus aëra captat;
Sidera cuncta notat tacito labentia coelo,
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,

---

492) C. 7, 8. *abortis.* Moret. II. *Hos — affabor.* Sprot. *digrediens.* 493) Ven. *parata.* 496) C. 1, 8. *nec.* 498) *Mel. ausp.* Allusum ad morem Romanorum, quibus si prima hostia aut primae aves non fuissent ex voto, iterum auspicabantur. 499 Al. *fuerint.* Exposita Graecorum furori. 500) C. 1. *Thyberim.* C. 6. *Tybrin.* C. 7. *Tibrin.* Goth. III. *Sic q.* 501) C. 8. *Intrabo.* 503) C. 6. *Epyro Hesperiam*, ut multi. Voſs. *Epiri.* A Dardano Troiani omnes originem habebant. 504) Utramque pro utrosque Troianos tam Epiri, quam Italiae. 506 Ceraunia sunt montes altissimi Epiri, et ideo crebro fulmine percussi 509 Ven. *ad undas.* 510) Remigandi officium dividebatur apud veteres non in reos, sed in ipsos milites 511 C. 7. *arctus.* Al. *fassos.* 512) C. 1. *orbem in med.* Hamb. II. *atra.* 513) C. 1. *Palimurus* pro gubernatore navis Aeneae. 515) Sprot. *notant.* 516) C. 7. *pliadasque.* C. 8. *plyadasque*, sed contra metrum. Hamb 1. *Septemque Triones.* Arcturum s. stellam in signo Bootae; Hyadas s. stellas septem in fronte tauri; gem. Triones s. maiorem et minorem ursam.

Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt coelo constare sereno,
Dat clarum e puppi signum; nos castra movemus,
Tentamusque viam, et velorum pandimus alas.
Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis,
Quum procul obscuros colles humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam laeto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, implevitque mero, divosque vocavit
Stans celsa in puppi:
Dî, maris et terrae tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, et spirate secundi.
Crebrescunt optatae aurae, portusque patescit
Jam propior, templumque apparet in arce Minervae.
Vela legunt socii, et proras ad litora torquent.
Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum;
Objectae salsa spumant adspargine cautes;
Ipse latet; gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque ab litore templum.
Quatuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campum late, candore nivali.
Et pater Anchises: Bellum, o terra hospita, portas;
Bello armantur equi; bellum haec armenta minantur.
Sed tamen îdem olim curru succedere sueti

---

517) Orion in coelo lucidissimum sidus. 518) C. 8. *vidit.* 520) Rott. II. *tendimus.* Extremas velorum partes, lacinias, angulos. 521 Franc. *Tumque.* 422) Oudart. et Franc. *Tum pr.* Parrh *obs. montes.* Humilem Italiam, tum quia in ea parte altis montibus caret, tum quia e longinquo spectantibus altissima quaeque humilia videntur, tum quia universim mare terris altius apparet. 523) Moret. II. *primum.* 524) C. 6, 7. *socii laeto.* C. 6. *salutent.* 525) Anchises e puppi craterem vino implet ad summum, illi imponit coronam e floribus, Deos invocat. 526) Wall. *vocabat.* 527) Medic. *Stant.* Gud. *prima in p.* 528) C. 7. *Dii.* 529) Rott. II. *secunde.* 530) Portus sc. Veneris. 531) Arx pro monte Salentino, in quo templum Minervae erat, quod Idomeneus condidisse fertur. 532) C. 7. *lit. vertunt.* 533) C. 7. *ab Eoo.* C. 8. *curvatur.* 534) C. 1, 8. *adspergine.* 535) C. 1, 6, 7, 8. *dimittunt.* Ab utroque portus latere procurrentes in mare sensim decrescunt. 536) C. 7. *a lit.* 538) Pascentes late vagando. 539 Burm. *At p.* 540) Hamb. II. *bella haec.* Bello, ad bellum 541) Ven. *Et tamen.* Curru pro currui.

Quadrupedes, et frena jugo concordia ferre:
Spes et pacis, ait. Tum numina sancta precamur
Palladis armisonae, quae prima accepit ovantes;
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu;
Praeceptisque Heleni, dederat quae maxima, rite
Junoni Argivae jussos adolemus honores.
Haud mora; continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum,
Grajugenûmque domos suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur. Attollit se diva Lacinia contra,
Caulonisque arces, et navifragum Scylaceum.
Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna,
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa
Audimus longe, fractasque ad litora voces;
Exsultantque vada, atque aestu miscentur arenae.
Et pater Anchises: Nimirum haec illa Charybdis;
Hos Helenus scopulos, haec saxa horrenda canebat.
Eripite, o socii, pariterque insurgite remis.
Haud minus ac jussi faciunt; primusque rudentem
Contorsit laevas proram Palinurus ad undas;
Laevam cuncta cohors remis ventisque petivit.
Tollimur in coelum curvato gurgite, et idem
Subducta ad Manes imos desidimus unda.

---

543) C. 7, 8. *Tunc.* 544) C. 6, 7, 8. *primum.* C. 8. *cepit.* Ovantes s. gaudio plenos. 547) Junonem Argis coli solitam praecipuo honore notum est. 548) Franc. *profectis.* Continuo s. non interrupto sacrificio. 549) Antennae sunt ligna transversa in malo, quibus a ligantur vela; earum extrema vocantur cornua. Obvertimus, sc pelago. 550) C. 1. *domus.* Moret. II. *domum.* 552) Templum dictum est vel a conditore, vel a latrone Lacinio, quem interfecit Hercules, et inibi templum condidit. Contra s. in prospectu meridiem versus. 553) C. 8 *naufragium.* Caulon erat colonia Achaeorum in alto litore — oppidum Scylacaeum in ora Calabriae. 554) C. 8. *cernitis.* C. 6, 7. *Aethna* Rott. et Hamb. II. *Cum — e ora.* Sicilia dicta est trinacria a tribus promontoriis. 555) Saxa pulsata fluctibus. 556) C. 6, 8. *ab litore.* C. 7. *ab lit.* 558) Rott. II. *At.* Pier. *hic illa.* 561) Reg. *primumque rud.* Gud. *rudentes.* 562) Ed. Ven. *laevam proram.* Leid. *in unda.* Per proram rudentem intelligit sonantem et stridentem. 563) C. 7. *Laeva.* Hamb I. *petebant.* 564) C. 1, 7. *turbato.* Med. *ad coel.* Hamb. I. *in gurgite.* 565) C. 1, 6. *desedimus.* C. 7. *descedimus.* C. 8 *descendimus* Parrhas. *Subducti.* In coelum tollimur eructante Charybdi, ad manes et ima descendimus, subducente se atque aperiente aqua.

Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere;
Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole reliquit;
Ignarique viae Cyclopum allabimur oris.
Portus ab accessu ventorum immotus, et ingens
Ipse; sed horrificis juxta tonat Aetna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,
Turbine fumantem piceo et candente favilla;
Attollitque globos flammarum, et sidera lambit:
Interdum scopulos avulsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exaestuat imo.
Fama est, Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgueri mole hac, ingentemque insuper Aetnam
Impositam ruptis flammam exspirare caminis;
Et fessum quoties mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, et coelum subtexere fumo.
Noctem illam tecti silvis immania monstra
Perferimus, nec, quae sonitum det caussa, videmus.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus aethra
Siderea polus; obscuro sed nubila coelo:
Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

Postera jamque dies primo surgebat Eoo,

---

567) Goth. I. abest hic vers. Auditus a nobis clamor inter saxa et scopulos visa est spuma elisa, et rorantia astra, stillantem aerem, depluente aqua, quae maris impetu eiecta sursum fuerat. 568) Al. *relinquit* Vesperi aquilo cessat. 569) Franc. *illabimur* Rott. II. *undis*. Cyclopes primi Siciliae habitatores fuerunt. 570) Hamb I. *incessu*, et II. *abscessu*. Graev. *occasu*. Vratisl. *motus*. 571) Al. *sonat*. 572) Dorvill. *praerumpit*, quod est activum. 573) C. 1, 7. *cadente* Vofs. *candore* 575) Al. *convulsa*. 576) Menag. II. *eruit — sub astra*. Franc *eruptans* 577) Hugen. *glomerant*. 578) Enceiades, gigantum maximus, Titanis ac Terrae filius, fulminatus a Jove, et Aetna monte obtectus fuit 579) C. 6. 7, 8. *Urgēri*. 580) Hamb II. *expugnare*. Oudart. *spirare caminis*, i. e cavernis et receptaculis flammae subterraneis. 581) C. 6, 7, 8 *quotiens*. C. 1, 6. *motet* C. 7. *motat*. C. 8 *mutat*. 583) Monstra, monstrosum phoenomenon. 585) Al. *aether* Coelestis ignis sphaera vocatur aether 587) Goth. I. *limbo*. Tenebat s. occultabat. Cursus Lunae videtur cohiberi, si in nimbo est. 588) Eoo, Lucifero, Veneris stella

Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Quum subito e silvis, macie confecta suprema,
Ignoti nova forma viri, miserandaque cultu,
Procedit, supplexque manus ad litora tendit.
Respicimus. Dira illuvies, immissaque barba,
Consertum tegumen spinis: at cetera Grajus,
Et quondam patriis ad Trojam missus in armis.
Isque ubi Dardanios habitus et Troïa vidit
Arma procul, paullum adspectu conterritus haesit,
Continuitque gradum; mox sese ad litora praeceps
Cum fletu precibusque tulit. Per sidera testor,
Per superos, atque hoc coeli spirabile lumen,
Tollite me, Teucri; quascunque abducite terras.
Hoc sat erit. Scio me Danaïs e classibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiisse Penates.
Pro quo, si sceleris tanta est injuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque immergite ponto.
Si pereo, hominum manibus periisse juvabit.
Dixerat; et genua amplexus, genibusque volutans
Haerebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus,
Hortamur; quae deinde agitet Fortuna, fateri.
Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus,
Dat juveni; atque animum praesenti pignore firmat.
Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,
Nomen Achemenides, Trojam genitore Adamasto
Paupere (mansissetque utinam Fortuna!) profectus.

---

589) Ven. *Humentesque — umbras*, s. noctem humidam. 593 Pier. *Prospicimus*. Sprot *ingluvies*. Al. *demissaque, dimissaque, promissaque, immensaque*. 594) C. 1, 7. *tegimen*. C. 8. *tegmen*. Al. *et*, vel *ac coetera*. Vestis e frondibus arborum, quae spinis inter se assutae et compositae erant. — Caetera, sc. quoad vocis sonum, incessum, colorem. 595 Burm. *Ut quond*. 596 C. 8. *Troica*. 597) Goth. II. *pauco aspectu*. 599) Testor, obtestor. 600) Wall. *perque hoc*. Medic. *sperabile numen*. Vel aerem luce penetratum, vel lucem ipsam Solis vitalem. 601 C. 1. *adducite terris*. 602) Montalb. *de class*. 603) C. 7. *Illiacos*. 607) Al. *amplectens* 608) Vulgo *Quis sit*. Sprot *quo fari sang*. 609) Hamb. II. *agitat* 610) Parrhas. *haud plura*. 611) Praesenti pignore, sc. tradita manu. 613) Ithaca est insula ad sinum Corinthiacum, pars regni Ulyssis. 614) C. 1, 8. *Nomine Achimenides*. Al. *Damasco, Damasto* Achaemenides est fictum nomen, quia derelictus a sociis in moerore diu fuerat. 615) Paupere, ut se ad Troiam non voluntate profectum ostendat, habeatque excusationis necessitatem.

Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores socii vasto Cyclopis in antro
Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens. Ipse arduus altaque pulsat
Sidera, (Dî, talem terris avertite pestem!)
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.
Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent
Limina; vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impune quidem. Nec talia passus Ulixes,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus,
Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum
Immensus, saniem eructans ac frusta cruento
Per somnum commixta mero: nos, magna precati
Numina, sortitique vices, una undique circum
Fundimur, et telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar;
Et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, o miseri, fugite, atque ab litore funem
Rumpite.
Nam, qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat,

---

616 Sprot. *trepidum*. Ven. *tepidi*. Hamb. et Goth. II. *lumina*. Trepidi ob celeritatem fugae, qua rerum omnium obliti sunt. 617) In antro Poliphemi. 620) Pestilens hominum vitae monstrum. 621) C 1, 6, 7, 8. *effabilis*. 622) Pl. *pascitur*. 624) Resupinus, jacens humi. 625) C. 1, 8. *aspersa*. 627) Medic. *trepidi*. 629) Sui, s. suae calliditatis. 632) C. 1, 8. *eruptans et*. Al. *Immensum* respectu magnitudinis Polyphemi 634) Medic. *Nomina*. Wall. *una ordine*. Numina magna sunt sex mares et sex foeminae, sc. Juno, Neptunus, Pallas etc.; magni Dii vero sunt Penates urbinm. 635) Donat. *tenebramus*. 636) Latebat, s. clausus erat oculus somno 637) Wall *Phoebei*. Notat Arg. cl figuram rotundam et ingentem, qui totum militem tegebat, et splendorem sc. Solis. 638) Hamb II. *umbram*. Errare enim animae fingebantur, neque pervenire ad destinatum locum, nisi sumpta esset ultio caedis per vim illatae. 639) C. 6, 7. *ad litora* Franc. *funes*. 641) Attingit tria de Cyclope, primo eius. 642) Hamb. II. *prensat*. Montalb. *pressit*.

Centum alii curva haec habitant ad litora vulgo
Infandi Cyclopes, et altis montibus errant.
Tertia jam Lunae se cornua lumine complent,
Quum vitam in silvis, inter deserta ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremisco.
Victum infelicem, baccas lapidosaque corna,
Dant rami, et vulsis pascunt radicibus herbae.
Omnia collustrans, hanc primum ad litora classem
Conspexi venientem. Huic me, quaecunque fuisset,
Addixi; satis est gentem effugisse nefandam.
Vos animam hanc potius quocunque absumite leto.
Vix ea fatus erat, summo quum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum, et litora nota petentem;
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.
Trunca manu pinus regit, et vestigia firmat;
Lanigerae comitantur oves; ea sola voluptas,
Solamenque mali.
Postquam altos tetigit fluctus, et ad aequora venit,
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu; graditurque per aequor
Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, sic merito; tacitique incidere funem;
Verrimus et proni certantibus aequora remis.
Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit.

---

643) Vratis. *hic.* Hamb. I. *ad l. passim.* 644) C. 7. *Infandum errat.* Parrhas. *atque altis moenibus.* 645) C. 7. *lumina*, sed male. 647) C. 1, 8, 7, 6. *Cyclopes.* Menag. II. *domusque.* Oudart *vastaque.* 648) C. 7. *Aspicio*, in monte errantes. 649) C. 7. *bachas*, quae sunt exigui quilibet arborum foetus. Corni arboris rubicundi, intus officulo muniti durissimo. Lapidosa ab osse, quod in se habent. Victum infelicem s. tenuem. 652) Al. *Prospexi.* 653) Addixi me, tradidi, vendidi. 654) C. 7. *assumite.* 655) Al. *in monte.* 656) Hamb. I. *gerentem.* 657) C. 6. *Poliphoemum.* 658) Lumen ademtum, h. e. excaecatum. 659) C. 1, 6, 8. *manum.* Et firmum incessum praestat. 661) C. 1, 6. 7, 8 addunt: *de collo fistula pendet.* Rott. III. *malis.* 663) Menag. II. *effusi — ille.* Goth. II. *lavat inde.* sc. ex aqua marina. 664) Dentibus infrendens, est nota irati. 665) C. 6. *texit* Al. *fluctu — tingit*, vel *strinxit.* 666) Burm. duo *celare.* 667) C. 8. *tantique.* C. 6, 7. *incedere.* 668) C. 7. *Vertimus.*

Verum ubi nulla datur dextra affectare potestas,
Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo,
Clamorem immensum tollit, quo pontus et omnes
Intremuere undae, penitusque exterrita tellus
Italiae, curvisque immugiit Aetna cavernis.
At genus e silvis Cyclopum et montibus altis
Excitum ruit ad portus, et litora complent.
Cernimus adstantes nequidquam lumine torvo
Aetnaeos fratres, coelo capita alta ferentes,
Concilium horrendum: quales quum vertice celso
Aëriae quercus, aut coniferae cyparissi
Constiterunt, silva alta Jovis, lucusve Dianae.
Praecipites metus acer agit quocunque rudentes
Excutere, et ventis intendere vela secundis,
Contra jussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
Inter, utramque viam leti discrimine parvo,
Ni teneant cursus; certum est dare lintea retro.
Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori
Missus adest. Vivo praetervehor ostia saxo
Pantagiae, Megarosque sinus, Thapsumque jacentem.
Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Litora Achemenides, comes infelicis Ulixi.

---

670) C. 6. *dextram attrectare*. Al. *dextrum*, *dextram*, *dextrae*. Cum cupiditate apprehendere navem nostram. 671) Mare Jonium a Sicilia usque ad Graeciam appellatur. 672) Hamb. I. *horrendum*, et II. *ingentem*. Pier. *ponit*. 673) *Contremuere*, *Infremuere*. 674) Potis s. potest. 675) Ven. *Et genus*. Voſs. *Et gens*. Medic. *e montibus*. 676) C. 6, 7. *littora*, ut semper. Burm. duo *ad portas*. Al. *complet*. 677) C. 6, 7, 8. *nequicquam*. 678) Coelo s. ad coelum. 679) Men. II. et Goth. III. *Consilium*. Hugen. *vert. summo*. Concilium pro turba. 680) Goth. III. *Corniferae*. Fructus pini et cupressi coni dicuntur, quia rotundi in acumen abeunt. 681) C. 1, 6. *Constiterant*. C. 7. *Constiterint — lucusque*. Ven. *astiterant*. Silva s. quercus, lucus s. cupressus. 682) Vat. fr. *ruentis*. 684) C. 1. *movent* Al. *Scyllamque Charybdin*, *Scyllaeque Charybdis*. 685) Utraque via hic, pro Scylla scopulo, et Charybdi voragine sumitur. 686) Ni pro ne. 687) Boreas est ventus septentrionalis, quo a Peloro promontorio ad Pachynum navigantibus omnino opus est. 688) G. 7. *vino — saxa*. 689) Pantagias est parvus fluvius brevi cursu, infra Leontinos, cuius ostium praeruptis utrinque rupibus includitur. Sinus Megareus est hic a Tauro promontorio ad Tapsum peninsulam. 690) C. 7. *religens*. Parrh. *mandabat*. 691) C. 7. *Ulixis*. Priscian. *Vlyssi*.

Sicanio praetenta sinu jacet insula contra
Plemmyrium undosum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare: qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.
Jussi numina magna loci veneramur; et inde
Exsupero praepingue solum stagnantis Helori.
Hinc altas cautes projectaque saxa Pachyni
Radimus; et fatis nunquam concessa moveri
Apparet Camerina procul, campique Geloi,
Immanisque Gela fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Moenia, magnanimûm quondam generator equorum.
Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus;
Et vada dura lego saxis Lilybeïa caecis.
Hinc Drepani me portus et illaetabilis ora
Accipit. Hic, pelagi tot tempestatibus actus,
Heu genitorem, omnis curae casusque levamen,
Amitto Anchisen. Hic me, pater optime, fessum
Deseris, heu, tantis nequidquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, quum multa horrenda moneret,
Hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.

---

693) C. 1. *Plemmirtum.* C. 7. *Plemirum.* C. 8. *Plenirium.* Al. *Plemirium* Parrhas. *unde — dix.* Plemmyrium est promontorium ad aditum sinus et portus Syracusani. 694) Ed. Ven. *hic.* Ortygia est insula in mari Aegeo — Alpheus fluvius in Elide Peloponnesi regione. 695) Burm. duo: *quae nunc.* 696) Menag. I. *confundimur.* Pier. *perfunditur.* Arethusa est virgo venatrix, Dianae comes, ab Alpheo amata; hic fons in occid. Ortygiae insulae latere. 697) C. 6. *veneremur.* Sprot. *venerantur.* Admoniti Dianam, cui haec insula dicata, veneramur. 698) Helorus fluvius in litore orientali paulo supra Pachynum promontorium. 699) Menag. II. *Hic.* 700) Goth. II *Redimus* 701) Parrhas. *montesque G.* Al. *Geloni, Geloti.* Camarina est palus et oppidum, prio e viginti fontibus erumpit. 702) Gela est fluvius, et urbs Siciliae in parte meridionali, condita a Rhodiis. 703) C. 1. *Gragas.* Menag. III. *ostendit.* Agrigentum, nunc Gergenti, urbs olim in vertice rupis exstructa a Gelensibus. 705) C. 6, 7. *Selinis.* Al *Salinis.* 706) Lilyboeum est tertium Siciliae promontorium, ad occidentem, non longe ab urbe, quae vocatur Drepanum. 707) C. 1. *Trepani.* Moret II. *Dripani.* Goth. I. *illectabilis.* 708) C. 1, 6, 7, 8. *actis.* Voss. *actum*, sc. genitorem. Goth. I. *aptis* 709) Ven. *oneris.* 710) C. 7. *Anchisem.* Parrh. *Anchisam.* 711) C. 6, 7. *nequicquam.* Sprot. *er. ruinis.* 713) Burm. *nec dura.*

Hic labor extremus, longarum haec meta viarum.
Hinc me digressum vestris deus appulit oris.
Sic pater Aeneas, intentis omnibus, unus
Fata renarrabat divûm, cursusque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

---

714) *haec* deest Men. II. 715) Witt. *disgressum.* Gud. *vestrae — orae.* Parrhas. *applicat.* E Drepani portu in vicinam Italiam solvens tempestate ad litus Africae reiectus est. 716) Unus, sc. inter caeteros. 717) Pier. *Fataque narr.* Mor. II. *recensebat.* 718) Rott. II. *fatoque.* Sprot. *his.* Narrationis finem fecit.

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER QUARTUS.

At regina gravi jam dudum saucia cura
Vulnus alit venis, et caeco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos. Haerent infixi pectore vultus,
Verbaque; nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phoebea lustrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram,
Quum sic unanimam alloquitur male sana sororem:
Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes!
Quem sese ore ferens! quam forti pectore, et armis!

LIBER QUARTUS.

1) *At* respicit finem prioris libri. Cura s. amore incensa. 2) Hic videtur amor depingi caecus, sagittis et face armatus. Putabant ex venis ad cor amorem transfundi. 3) Pier. *recusat* vel *reversat*. 4) Amoris causae sunt virtus, nobilitas, pulchritudo, eloquentia. Difficile tyrannus amoris avellitur, ubi semel per oculos in cor influxit. 6) Lampade pro face. 7) Aurora pro die. 8) C. 1, 6, 7, 8. *unanimem*. C. 8. *Tunc*. C. 7. *mala fida*. Pier. *Tum*. 9) Med. et Goth. III. *suspenso*. Menag. I *suspensum me*. Al. *terret*. Ea, quae in somnis apparent, somnia, simulacra, terrent amantes. 10) Franc. *moenibus hosp*. 11) Al. *quem*. Goth. II. *fortis*.

Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.
Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille
Jactatus fatis! quae bella exhausta canebat!
Si mihi non animo fixum immotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare jugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit;
Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset:
Huic uni forsan potui succumbere culpae.
Anna, fatebor enim; miseri post fata Sychaei
Conjugis, et sparsos fraterna caede Penates,
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit. Agnosco veteris vestigia flammae.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam:
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo.
Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit; ille habeat secum, servetque sepulcro.
Sic effata sinum lacrimis implevit obortis.
Anna refert: O luce magis dilecta sorori
Solane perpetua moerens carpere juventa?
Nec dulces natos, Veneris nec praemia noris?
Id cinerem aut Manes credis curare sepultos?
Esto: aegram nulli quondam flexere mariti;
Non Libyae, non ante Tyro; despectus Iarbas,

---

12) Gud. *Crede.* 13) C. 7. *Degeneris.* 14) Oudart. et al. *bella exacta.* Goth. I. *tenebat.* 16) Al. *Nec.* 17) C. 1, 8. *decepta m. fef.*, pro morte mariti me fefellit. 18) Multi *fuissent.* Fr. Vat. *fuissem.* Taedae et faces nuptis praeferebantur. 19) Potui pro possem. 20) C. 6, 7. *Sichei.* C. 8. *fatebar.* Sichaeus fuit filius Philistenis, sacerdos Herculis, et maritus Dionis a Pigmaleone interfectus. 23) Menag. I. *En nosco — formae.* Agn. amoris signa. 24) C. 7. *dediscat.* Hamb. II. *Sed me.* Goth. II. *me ut.* Rott. II. *opto.* 25) C. 7. *ad undas.* 26) C. 6. *Pallentis.* 27) C. 7, 8. *violem — resolvam.* Jura pudoris, s. potestatem, qua a novo amore et a secundis nuptiis deterrita fuit. 28) C. 8. *meus.* C. 6. *me devinxit.* Sprot. et Hamb. *primos.* Leid. *primum.* Pier. *vinxit.* 29) C. 1. *abeat.* Sprot. *Sustulit.* Hamb II. *servatque.* 30) C. 1. *affata.* C. 1, 8. *abortis.* Montalb. et Ven. *sinus.* 32) Moerens perpetuo in solitudine consumere. 33) C. 6. *dulcis.* 35) Mariti pro procis. 36) Heins. *Libyes.* Burm. *dispectus.* Franc. *Hyarbas.* Tyro, a Tyro. Jarbas, Jovis et Garamantidis filius, fors totius Africani litoris rex.

Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello,
Et Numidae infreni cingunt, et inhospita Syrtis;
Hinc deserta siti regio, lateque furentes
Barcaei. Quid bella Tyro surgentia dicam,
Germanique minas?
Dìs equidem auspicibus reor et Junone secunda
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quam tu urbem, soror, hanc cernes! quae surgere regna
Conjugio tali! Teucrûm comitantibus armis,
Punica se quantis attollet gloria rebus!
Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis
Indulge hospitio, caussasque innecte morandi:
Dum pelago desaevit hiems et aquosus Orion,
Quassataeque rates, dum non tractabile coelum.

His dictis incensum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiae menti, solvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt; mactant lectas de more bidentes
Legiferae Cereri, Phoeboque, patrique Lyaeo;

---

37) Rott. II. *alios.* 38) Burm. et Pier. *placidone.* Mor. II. *oppugnabis.* 39) C. 7. abest hic vers. Parrh. et Goth. I. *non veni.* Al. *consideris.* 40) Multi *Getulae*, qui populi ad meridiem Carthaginis habitabant. 41) Hamb. II. *En N.* Vratisl. *inferni.* Numidae bellicosi ad occidentem Carthaginis, Syrtis ad orientem. 42) C. 7. *vagantes.* Hamb. I. *situ* pro siti, i. e. inhabitabilis raritate aquae. 43) C. 6. *Bachei.* C. 8. *Barchei*; al. *Barchaei*, a Barca, Cyrenaicae urbe, artis militaris peritissimi. 45) C. 7. *Diis.* Dorvill. *auspiciis.* Jun. sec., quae et Poenorum custos est, et nuptiarum praeses. 46) C. 6, 7. *Hunc.* 47) Hamb. I. *quantam urbem.* 49) Al. *attollit* quanta potentia! 50) Veniam vel reipsa, quia coniugii desiderium vocavit culpam v. 19, vel favorem. 51) C. 1. *causamque.* 52) Medic. *Orio.* Desaevit, vel valde saevit, vel saevire cessat. 53) C. 7. *Quassatasque.* Al. *et non.* Qui imbres et nimbos affert ortu suo. 54) C. 7. *flammavit.* 55) Gud. et Rom. *mentis.* 56) Pacem, benevolentiam. 57) Al. *mactat laetas* vel *lentas.* Ovis bidens est bima apta ad sacrificium. 58) Cereri, quae fruges et culturam agrorum invenit, adeoque jura et leges, quae de agrorum divisione natae sunt. Phoebus et Bacchus forsan Dii Carthagine culti erant.

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curae.
Ipsa, tenens dextra pateram, pulcherrima Dido,
Candentis vaccae media inter cornua fundit;
Aut ante ora deûm pingues spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis, pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.
Heu vatum ignarae mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant? Est mollis flamma medullas
Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens: qualis conjecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius. Illa fuga silvas saltusque peragrat
Dictaeos; haeret lateri letalis arundo.
Nunc media Aenean secum per moenia ducit,
Sidoniasque ostentat opes, urbemque paratam;
Incipit effari, mediaque in voce resistit.
Nunc eadem, labente die, convivia quaerit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos:
Sola domo moeret vacua, stratisque relictis
Incubat. Illum absens absentem auditque videtque,
Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,

---

59) Puget. *ante alios.* Goth. III. *legalia.* Vincla iugalia sunt coniugalia. 61) C. 7. *fudit.* *Candentis vaccae* alludit ad legem Numae. 62) C. 6. *Ut*, Gloss. *Aut.* C. 1, 6, 7. *pinguis.* Burm. 4. *Atqui.* Pinguibus victimis. 63) Instaurat, s. frequenter repetit. 64) Sprot. *spumantia.* Fr. Vat. *sperantia.* Consulit Dido exta super felici amoris successu. *Inhians* impatientiam exspectationis exprimit. 65) Rom. *ferentem.* Vates hic sunt extispices, qui fausta omina renuntiant. 66) Delubrorum aditus. *Est*, exedit, vorat. 69) Mentel. III *ferens.* 70) C. 1. *finxit.* Al. *Cressia*, s. Cretica, Candia. Hamb. II. *inter frondea.* 72) Nescius, s. non viderat telum 73) Al. *Dicteas*, *Dictaneos.* 75) Sidonias, s. Tyro advectas. 76) Zulich. *affari.* Menag. II. *in v. recessit.* 80) Mentel. II. *digressum* 81) Exitum noctis intellige. 82) Vacua s. silente. 83) Stratis lectis epularibus. 84) Gremio, accubantium mensae habitum animo reputa.

Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non coeptae assurgunt turres; non arma juventus
Exercet; portusve aut propugnacula bello
Tuta parant; pendent opera interrupta, minaeque
Murorum ingentes, aequataque machina coelo.
  Quam simul ac tali persensit peste teneri,
Cara Jovis conjunx, nec famam obstare furori,
Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis
Tuque puerque tuus; magnum et memorabile nomen,
Una dolo divûm si femina victa duorum est.
Nec me adeo fallit, veritam te moenia nostra,
Suspectas habuisse domos Carthaginis altae.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamina tanta?
Quin potius pacem aeternam pactosque Hymenaeos
Exercemus? habes, tota quod mente petisti;
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribusque regamus
Auspiciis; liceat Phrygio servire marito,
Dotalesque tuae Tyrios permittere dextrae.
  Olli (sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiae Libycas averteret oras)
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens

---

85) Goth. II. *si pellere.* Goth. III. *si vellere.* Franc. *posset.* Pier. *amantem.* 86) Puget. *arces.* 87) Al. *Exercent.* 88) Al *parat.* Medic. *parent.* Muri alti quasi altitudine sua minantes. 89) Machina aut reipsa, aut aedificium. 90) Gud. *in tali.* Reg. et Mentel. III. *a tali.* 91) Hugen. *furenti.* Hamb. I. et Ven. *pudori.* Famae studium. 92) Menag. II. *alloquitur.* 93) Ven. *alta ref.* spolia, pro victoria. 94) C. 8. *mirabile numen.* C. 6, 7. *nomen.* Hugen. *venerabile.* 95) C. 7. *vita.* Leid. *capta.* 96) C. 7. *nostram.* Hamb. et Zulich. I. *te numina nostra.* 98) C. 1, 6, 7, 8. *certamine tanto.* Parrh. *discrimine tanto.* Witt. Reg. *et quo.* 99) Servius dicit, Hymenaeum fuisse Magnetis filium, musicae artis peritum, pulchritudine muliebri: qui, cum nuptias Liberi patris, et Altheae religiosis cantibus celebraret, exspiravit; et inde factum, ut nomen eius perpetuo carmine iungendis nuptiis celebraretur. 102) C 6. *huc* 103) Lic. me ac Didonem exsuli s. m. Phryges habiti sunt mollissimi. 104) C. 1, 6. *Dotalisque.* Witt. *Dotales Tyriosque tuae.* Dos est patrimonium uxoris. 105) Vratisl. et Hugen. *s. voce.* 106) Pier. et Heins. *adverteret*, s, transferret ad Lybiam. 107) Hamb. II. *aggressa*, sc. orationem.

Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Jupiter unam
Esse velit Tyriis urbem Trojaque profectis,
Miscerive probet populos, aut foedera jungi.
Tu conjunx; tibi fas animum tentare precando,
Perge; sequar. Tum sic excepit regia Juno:
Mecum erit iste labor. Nunc qua ratione, quod instat,
Confieri possit, paucis, adverte, docebo.
Venatum Aeneas unaque miserrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem commixta grandine nimbum,
Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, et tonitru coelum omne ciebo.
Diffugient comites, et nocte tegentur opaca;
Speluncam Dido dux et Trojanus eandem
Devenient. Adero, et, tua si mihi certa voluntas,
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenaeus erit. Non adversata petenti
Annuit, atque dolis risit Cytherea repertis.
　　Oceanum interea surgens Aurora relinquit.
It portis jubare exorto delecta juventus;
Retia rara, plagae, lato venabula ferro,
Massylique ruunt equites, et odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi

---

108) Ven. *Abnegat.* 109) Burm. *fatum.* 110) Gud. *factis.* 112) C. 1. *foedere.* 113) Leid. *mollire prec.* 114) Witt. *Perge modo.* 115) Mihi, apud me. 116) C. 7, 8. *Quo fieri*; al. *Quid*, *Quod*, *An.* Confieri, confici. 118) Leid. *parent.* Rom. et Medic. *primus*; al. *primum.* 119) Titan est nomen Solis. 120) Zul. *ingentem.* Ven. *permixta.* 121) Witt. *silvasque.* Indago videtur esse ipsa ferarum inquisitio, s. series plagarum. 122) Gud. *movebo.* 123) Sprot. *Defugient.* Hugen. *Dum fugient.* 125) Sprot. *Deveniunt.* 127) C. 1. *adversare.* Hymenaeus est nuptiarum praeses. 128) Rep., excogitatis a Junone. 129) C. 6, 7, 8. *reliquit.* Hamb. I. *Occasum.* 130) C. 1. *Et p.* Hamb II. *iubare excito.* Jubare exorto primum diluculum notat. 131) Casses minus denso filo contexti; funes, quibus retia tenduntur; hastae breviores ferro latiore. 132) C. 7. *Massiliique* pro Afris. Canes robusti. 133) Goth. II. *in thalamo.* Montalb. *in limine.*

Poenorum exspectant; ostroque insignis et auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur, magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.
Cui pharetra ex auro; crines nodantur in aurum;
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
Nec non et Phrygii comites, et laetus Iulus,
Incedunt. Ipse ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium Aeneas, atque agmina jungit.
Qualis, ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque choros, mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi;
Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro;
Tela sonant humeris: haud illo segnior ibat
Aeneas; tantum egregio decus enitet ore.
Postquam altos ventum in montes, atque invia lustra:
Ecce ferae, saxi dejectae vertice, caprae
Decurrere jugis; alia de parte patentes
Transmittunt cursu campos atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, montesque relinquunt.
At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo; jamque hos cursu, jam praeterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
Interea magno misceri murmure coelum
Incipit. Insequitur commixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, et Trojana juventus,

---

134) C. 7. *exspectent.* 135) Zul. *Stant.* Hamb. II. *mordet.* 137) C. 7. *Sidonia p. clumide.* Moret. II. *in picto.* A Sidone, unde purpura celebris. 138) In aurum, s. aureo reticulo. 139) C. 6. *fibila.* 141 C 6. *omnis* 143) Ex Asia, ubi est Lycia, et Xanthus fluvius, in Delum insulam tendit. 144) C. 8 *atque Del.* Maternam, quia in ea Aegei maris insula Dianam et Apollinem Latona e Jove peperit. 145) Hugen. *Instruxitque.* Leid. *Instaurantque.* Apud veteres Apollo saltator erat. 146) Al. *Curetes Driopesque*, quos Parnassum incoluisse, Pausanias docet. 148) Menag. I. *Fronte* Moret. I. *cingens* Goth. II. *surgens aut.* Burm. exc. *fugiens.* 151) Parrh. *inv. saxa.* 152) Goth. III. *a vertice.* 153) Hugen. *de rupe.* 154) Zul. *Transmutant.* 157) Est equus, quem dono accepit a regina Ascanius, filius Aeneae, qui Anchisae et Veneris filius. 159) Sprot. *discedere.* 160) C. 1. *turbari.* 162) Hamb. I. *At T.*

Dardaniusque nepos Veneris, diversa per agros
Tecta metu petiere. Ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux et Trojanus eandem
Deveniunt. Prima et Tellus et pronuba Juno
Dant signum; fulsere ignes, et conscius aether
Connubiis; summoque ulularunt vertice Nymphae.
Ille dies primus leti primusque malorum
Caussa fuit. Neque enim specie famave movetur,
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem;
Conjugium vocat; hoc praetexit nomine culpam.
    Extemplo Libyae magnas it Fama per urbes;
Fama, malum quo non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo;
Parva metu primo; mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira irritata deorum,
Extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem, et pernicibus alis.
Monstrum horrendum, ingens; cui, quot sunt corpore plumae,
Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,
Tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat coeli medio terraeque, per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbes;

---

164) Moret. I. *Testa*, tecta s. loca, quibus tegimur. 166) Mala nuptiarum omina enarrat poeta. 167) Goth. I. *Dat*. Mos erat in nuptiis, ut sponsae ad sponsum eunti praeferrentur faces. 168) C. 1, 6, 7, 8. *Connubii*; al *Coniugii*, *Connubio*. 169) Al. *laborum*. 170) C. 8. *famaque*. Dorvill. *moratur*. Sprot. *moretur*. Nec deformitate sceleris sui, nec sermone absentium hominum movetur. 173) Aliquot *Libyes*. Gud. *magna sit*. 174) Al. multi *qua non*. Hamb. II. *violentius ullum*. 176) Al *Parva modi* vel *modo*. 178) Irata diis propter Titanas in Tartarum coniectos. 179) Parrh. *sorores*. Gigantum praecipuis, Terrae ac Titanis filiis 181) Rom. et Mentel. I. *quod*. Oudart. et Wall. *pectore*. 182) C. 7, 8. *subeunt*; al. *subsunt*. Hamb I. *Pervigiles*. Ed. Ven. *oculis subsunt*. Burm. *mir. visu*. 183) Menag. II. *ore*. Gud. *auras*. Tota est oculata, aurita et vocalis. 184) Goth. III. *in medio*. Pier. *per umbras*. 185) Plures *stridet*. Multi *limina*. Mor. I. *lumine*. Hamb. II. *coelo*. 186) Mentel. III. et Hugen. *summo*.

Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Haec tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens, et pariter facta atque infecta canebat:
Venisse Aenean, Trojano a sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur jungere Dido;
Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere
Regnorum immemores, turpique cupidine captos.
Haec passim dea foeda virûm diffundit in ora.
Protenus ad regem cursus detorquet Iarban,
Inceditque animum dictis, atque aggerat iras.
 Hic Hammone satus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Jovi centum latis immania regnis,
Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem,
Excubias divûm aeternas, pecudumque cruore
Pingue solum, et variis florentia limina sertis.
Isque amens animi, et rumore accensus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina divûm,
Multa Jovem manibus supplex orasse supinis:
Jupiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenaeum libat honorem,
Adspicis haec? An te, genitor, quum fulmina torques,
Nequidquam horremus? caecique in nubibus ignes
Terrificant animos, et inania murmura miscent?
Femina, quae nostris errans in finibus urbem
Exiguam pretio posuit, cui litus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Repulit, ac dominum Aenean in regna recepit.

---

188) Goth. I. *parvique*. 189) Al. *tunc, cum, dum*. 191) Aliis *a* deest. 193) Hiemale tempus luxui dare. 194) Regn. sc. Carthaginis et Italiae. Turpi s. inhonesto amore. 195) Pier. *diffudit*. 196) C 6, 7. *Protinus*. 198) Dorv. *Agaramantide* pro Libyca. Jupiter Ammon, Aegyptiis et Afris celebre oraculum ac templum habuit in Libya. 199) Montalb. *Jovis*. Multa templa variis in locis. 200) Plutarchus testatur, in Ammonis templo lucernam fuisse perpetuo ardentem. 201) C. 7. *cruorem*. Pier. *Excubiasque Deum*. Hugen *externas*. 206) C. 6, 7. *Juppiter*. Mauri partem Africae occidentalem obtinebant usque ad fretum Gaditanum. 207) C. 7. *thoris*. Leid. *choris*. Dorvill. *odorem* Post sacrificia solebant e victimarum extis epulari. Lenaeum s Bacchicum. 208) Franc. *Respicis h*. 209 C. 8. *nequicquam*. Dorv. *oremus*. 210) Dorvill. *immania m*. 212) Qui urbem aedificabant, prius aratro metiebantur spatium futurae urbis. 213) Locum sc. possidendum. 214 C 6, 7. *Reppulit*. Al. *at, et*. Parrh *Aeneam in sua r*. Dominus est vox blandimenti contumeliosa.

Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,
Maeonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur. Nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.
Talibus orantem dictis, arasque tenentem,
Audiit omnipotens, oculosque ad moenia torsit
Regia, et oblitos famae melioris amantes.
Tum sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis;
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Exspectat, fatisque datas non respicit urbes,
Alloquere, et celeres defer mea dicta per auras:
Non illum nobis genetrix pulcherrima talem
Promisit, Grajûmque ideo bis vindicat armis:
Sed fore, qui gravidam imperiis, belloque frementem
Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse sua molitur laude laborem:
Ascanione pater Romanas invidet arces?
Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur?
Nec prolem Ausoniam, et Lavinia respicit arva?
Naviget. Haec summa est; hic nostri nuntius esto.
Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio; et primum pedibus talaria nectit

---

215) Paris, sc. lascivus Aeneas. 216) Mitram gestabant Maeonii s. Phrygii. 217) Al. *Subnexus*, *raptu*, *raptum*, *rapta* s. stuprata. 218) Hamb. I. *movemus*. Famam, qua dicor filius tuus, rex Libyae, coniux Didonis futurus. 219) Aras tenentem, sc. ex ritu precantium. 220) Hamb. II. *ad deria*. 221) Leid. *ovantes*. 222) Mor. II. *cui tal*. 223) Franc. Z., *elabere*. Zephyros s. ventos — pennis s. alis. 225) Rott. I. *datis*. Al *perspicit*, *prospicit*, *aspicit*. Urbem sc. Romam. 226) C. 6. *celeris*. Hamb. II. *refer*. Ven. *mea iussa*. 227) C. 1, 7. *genitrix nobis*. 228) C. 1. *vendicat*. Venus Aeneam bis e Graecorum armis eripuerat. 229) C. 8. *furentem*. Imperio, quo Roma totum mundum complexura erat. 230) Multis deest *a*. 231) C. 7. *legem*. 232) Witt. *Quod si nulla movet*. 233) Multi *laborum*. Goth. III. *dolorem*. Si ipse labores non vult suscipere pro sua laude ac gloria. 234) Goth. III. *indicet*. Invidet s. privat eum fatali sede. 236) C. 6. *Lavina*. Goth. II. *Haec vr.* Hugen. *conspicit*. Sprot. *Lavinaque*. Ausoniam progeniem, cui fata imperium Italiae decreverunt. 237) C. 6, 7. *Navigat*. 238) Mor. II. *volebat*. 239) Hamb. I. *Imperiis primum*. Talaria sunt calceamenta Mercurii alata.

Aurea, quae sublimem alis, sive aequora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit; hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub Tartara tristia mittit;
Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat.
Illa fretus agit ventos, et turbida tranat
Nubila. Jamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, coelum qui verti e fulcit;
Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput, et vento pulsatur et imbri;
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento
Praecipitant senis, et glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit; hinc toto praeceps se corpore ad undas
Misit, avi similis, quae circum litora, circum
Piscosos scopulos, humilis volat aequora juxta.
Haud aliter terras inter coelumque volabat;
Litus arenosum Libyae ventosque secabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.
Ut primum alatis tetigit magalia plantis,
Aenean fundantem arces ac tecta novantem

---

241) C. 7. *portent.* Rott. III. *flumine.* Hamb. II. *fulmine.* 242) Men. I. *rapit.* Al. *ille vocat.* Virgam, quam dono vicissim accepit ab Apolline Mercurius, cum ei lyram dedisset. 243) C. 1, 6, 7, 8. *Pallentis.* 244) C. 8. *aduritque.* 245) Al. *transnat.* 247) C. 7. *fulsit.* Atlas mons Africae saxosus et maximus, nivoso semper cacumine. 248) Goth. III. et Ven. *Atlanti.* 249) *Pinniferum*, *Penniferum* Parrh. *et coelo p* Goth. *igni.* Dubium est, an Libyae iuga pinus alant. 250) Goth. I. *flamina.* 251) Gud *regit* Rott. III. *rigat.* Feruntur inde aliqua flumina ortum habere. *Senis* alludit ad aetatem, et ad nives. Barba, cuius est horror, asperatur glacie, cuius est rigor. 252) Atlas septem Pleiadum pater fuit. Harum una *Maia* Mercurium peperit ex Jove, in vertice Cyllenes, Arcadiae montis. Unde Atlas dicitur Mercurii avus maternus. G. 1, 138. 253) Burm *hic t.* Goth. I *tanto.* Ven. *pectore.* Ad mare mediterraneum, quod Carthaginem attingit. 254) Misit se similis illi avi, quae humilis volat iuxta ipsa aequora, ut inde rapinae aliquid obtineat. 255) Solent pisces amare cavitates rupium inter aquas, et eo se recipere. 257) C. 6, 7, 8. *ar. ac Lyb.* 258) In C. 6. hic. vers. priori antepositus est. 259) C. 8. *megalia.* Burm. *allatis — mapalia.* Magalia sunt casae pastorum Libyae, de quibus G. 1, 340. 260) Arces sumuntur pro urbe ut pro eius munimentis.

Conspicit; atque illi stellatus iaspide fulva
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice laena,
Demissa ex humeris: dives quae munera Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altae
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Exstruis? heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipse deûm tibi me claro demittit Olympo
Regnator, coelum et terras qui numine torquet;
Ipse haec ferre jubet celeres mandata per auras.
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem:
Ascanium surgentem, et spes heredis Iuli
Respice; cui regnum Italiae Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus
Mortales visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Aeneas adspectu obmutuit amens,
Arrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit.
Ardet abire fuga, dulcesque relinquere terras,
Attonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? quae prima exordia sumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Haec alternanti potior sententia visa est:

---

261) C. 1. *fulvo*. Capulus gladii cum vagina, gemmis, quasi stellis interpunctus. De iaspidis pretiosi lapilli coloribus dicit Plinius L. 37, 9. Nulla tamen fulva tota agnoscitur: sed aureo tantum distincta quasi pulvere. Fulvus autem color mixtus est ex rufo et viridi, qualis est in leonibus. 262) Laena est vestimentum duplex oblongum; ideo ardebat, quia infecta Tyrio murice. 264) Telas s. stamina. 265) Rott. III. *vadit*, sed ideo invadit, ut acerbitate verbi praesignificet habitum futurae orationis. 266) Uxorius, sc. ad Didonis arbitrium. 267) Zulich. *Construis*. 268) C. 6, 8. *dimittit*. 269) Torq. s. moderatur vi sua. 270) C. 6, 7, 8. *celeris*. 271) Gud. *Quis* Terra a terendo dicta est. 276) Rott. I. et Hugen. *Debetur*. Tali oratione. 277) Burm. *m. in serm.* 278) Hugen. *invanuit*. Ven. *umbram*. 279) Men. II. *obm. uno*. 280) Hamb. I. *Erectaeque*. 283) Rott. II. *agit*. Burm. tres *quonam*. ambire, adire. 284) C. 1, 8, 7, 6. *et quae*. Burm. exc. *affatum*.

Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Cloanthum,
Classem aptent taciti, socios ad litora cogant;
Arma parent, et, quae sit rebus caussa novandis,
Dissimulent. Sese interea, quando optima Dido
Nesciat, et tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, et quae mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes
Imperio laeti parent, ac jussa facessunt.
At regina dolos (quis fallere possit amantem!)
Praesensit, motusque excepit prima futuros;
Omnia tuta timens. Eadem impia Fama furenti
Detulit, armari classem, cursumque parari.
Saevit inops animi, totamque incensa per urbem
Bacchatur. Qualis commotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron.
Tandem his Aenean compellat vocibus ultro:
Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas? tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,
Crudelis? Quid? si non arva aliena domosque
Ignotas peteres, et Troja antiqua maneret:

---

288) C. 6, 7. *Serestum*. Mnesthea pro latino Mnestheum. 289) C. 1, 8, 7. *sociosque*. Goth. II. et III. *aptant—parant*. 290) C. 7. *rebus sit*. 291) Optima, sc. propitia ex ignoratione. 293) Mollissima, cum minimo eius dolore. 294) C. 6. *omnis*. Rebus agendis et consiliis accommodatus. 295) Franc. *facescunt*. 296) Ven. *dolo*. Burm. *posset*. 297) Pier *accepit*. 298) Goth. III. *fata*. Med. *furentis*. Hic est interna, et externa causa cognitionis celerrimae. 300) Adhibentur tres furoris notae, saevitia, incensio, bacchatio. 301) Bachatur, sc. Didonem comparat Bacchi comitibus foeminis, non solum propter furorem amoris, sed etiam quia haec est quaedam ebrietas. 302) C. 7, 8. *Thyas — triaterica*. Dorv. *stimulat*. Thias est ministra Bacchi, proprie sacrificula. Trieterica sunt festa Bacchi triennio quoque celebrari solita noctu. 303) C. 1. *nocturnoque*. Burm. *nocturnisque*. Gud. *nocturnosque*. Wall. *Cithero*. 306) Multi *discedere*. 309) Med. et Heins. *moliri*. Tempore hib., quo procellae celebriores esse solent. 310) Hamb. I. *In mediis*. Goth. II. *per austrum*. Affectu veri amoris incensi timent pericula eorum, quos amant. 311) Goth. II. *arma*. 312) Goth. III. *si Troia*.

Troja per undosum peteretur classibus aequor?
Mene fugis? Per ego has lacrimas dextramque tuam te,
(Quando aliud mihi jam miserae nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos Hymenaeos;
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum: miserere domus labentis, et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni
Odere; infensi Tyrii; te propter eundem
Exstinctus pudor, et, qua sola sidera adibam,
Fama prior. Cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater
Destruat, aut captam ducat Gaetulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam suboles; si quis mihi parvulus aula
Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret:
Non equidem omnino capta ac deserta viderer.
Dixerat. Ille Jovis monitis immota tenebat
Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quae plurima fando
Enumerare vales, nunquam, Regina, negabo
Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissae;
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge, fugam; nec conjugis unquam
Praetendi taedas, aut haec in foedera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam

---

315) C. 8. *Quin aliud.* C. 7. *relinqui.* 316) Burm. *inceptosque.* Obtestationes amantium saepe a re ipsa coniugali sumptae. 317) C. 6, 7. *quicquam.* 320) C. 1, 6, 7. *Numadumque.* C. 8. *gentem Numidumque.* Al. *Libvae.* 321) Hamb. I. *et te.* 323) Famam habui ante tuum adventum. 326) Mor. I. *Destruit.* 328) C. 7, 8. *soboles.* 329) C. 7. *Luderat.* 330) C. 7. *Non tamen.* C. 1, 7. *aut des.* Puget. *destructa.* Men. II. *videret.* Dido capta, et deserta sine Aenea fuit. 331) Goth. III. *invicta.* 332) Hamb. II. *tenebat.* 336) C. 8. *reget.* Wall. *Dum meminisse.* Al. *regat, regis.* 337) Multi *loquor.* Mor. I. *furtim.* 338) Burm. *nec finge, ne coni.* 339) Goth I *haud haec.* Taedae nubentibus praeferebantur. 340) Pierii unus *voluissent duc.* Ausp. s. arbitratu, voluntate.

Auspiciis, et sponte mea componere curas:
Urbem Trojanam primum dulcesque meorum
Reliquias colerem; Priami tecta alta manerent;
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,
Italiam Lyciae jussere capessere sortes.
Hic amor, haec patria est. Si te Carthaginis arces
Phoenissam, Libycaeque adspectus detinet urbis:
Quae tandem, Ausonia Teucros considere terra,
Invidia est? Et nos fas extera quaerere regna.
Me patris Anchisae, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis et turbida terret imago;
Me puer Ascanius, capitisque injuria cari,
Quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis.
Nunc etiam Interpres divûm, Jove missus ab ipso,
(Testor utrumque caput) celeres mandata per auras
Detulit. Ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere teque querelis;
Italiam non sponte sequor.

Talia dicentem jamdudum aversa tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, et sic accensa profatur:
Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens

---

341) Hamb II. *aut sponte meas.* Vratisl. *deponere*, sed potius res ordinare. 342) Cineres et ossa, adeoque loca et sepulcra, in quibus illa condita sunt. 343) Tecta sc. a me restituta. 344) Pier. *rediviva.* 345) Grynium in Aeolide, Asiae min. maritima regione, ad occidentem Lydiae. 346) C. 7. *capescere.* Sortes s. oracula, quae consulentibus modo prospera, modo adversa, prout sors s. fatum ferebat. Lycii Apollinis magna prae aliis simulacris religio fuit. 347) Ven. et Gud. *Carth. altae.* 348) Ob ortum e Phoenicia. 349) C. 7 *consistere.* Hugen. *Teucro.* 350) Quid vetat? 351) C. 1, 6, 7, 8. *quotiens.* C. 8. *Me p. A., q. astra ignea s. Nox op. t., q. hum. umbr.* 353) Turbida s. tristis. 356) Hugen. *Huc etiam — ab alto.* Mercurius est int. Div. 357) C. 8. *celeris.* Utrumque, s. meum ac tuum caput. 358) C. 8. sine *in.* 360) Incendere s. commovere. 362) C. 7, 8. *adversa*, sed male; torvis enim ac retortis oculis intuens. 364) Ipsa tacens. 365) Dardanus est auctor Troianorum.

Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo? aut quae me ad majora reservo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est?
Quae quibus anteferam? Jam jam nec maxima Juno,
Nec Saturnius haec oculis pater adspicit aequis.
Nusquam tuta fides. Ejectum litore, egentem
Excepi, et regni demens in parte locavi.
Amissam classem, socios a morte reduxi.
Heu Furiis incensa feror! Nunc augur Apollo,
Nunc Lyciae sortes, nunc et Jove missus ab ipso
Interpres divûm fert horrida jussa per auras.
Scilicet is Superis labor est; ea cura quietos
Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis; pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, et nomine Dido
Saepe vocaturum. Sequar atris ignibus absens;
Et, quum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero. Dabis, improbe, poenas,
Audiam; et haec Manes veniet mihi fama sub imos.
His medium dictis sermonem abrumpit, et auras
Aegra fugit, seque ex oculis avertit et aufert,

---

367) Goth. III. *Hyrcaniaeque*, olim Parthiae pars ad meridiem Caspii maris, regio pantheris ac tigribus infesta. Caucasus est mons altissimus inter Euxinum et Caspium. 368) Heins. *Nam quo dissimulo, aut quo me.* 369) C. 7. *Non fl. — non lum.* 370) C. 7. *Non l — haud m. amantem?* C. 8. caret etiam *est.* Burm. duo: *haud mis.*, alii duo *aut miseretur.* 371) C. 8. *Quae prius.* Burm. tres: *non*, et *neque m.* 372) Men I. *inspicit.* 373) C. 1. *Eiectam littore gentem.* Nec apud homines, nec apud deos tuta fides. 374) Pier. *suscepi.* 375) Classem, quae in summo periculo erat, reduci jussi. 376) C. 7. *ab illo.* Hugen. *auctor Ap.* 377) *et* abest a Franc.; Hamb. vero *ab alto* 378) Goth. II. *durum fert.* 380) Hamb. II. *Sollicitet.* 381) Plures *Insequere.* 382) Parrh. *in mediis.* Hamb. II. *possint.* Med. *poscunt.* 383) Wall. *nomina.* Burm. *numine.* Supl. haus., s. fluctibus submergendum, quibuscum mortem hauriat Dido. 384) Hamb. II. *sequor* Sprot. *a. i. ardens.* Instar furiae adhaerebit absentis et derelictae Didonis memoria. 385) Plures *subduxerit*, seiunxerit animam ab artubus. 387) C. 6. *Manis.* 388) Goth. III. *abrupit.* Sprot. *obrumpit.* Auras s. lucem.

Linquens multa metu cunctantem et multa parantem
Dicere. Suscipiunt famulae, collapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt.
At pius Aeneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit, et dictis avertere curas,
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore:
Jussa tamen divûm exsequitur, classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt, et litore celsas
Deducunt toto naves. Natat uncta carina;
Frondentesque ferunt remos, et robora silvis
Infabricata, fugae studio.
Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes,
Ac veluti ingentem formicae farris acervum
Quum populant, hiemis memores, tectoque reponunt:
It nigrum campis agmen, praedamque per herbas
Convectant calle angusta; pars grandia trudunt
Obnixae frumenta humeris; pars agmina cogunt,
Castigantque moras; opere omnis semita fervet.
Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus!
Quosve dabas gemitus, quum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus aequor!
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis!
Ire iterum in lacrimas, iterum tentare precando
Cogitur, et supplex animos submittere amori,
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.
Anna, vides toto properari litore; circum
Undique convenere; vocat jam carbasus auras;

---

390) C. 1, 6, 7. *volentem*. Wall. *sectantem*. Metu s. dubitatione. 393) Burm. tres *dolorem*. 394) C. 7. *advertere*. 396) C. 7. *sequitur*. 398) C. 6. *navis*. Vratisl. *tuto*. Pice perlitae naves, quarum trabs infima carina est. 399) Plures *ramos*, sed remos adhuc recentes ex arbore, cum hiems tunc deflectebat in ver. 402) C. 6, 7. *velut*. 404) Sprot. *Et*. Burm. *nigris campum*. Plures *per herbam*. 405) C. 6, 7. *angusto*. Witt. *Convectat*. Leid. *collo*, sed calle ex formicarum natura. Trudunt, quae portare non possunt. 406) Al. *Obnixe*. 407) Heins. *moras operae*, *om*. Accelerant, ac veluti increpant morantes. 408) C. 1, 6, 7, 8. *tum*; al. *dum*, *nunc*, vel *Quae tibi*. 409) Clamores in aequore misceri. 410) C. 7. *Aspiceres*. Wall. *vastumque v*. 411) Wall. *vastis clamoribus*. 412) Wall. *corpora c*. 414) C. 1, 8. *animum*. 415) Wall. *Nec quid*. 416) C. 6, 7. *littore*. 417) Carbasus est lini genus, quo et vela et vestes fiunt.

Puppibus et laeti nautae imposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero. Miserae hoc tamen unum
Exsequere, Anna, mihi. Solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;
Sola viri molles aditus et tempora noras.
I, soror, atque hostem supplex affare superbum:
Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem
Aulide juravi, classemve ad Pergama misi:
Nec patris Anchisae cinerem Manesve revelli.
Cur mea dicta negat duras demittere in aures?
Quo ruit? extremum hoc miserae det munus amanti;
Exspectet facilemque fugam, ventosque ferentes.
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro;
Nec pulchro ut Latio careat, regnumque relinquat:
Tempus inane peto, requiem spatiumque furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam; (miserere sororis;)
Quam mihi quum dederis, cumulatam morte remittam.
    Talibus orabat, talesque miserrima fletus
Fertque refertque soror. Sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit;
Fata obstant, placidasque viri deus obstruit aures.
Ac velut, annoso validam quum robore quercum
Alpini Boreae nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor; et alte

---

418) Wall. *posuere coronas*, in signum laetitiae. 419) Al. *spectare d.* 421) Goth. I *iam* 422) Parrh. *arcanas — mentes.* 423) Witt. *ut t.* C. 6. *mollis.* 425) C. 7. *excidere.* 427) C. 1. *cineres.* Grave crimen apud veteres, violare mortuorum sepulchra. 428) C. 6, 8. *dimittere.* Med. *neget.* Hamb. II. *admittere ad aures.* 429) Hamb. II. *Quo struit?* 430) C. 6. *ferentis.* Navigationem ex commoda tempestate. 431) C. 1. *connubium.* Rott *Non ego c.* 432) Burm. duo *aut Lat.* 433) Mentel. II. *furoris.* 434) Plurimi *dolore.* 435) Veniam, s. favorem, gratiam. 436) C. 6. *dederit.* Zul. *mihi tu d.* Heins. *cum dederit cumulata.* Al. *cumulatum m remissum* vel *relinquam.* Hunc favorem si mihi obtulerit, remittam illum, et mortem meam quasi cumulum votis ejus adjiciam. 437) Fletus, s. preces cum lacrymis. 439) C. 7. *illas.* C. 8. *haud.* Goth. III. *nullas.* Men. 1. *illas.* 440) Goth. II. *obruit.* 441) C. 7. *velut.* Annoso robore s. trunco. 442) Sprot. *huc hinc illuc.* Venti ex alpibus septentrionalibus provenientes. 443) Med. *altae.*

Consternunt terram concusso stipite frondes;
Ipsa haeret scopulis; et, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit:
Haud secus assiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno persentit pectore curas;
Mens immota manet; lacrimae volvuntur inanes.

Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat; taedet coeli convexa tueri.
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat,
Vidit, thuricremis quum dona imponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum.
Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri, nox quum terras obscura teneret;
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe queri, et longas in fletum ducere voces.
Multaque praeterea vatum praedicta piorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Aeneas; semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, et Tyrios deserta quaerere terra.

---

445) *Haeret scopulis* signat firmitatem arboris, quae adhuc in scopulis egit radices. 446) C. 7, 8. *Aethereas* C. 1. *ad Tart.* Ut vertice tendit ad coelum, ita radice ad tartara. 448) C. 1, 6, 7, 8. *praesensit*; al. *persensit*. *praesentit p. c*, sc. motus animi aestuantis. 449) Inanes, nihil profuturae lacrimae Didonis et Annae. 450) Malis suis mente deiecta. 451) Franc. *connexa*, sed coeli superficies est concava, nec convexa, nec connexa. Taedet etc. s. vivere. 452) Rott. III. *lumenque*. 454) Gud. *dicto*. Fr. Vat. *dictum*. Per latices lac et aqua intelliguntur, quae novo prodigio nigrescebant. 455) Zul. *vergere*. Obscoenum de re mali ominis. 456) Wall. *non ipsa*. Franc. *ipse*. Ven. *affata*. Mor. I. *fata*. 457) Templum, s. sacrarium, ubi statuam servabat Sichaei ornatam frondibus. 458) Fr. Vat. *misero quod*. Hamb. I. *multo quod*. 459) Hamb. I. *niveis*, vel *nigris*. 462) Bubo funebris deserta incolit inaccessa, noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed solum gemitu. 463) Goth. II. *fundere v.* 467) Solitudo abominanda est regibus, nisi hi poenitentiam sibi iniungunt.

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, et duplices se ostendere Thebas;
Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Quum fugit, ultricesque sedent in limine Dirae.
Ergo ubi concepit Furias evicta dolore,
Decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque
Exigit, et, moestam dictis aggressa sororem,
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat:
Inveni, germana, viam, (gratare sorori)
Quae mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.
Oceani finem juxta, solemque cadentem,
Ultimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum:
Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quae dabat, et sacros servabat in arbore ramos,
Spargens humida mella soporiferumque papaver.
Haec se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit; ast aliis duras immittere curas;
Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro;
Nocturnosque ciet Manes. Mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.
Testor, cara, deos, et te, germana, tuumque

---

469) Pentheus, Echionis filius, rex Thebarum in Boeotia. Eumenidum s. furiarum sunt modo tres. 470) Mor. I. *Per solem.* 471) C. 7. *in scenis* Plures *Agamemnoneis furiis ag.* Orestes, Agam. filius, propter occisam matrem Delphos adiit ad consulendum Apollinem. 473) C. 1. *Tum.* Parrh. *Cum videt.* Hamb. I. *Confugit.* Gud. *divae*; sed Furiae sedent in limine, ut egredientem corripiant. 476) Med. *ac m.* Gud. *fictis aggr.* 478) Grator, pro gratulor. 479) Pier. duo: *reddet — solvet*, vel *reddat — solvet.* Wall. *solvit.* Witt. et Men. II. *reddet — et absolvet.* Goth. III. *vel quae me s.* 480) Simulat Dido se parare sacrum magicum, quo aut Aeneas iterum amori illigetur, aut ipsa amore solvatur. 482) Aptum s. affixum. 483) Ed. Ven. *Hic.* 484) Hesperides fuerunt filiae Hesperi fratris Atlantis. 485) Men. II. *in sacros.* Rott. *et sacra*, sc. cum pomis aureis. 488) Goth. II. *Quis.* 489) C. 7. *aquas.* Hamb. II. *convertere sidera.* Sub persona mulieris magae poeta describit ipsius artis magicae vim et potestatem. 490) Multi *movet manes.* 491) C. 7. *terram, desc.* sine *et.*

Dulce caput, magicas invitam accingier artes.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige, et arma viri, thalamo quae fixa reliquit
Impius, exuviasque omnes, lectumque jugalem,
Quo perii, superimponas. Abolere nefandi
Cuncta viri monumenta juvat, monstratque sacerdos.
Haec effata silet. Pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna novis praetexere funera sacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet, quam morte Sychaei.
Ergo jussa parat.
At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, taedis atque ilice secta,
Intenditque locum sertis, et fronde coronat
Funera; super exuvias, ensemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant arae circum, et crines effusa sacerdos
Ter centum tonat ore deos, Erebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.
Sparserat et latices simulatos fontis Averni;

---

493) C. 7. *invictam*. Hamb. II. *accingere*, pro parari. Dulce caput pertinet ad amoris vim, quo sororem complectebatur. 494) Dorv. *Tu, Germana*. Pyram, struem lignorum ad comburenda cadavera. Tectum hic pro domo sumitur. 495) Leid. *in thalamo*. Arma pro ense, quem dederat Aeneas dono Didoni. 496) Sprot. *exuviis*, sc. spolia, vestes, ab *exuo*. 497) Franc. *superimpones*. Fr. Vat. *superimponant*. Pier. plures *superimpone*. Ed. Ven. *nefanda*. 498) C. 1, 6, 7, 8. *monimenta jubet*. Ven. *momenta*. Multi *iuvat*. 499) C. 8. *affata*. Pier. plur. *inficit ora*. Pallor ex conscientia meditatae mortis. 500) Zul. *Nec*. Hugen. *Haec t*. Med. *protexere*. Men. II. *munera*. Sed sacrum per simulationem instruere, eoque consilium mortis occultare. 503) Guelph. *iussa implet*. 505) Goth II. *tectis atque*. Taeda, arbor pinguis, e picearum genere, ex qua faces fiebant — ilex arbor glandifera, e quercuum genere. 506) Fronde funerea, verbena ex funestis arboribus, cupresso, taxo etc. 508) Ad amoris affectum, ad magica sacra adhibebantur effigies. 509) Sacerdos, sc. Massyla. 510) Hamb. I. *sonat*, sed invocat. *Ter* vel refertur ad centum Deos, vel ad tonat. Erebus est Deus inferorum, pater Noctis. Chaos vel antiquissimus Deorum est, unde caeteri propagati; vel prima omn. rerum moles. 511) Hekate, Jovis et Latonis filia, soror Apollinis, habet triplex nomen in coelo, terra et inferis. 512) Per lacum proprie, non per fontem, descensus esse dicitur ad inferos; hinc Averna.

Falcibus et messae ad Lunam quaeruntur aënis
Pubentes herbae, nigri cum lacte veneni;
Quaeritur et nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri praereptus amor.
Ipsa mola, manibusque piis, altaria juxta,
Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Testatur moritura deos, et conscia fati
Sidera; tum, si quod non aequo foedere amantes
Curae numen habet, justumque memorque precatur.
Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
Aequora: quum medio volvuntur sidera lapsu,
Quum tacet omnis ager; pecudes, pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti
Lenibant curas, et corda oblita laborum.
At non infelix animi Phoenissa, neque unquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit. Ingeminant curae, rursusque resurgens
Saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.
Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:
En, quid ago? rursusne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sim toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes atque ultima Teucrûm
Jussa sequar? quiane auxilio juvat ante levatos,

---

513) Ad Lunam, quia putabatur in herbas despumare, et inservire rebus magicis. Pubentes herbae, vel villosae et lanuginosae, vel grandiores et adultae. 514) Lac pro quolibet succo, infausti veneni. 516) Burm. *praeruptus*. Hugen. *perruptus*, vel *praeceptus*. 517) Ipsa Dido, non sacerdos, Deos attestatur. 518) Pier. aliq. *et veste*. Sagarum habitus commodior ad circumeundas aras, et ut pedes nudi apparerent. 520) Inaequali affectu et fide amantes; Dido erat multum, Aeneas leviter amans. 522) Men. II. *placidam — quietem*. Fessos homines. 523) Burm. tres *quierunt* cessante sub nocte vento. 524) Media nox significatur. 527) Sprot. *R. tacent*. 529) C. 1, 6, 7. 8. *nec*. Dorv. *Phoenixa, vel*. 530) Nox significat quietem noctis et somnum, qui amantibus amore negatur. 532) Mor. *magno curarum*. 534) Al. *agam*. Inrisa, s. ut inridear. 535) C. 1, 6, 7, 8. *Numadumque sequar*. 536) C. 1, 6, 7, 8. *totiens*. Al. *sum*. 537) Rott. II. *Il. iterum*. Vlt. T. iussa, infimi generis hominibus dari solita, sequar. 538) Pier. *exsilio*. An quia? Particula *ne* est solum ornamentum.

Aut bene apud memores veteris stat gratia facti?
Quis me autem, fac velle, sinet? ratibusve superbis
Invisam accipiet? nescis heu, perdita; necdum
Laomedonteae sentis perjuria gentis?
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantes?
An, Tyriis omnique manu stipata meorum,
Inferar? et, quos Sidonia vix urbe revelli,
Rursus agam pelago, et ventis dare vela jubebo?
Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.
Tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque objicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere, more ferae, tales nec tangere curas!
Non servata fides, cineri promissa Sychaeo!
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
    Aeneas celsa in puppi, jam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus jam rite paratis.
Huic se forma dei vultu redeuntis eodem
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est;
Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,
Et crines flavos, et membra decora juventae:
Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?
Nec, quae te circum stent deinde pericula, cernis?
Demens! nec Zephyros audis spirare secundos?
Illa dolos dirumque nefas in pectore versat,

---

539) Multi: *Et bene.* 540) Hamb. II. *sinat*, me sequi classem. 541) C. 6. *Inrisam.* 542) C. 7. *mentis.* Laomedontis periuria in Neptunum et Apollinem nota est, hinc Troiani ab ipso denominati sunt. 543) Hamb. I. *comitata.* 545) C. 7. *Inferor.* Al. *Insequar?* sc. ut cum Troianis in Italia considant. 546) Sprot. *in ventis.* 547) C. 7. *adverte.* Multi *abrumpe.* Solutis argumentis deliberat sibi moriendum, et quia meretur, et ut dolorem avertat. 549) Reg. *obiicit.* 550) Perstat in sui reprehensione, quod nuptias expetiverit non servata fide Sichaeo coniugi. 551) Solitariam et quasi feram vitam degere. 552) Med. *Sichaei* pro Sychaeio. 556) C. 1. *Dii.* Ven. *Hinc.* 557) C. 1. *rursus.* 558) C. 1. *colorem* sc. oris; Mercurius enim e pulcherrimis Diis fuit. 559) Plures *iuventa.* Crines flavi positi in pulchritudine etiam a viris. 560) Casu s. periculo. Principi militari singularis prudentia et consilium quasi Deorum inest. 561) Leid. *cernas.* 562) Zephyros, s. commodum quemlibet ventum. 563) Mentel. III. *Illa deos.* Men. II. *in pectora.* Pier. *sub pectora.*

Certa mori, varioque irarum fluctuat aestu.
Non fugis hinc praeceps, dum praecipitare potestas?
Jam mare turbari trabibus, saevasque videbis
Collucere faces, jam fervere litora flammis,
Si te his attigerit terris Aurora morantem.
Eja age, rumpe moras. Varium et mutabile semper
Femina. Sic fatus nocti se immiscuit atrae.

Tum vero Aeneas, subitis exterritus umbris,
Corripit e somno corpus, sociosque fatigat:
Praecipites vigilate, viri, et considite transtris;
Solvite vela citi. Deus, aethere missus ab alto,
Festinare fugam, tortosque incidere funes,
Ecce iterum stimulat. Sequimur te, sancte deorum,
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adsis o, placidusque juves, et sidera coelo
Dextra feras. Dixit; vaginaque eripit ensem
Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnes simul ardor habet; rapiuntque, ruuntque;
Litora deseruere; latet sub classibus aequor.
Adnixi torquent spumas, et caerula verrunt.

Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Regina e speculis, ut primum albescere lucem
Vidit, et aequatis classem procedere velis,
Litoraque, et vacuos sensit sine remige portus:
Terque quaterque manu pectus percussa decorum,

---

564) C. 6. *variosque — aestus.* 565) Burm. *Num.* Fr. Vat. *in praeceps.* 566) Trabibus, s. Carthaginensium navibus a Didone immittendis. 569) Plures *Heia.* Pier. *Ergo age.* 570) Gud. *fatis.* Leid. et Goth. III. *se miscuit.* 571) Men. II. *subitus.* 573) Transtris, scamnis nauticis, ubi remiges sedent. 575) C. 1. *inscidere.* Ven. *F. iubet.* 576) C. 1, 6, 7. *instimulat.* 578) Dorv. *coeli.* 580) Expendi hic duplicem circumstantiam celeritatis; ab ense, qui non eductus sed ereptus, a funibus, qui non soluti sed incisi. 582) Mentel. *Littore.* Aspectui subducitur mare per naves aequatis proris procedentes. 583) Remus ita agitur, ut videantur fluctus torqueri. 584) Sprot. *spargebant.* 585) Tithonus, Laomedontis Troiani regis filius, ob formam raptus ab Aurora. 586) C. 6, 7. *alb. solem.* Al. *cum*, vel *tum primam.* E speculis, locis editioribus, unde speculari procul poterat abeuntes.

Flaventesque abscissa comas, proh Jupiter! ibit
Hic, ait, et nostris illuserit advena regnis?
Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur,
Deripientque rates alii navalibus? Ite,
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos. —
Quid loquor? aut ubi sum? Quae mentem insania mutat?
Infelix Dido! nunc te facta impia tangunt?
Tum decuit, quum sceptra dabas. — En dextra fidesque!
Quem secum patrios ajunt portare Penates;
Quem subiisse humeris confectum aetate parentem! —
Non potui abreptum divellere corpus, et undis
Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium, patriisque epulandum ponere mensis? —
Verum anceps pugnae fuerat fortuna. — Fuisset.
Quem metui moritura? Faces in castra tulissem,
Implessemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuque harum interpres curarum et conscia Juno,
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes,
Et Dirae ultrices, et Dì morientis Elissae,
Accipite haec, meritumque malis advertite numen,
Et nostras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput ac terris adnare necesse est,

---

590) C. 7. *Juppiter.* Plures *abscisa* pro evellens. 591) C. 7. *abit.* Erf. Hamb. et Menag. *Hinc, ait.* 592) Montalb. *Nunc a.* Zul. *Nonne a.* Ed. Ven. *expediam* arma s. instrumenta navalia. 594) Plures *tela.* 595) Leid. *loquar?* Olim sceptra dabas Aeneae, nunc eius vitam petis. 596) Plures *num te fata.* 597) Fidesque, sc. eius. 598) Portare pro portasse. Non oblita est Dido sui decoris in medio irarum. 602) C. 7. *patrisque.* 604) Quid mihi metuendum fuisset, cum mori decreverim. Castra, sc. navalia. 605) C. 8. *parentem.* Foros, s. tabulatum, pro ipsis navibus. 606) Extinxissem. 607) Solem obtestatur vel quasi altorem vitae, vel ut suae mortis et alienae perfidiae testis esse velit — Junonem pronubam et consiliatricem interpretemque nuptiarum, propter quas moritur — Hecaten ut praesiden sacrorum magicorum, quorum simulatione moritur — Diras, ut infestae sint Aeneae — Deos denique vel tutelares urbis suae, vel mortis praesides, ut facilem sibi mortem praebeant. 610) C. 7. *Dii.* 613) Menag. 1. *Inf. corpus t.*

Et sic fata Jovis poscunt, hic terminus haeret:
At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, complexu avulsus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera; nec, quum se sub leges pacis iniquae
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur;
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Haec precor; hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
Exercete odiis, cinerique haec mittite nostro
Munera. Nullus amor populis, nec foedera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos,
Nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires.
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotesque.
Haec ait, et partes animum versabat in omnes,
Invisam quaerens quam primum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem affata Sychaei;
Namque suam patria antiqua cinis ater habebat:
Annam, cara mihi nutrix, huc siste sororem;
Dic corpus properet fluviali spargere lympha,
Et pecudes secum et monstrata piacula ducat;
Sic veniat; tuque ipsa pia tege tempora vitta.

---

615) Med. *Et bello.* 616) Hugen. *externis.* Aeneas profectus ex castris in Latio positis ad Evandrum relicto Ascanio, quem interea oppugnat Turnus. 619) Goth. II. *fruetur.* 620) Cadunt ante diem, qui immatura morte pereunt. Inhumatus, quia eius corpus nusquam inventum est. 622) Bella perpetua de imperio inter Romanos et Tyrios. 624) Non est dubium, quin respectum ad foedera Punica toties fracta. 625) Ultor, sc. Hannibal. 626) Hamb. II. *sequere.* 627) Parrh. *quaecunque.* 629) C. 1, 8. *nepotes.* Burm. duo. *Jam precor.* Hamb. I. *arma viris*, sed diversa armorum genera, quibus usi Romani et Poeni. Vult, ut odium adolescat in omnem posteritatem. 631) C. 8. *Barcem.* C. 1. *Sychei est.* 632) Al. *Cum*, *Hinc.* Barcen, urbis in Libya conditae meminit Herodotus L. IV. 633) Cinis ater, ad mortem signandam. 635) Ven. *aspergere.* Menag. II. *mergere.* De ablutione veterum, ante sacrificia, pura et fluviali in aqua. 636) Mentel. I *ducet.* Piacula, s. res ad expiandos Deos necessarias. 637) C. 8. *victa.* Sprot. *corpora.* Subintellige coronas capitibus sacrificantium adhibitas, ait Cerda.

Sacra Jovi Stygio, quae rite incepta paravi,
Perficere est animus, finemque imponere curis,
Dardaniique rogum capitis permittere flammae.
Sic ait. Illa gradum studio celerabat anili.
At trepida, et coeptis immanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementes
Interfusa genas, et pallida morte futura,
Interiora domus irrumpit limina, et altos
Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit
Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.
Hic, postquam Iliacas vestes notumque cubile
Conspexit, paullum lacrimis et mente morata,
Incubuitque toro, dixitque novissima verba:
Dulces exuviae, dum fata deusque sinebant,
Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.
Vixi, et, quem dederat cursum fortuna, peregi;
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Urbem praeclaram statui; mea moenia vidi;
Ulta virum, poenas inimico a fratre recepi;
Felix, heu nimium felix, si litora tantum
Nunquam Dardaniae tetigissent nostra carinae!
Dixit; et, os impressa toro, Moriemur inultae,
Sed moriamur, ait. Sic, sic juvat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, et nostrae secum ferat omina mortis.
Dixerat. Atque illam media inter talia ferro
Collapsam adspiciunt comites, ensemque cruore
Spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta

---

638) Pluto, Saturni filius, Jovis frater. 640) Rogum exstructum ad abolenda monumenta omnia exuviasque Aeneae Troiani, eiusque amorem extinguendum. 641) C. 6. *anilem.* 642) C. 8. *ac coep.* 643) Voss. II. *involvens.* 645) C. 7. *irrupit.* Al. *perrumpit*, *prorumbit*, *abrumpit.* 646) Ven. *moribunda.* Parrh *thoros.* 649) Goth. I. *lacrimas.* Sprot. *mente remota*, defixa in pristini amoris ac consuetudinis cogitatione. 651) C. 7. *sinebat.* Hamb. II. *si f.* Dulces exuviae, quo Didonis sensus amoris, gloriae et ultionis elucet. 652) C. 6, 7. *absolvite.* 654) Rott. III. *mea — imago*, s. umbra, manes. 656) Ulta, quia opes Pygmalioni fugiens eripuit. 659) Ore impresso, prae animi dolore in torum, cui incubat, immisso, haec eloquitur. 660) Burm. *moriemur.* 662) Leid. *et miserae.* Dardanus pro Dardanius. Sit illi ferale hoc spectaculum pro sinistro viae omine.

Atria; concussam bacchatur fama per urbem.
Lamentis gemituque et femineo ululatu
Tecta fremunt; resonat magnis plangoribus aether;
Non aliter, quam si immissis ruat hostibus omnis
Carthago aut antiqua Tyros, flammaeque furentes
Culmina perque hominum volvantur perque deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu,
Unguibus ora soror foedans, et pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant?
Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? Eadem me ad fata vocasses;
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.
His etiam struxi manibus, patriosque vocavi
Voce deos, sic te ut posita crudelis abessem?
Exstinxsti me teque, soror, populumque, patresque
Sidonios, urbemque tuam. Date vulnera lymphis;
Abluam, et, extremus si quis super halitus errat,
Ore legam. Sic fata gradus evaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.
Illa, graves oculos conata attollere, rursus
Deficit. Infixum stridit sub pectore vulnus.
Ter sese attollens cubitoque adnixa levavit;
Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quaesivit coelo lucem, ingemuitque reperta.
Tum Juno omnipotens, longum miserata dolorem.
Difficilesque obitus, Irim demisit Olympo,

---

666) Atrium proprie est area subdialis ante aedes. 668) C. 1. *clamoribus.* Fr. Vat. *tremunt*, lamenta fremunt in tectis. 671) C. 6, 7. *volvuntur.* Goth. II. *volventur.* Civium aedes priv., ac publ. deorum, incendio conreptae. 677) C. 7. *comitemque.* Hugen. *Quod.* 678) Hamb. II. *me fata vocassent.* 679) Oud. *ferret.* Pier. *fuisset.* 680) Goth. III. *exstruxi.* 681) Med. *positam.* 682) C. 6, 7, 8. *te meque.* C. 1, 8. *Exstinxi.* 683) Menag. I. *data.* 684) C. 1. *erret.* 685) Mos Romanorum vet., ut amici et cognati, admoto ad os morientis ore, extremum eius spiritum quasi excipere et haurire velle viderentur. 687) Menag. I. *furores.* 689) C. 7. *stridet*, sanguis ex vulnere erumpit. 690) C. 1. *levabat.* Al. *cubituque innixa* 691) Oculis caligine obscuratis. 692) Hamb. II. *Quaerebat.* Plures *repertam.* 694) C. 7. *Irin.* C. 8. *dimisit.* Franc. *dimittit.* Zul. *Difficilemque obitum.* Burm. *d. ab alto.*

Quae luctantem animam nexosque resolveret artus.
Nam, quia nec fato, merita nec morte, peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per coelum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso sole colores,
Devolat, et supra caput adstitit: Hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo.
Sic ait, et dextra crinem secat. Omnis et una
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

---

695) C. 1. *absolveret.* Franc. *dissolveret.* Sprot. et Wall. *resolverat.* Nexos artus, corporis cum anima nexum. 696) Triplex distinguit genus mortis, sc. fato, casu et merito. 698) Gud. *Necdum.* Credebant Graeci Romanique, mori neminem posse, nisi Proserpina morientis crinem abstulisset, quasi sacras sibi inferisque primitias. 700) C. 7. *rosyda.* Franc. *rosida.* Bigot. *ad roscida.* Med. et Gud. *pinnis.* 701) Multi *adversa luce.* 702) Bigot. *Advolat.* Hamb. II. *atque super* 704) Pier. Long. *cr. tulit.* 705) C. 1. *color.* Burm. duo *Delapsus.*

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER QUINTUS.

Interea medium Aeneas jam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros aquilone secabat,
Moenia respiciens, quae jam infelicis Elissae
Collucent flammis. Quae tantum accenderit ignem,
Caussa latet: duri magno sed amore dolores
Polluto, notumque, furens quid femina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus; maria undique, et undique coelum:
Olli caeruleus supra caput adstitit imber,

LIBER QUINTUS.

1) Medium iter, mare altum. 2) Vel certus eundi, vel gnarus itineris. Aquilone s vento. Aquilo iam his fluctibus depressis, iam his elevatis, reddebat mare atrum. Voſs. II. *Laetus iter.* 3) Elisae, s. Didonis. 4) C. 8. *accenderet*; Leid. un. *incenderit.* 5) C. 7. *dolorem*, Med. *doloris.* Mont. *diri.* 6) C. 1. *ferens.* C. 8. *posset.* Intelligatur hic versus de foeminarum audacia, et de his, quae consequuntur intemperantem et perniciosum earum amorem. 9) Guelpherb. un. *Apparet tellus.* 10) Plures: *Illi caer.* Ven. et Mont. *exstitit.*

Noctem hiememque ferens; et inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu! quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus
Colligere arma jubet, validisque incumbere remis;
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Aenea, non, si mihi Jupiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere coelo.
Mutati transversa fremunt, et vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aër.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, sequamur;
Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis, portusque Sicanos:
Si modo rite memor servata remetior astra.
Tum pius Aeneas: Equidem sic poscere ventos
Jamdudum, et frustra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. An sit mihi gratior ulla,
Quove magis fessas optem demittere naves,
Quam quae Dardanium tellus mihi servat Acesten,
Et patris Anchisae gremio complectitur ossa?
Haec ubi dicta, petunt portus, et vela secundi
Intendunt Zephyri; fertur cita gurgite classis;
Et tandem laeti notae advertuntur arenae.

At procul excelso miratus vertice montis
Adventum sociasque rates, occurrit Acestes,

---

11) Tempestatem cum nocte. Ment. I. *horruit.* 13) C. 1. *qui nam.* Pierii aliq. *quo nam*, al. *quidnam.* 15) Arma, vela. 16) C. 7. *et tal.* 17) C. 8. *nunc.* 19) Vespere, occidente. *Transversa*, neutrum graeco more. 21) C. 8. *tandem* pro contra. Pier. et Dorv. *obnixi.* Ab his rationibus statuit non posse iri obviam vento, ideo monet, ut fortunam sequantur, deflectant ad Siciliam, ubi est Eryx Aeneae frater. 22) Rott. I. *quo iam.* 23) Parrh. *Quaque.* Medic. *vacat* Parrh. *vertamur.* Goth. II. *vertemus.* 24) Eryx est mons in Sicilia sic dictus ab Eryce Veneris filio ab Hercule interempto, et ibi sepulto. 26) Moret I. *Cum.* 27) Mor. I. *credo te.* 28) Viam, cursum, navem. Bigot. *tibi.* 29) C. 1, 6, 8. *dimittere.* Al. *Quoque*, *Quare.* 30) C. 6. *Acestem*, qui, urbis Segestae conditor, cum Troianis inter Sicanos consederat. 35) C. 1. *Et.* Al. *ex* vel *e celso.*

Horridus, in jaculis et pelle Libystidis ursae;
Troïa Crimiso conceptum flumine mater
Quem genuit. Veterum non immemor ille parentum
Gratatur reduces, et gaza laetus agresti
Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.

Postera quum primo stellas Oriente fugarat
Clara dies, socios in coetum litore ab omni
Advocat Aeneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidae magni, genus alto a sanguine divûm,
Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo reliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra, moestasque sacravimus aras.
Jamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic dî voluistis), habebo.
Hunc ego Gaetulis agerem si Syrtibus exsul,
Argolicove mari deprensus, et urbe Mycenae:
Annua vota tamen solemnesque ordine pompas
Exsequerer, struerernque suis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis,
Haud equidem sine mente, reor, sine numine divûm
Adsumus, et portus delati intramus amicos.
Ergo agite, et laetum cuncti celebremus honorem;
Poscamus ventos; atque haec me sacra quot annis
Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.

---

37) Praepositio *in* adhibetur hoc modo ad significandum habitum venatorum. Lybicae ursae. 38) C. 6, 7. *Criniso.* C. 8. *Crinoso.* 39) Veterum parentum, quandoquidem a Troianis originem ducebat. Goth. I. *gemuit.* 40) Gaza agresti, s. penu rusticano. 41) C. 8. *amicos.* 44) Agger, aggestio est, vel lapidum vel terrae, in unum locum. Menag. *cumulique.* Witt. *ab aggere.* 45) C. 1. *ex sang.* C. 7. *ex anguine*, sed male. C. 6, 8. *alto sang.* sine *a.* Dardanidae, a Dardano Jovis filio orti. 48) C. 6. *terrae.* 49) C. 8. *nisi.* 51) Gaetuli versus occidentem Africae, et in meridiem habitarunt. Syrtes sunt loca vadosa, et noxia navigantibus. 52) C. 7. *Argolicoque*, sinus qui est pars Aegaei maris ad orientem Peloponnesi. Leid. un. *depressus.* 53) C. 6. *solemnisque.* Pompa ad funera pertinuit, et exsequiae mortuorum sunt. 54) Cumularem congruis altaria donis, quae erant lac, mel, vinum et sanguis. 56) Sine consilio ac voluntate Deorum. 57) Sprot. *dilati.* Goth. III. *aenos.* 58) Easdem inferias in honorem Anchisae parato animo celebrandas. 59) C. 8. *vestos.* C 1. *quotannos.* 60) Velit sc. pater. Al. *velint*, *velim.*

Bina boum vobis Troja generatus Acestes
Dat numero capita in naves; adhibete Penates
Et patrios epulis et quos colit hospes Acestes.
Praeterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit radiisque retexerit orbem,
Prima citae Teucris ponam certamina classis.
Quique pedum cursu valet, et qui, viribus audax,
Aut jaculo incedit melior levibusque sagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere cestu:
Cuncti adsint, meritaeque exspectent praemia palmae.
Ore favete omnes, et tempora cingite ramis.

Sic fatus, velat materna tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius; sequitur quos cetera pubes.
Ille e concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro;
Purpureosque jacit flores, ac talia fatur:
Salve, sancte parens, iterum; salvete recepti
Nequidquam cineres, animaeque umbraeque paternae.
Non licuit fines Italos, fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium, quicunque est, quaerere Thybrim.

---

61) Binos boves in naves singulas. 62) Moret. II. *adhibere*. 63) C 7. *quot*. Parrh. *Et pateras epulis*. Rott. II. *colet*. 64) C. 8 *alvum*. Parrh. *almam*. Moris fuit Romani, ut post novem a defuncto homine dies, novendialia sacra fierent. 66) Primo instituam certamen navale. In honorem mortuorum edi certamina notum est. 68) C. 1. *levibusve*. Wall. *excedit*. Gud. *incendit*. 69) C. 8. *Seu pugnam crudo figit*. 70) Gud. *adsunt*. Bigot. *multaeque* 71) C. 1, 7, 8. *cingite temp*. 72) C. 8. *cingit*. Myrto Veneri, Aeneae matri dicata. Parrh. *materno*. 73) Helymus, Troiae ortus, post huius excidium in Siciliam ab Aceste advectus fuit. 75) Burm. tres: *consilio*. 76) C. 8. *mediis* 77) C. 1. *carthesio*. Ex more veterum merum fundebatur in honorem defunctorum. 78) Sanguine sacro victimarum. Al. *fudit*. 79) C. 7. *at tal*. 80) Leid. un. *receptae*. Heroum mortuorum manes hac voce *salve*, quam Poeta intulit, salutari solitos Brissonius notavit. 81) C. 6, 7, 8. *Nequicquam*. Anima ab umbra discriminatur imitatione Lucretii Menag. *umbraeque penates*. 82) C. 1, 6, 7. *finis*. 83) C. 7 *Fibrim*. C. 6. *Non*. 84) Genios Etrusci et Romani per serpentes exhibuerunt.

Dixerat haec: adytis quum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras:
Caeruleae cui terga notae, maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille jacit varios adverso sole colores.
Obstupuit visu Aeneas. Ille agmine longo
Tandem inter pateras et laevia pocula serpens
Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, et depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus, Geniumne loci Famulumne parentis
Esse putet; caedit binas de more bidentes,
Totque sues, totidemque nigrantes terga juvencos;
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchisae magni Manesque Acheronte remissos.
Nec non et socii, quae cuique est copia, laeti
Dona ferunt, onerant aras, mactantque juvencos.
Ordine aëna locant alii, fusique per herbam
Subjiciunt veribus prunas, et viscera torrent.
  Exspectata dies aderat, nonamque serena
Auroram Phaëthontis equi jam luce vehebant;
Famaque finitimos et clari nomen Acestae
Excierat; laeto complerant litora coetu,
Visuri Aeneadas; pars et certare parati.
Munera principio ante oculos, circoque locantur

---

85) Amplexus, gyris ambiens. 88) C. 7. *Squama.* C. 8. *seu.* 90) C. 1, 6. *Obstipuit.* 91) Pocula nitentia ex aere. Burm. duo: *lenia.* 92) C. 8. *rursumque.* 93) Depasta altaria, non ab igne victimas consumente, sed ab ipso serpente, qui prima dona libaverat. 94) Instaurat, renovat incepta sacrificia. 95) Genii et custodes locis, urbibus, domibus attribui solent, ut hominibus. Famulum parentis dicit: nam heroibus sacer erat draco. 96) C. 6, 7. *quinas.* Vel. caedit per famulos more Pontificum Rom., vel oves de more biennes, aut ambidentes, quod sc. aptae essent ad sacrum, cum erant annorum duorum. 97) C. 6, 7, 8 *totidem.* 99) C. 1. *remisso.* C. 6. *Manisque.* C. 7. *Manis.* 100) Gud. et Hugen. *quaecunque est.* 101) C. 1, 7, 8. *onerantque.* 102) Ahena s. aerea vasa, vel ad elixandas carnes, vel ad lavanda corpora. 103) C. 7. *verubus.* 105) Phaethon hic est vel Solis filius, vel ipse Sol. 107) Ald. *Excierant.* Sprot. *laetoque implerant l. cursu.* Heins. tres *complerunt.* Medic. *complebant.* 108) C. 1. *parata.* 109) C. 7. *locatur.*

In medio: sacri tripodes, viridesque coronae,
Et palmae, pretium victoribus, armaque, et ostro
Perfusae vestes, argenti aurique talenta;
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor, ex omni delectae classe, carinae.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin;
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi;
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,
Urbis opus, triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi;
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna; Scyllaque Cloanthus
Caerulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.
Est procul in pelago saxum spumantia contra
Litora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera Cori;
Tranquillo silet, immotaque attollitur unda
Campus, et apricis statio gratissima mergis.
Hic viridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater: unde reverti
Scirent, et longos ubi circumflectere cursus.

---

110) Tripodes, quorum usus fuerat, vel futurus erat in sacris. 111) Vestes purpura tinctae. 112) Auri unum, et argenti alterum talentum. Gud. *talentum*. 114) C. 8. *rebus*. Gud. *paris*. Montalb. *Primaque pars*. 115) C. 1. *Quattuor*. Goth. *dilectae*. 116) C. 7. *Pristim*. Naves quatuor, aequales magnitudine ac robore, suis insignit nominibus, quae e pictis in puppi monstris repetit. Primae Pistris appicta erat, marina bellua, e balaenarum genere — secundae Chimaera, ignivomum ac triforme monstrum — tertiam ornabat Centauri pictura, ex equina et humana specie conflata — quartam Scyllae, marini in freto Siculo monstri, effigies. 119) Menag. 1. *quem*. Urbis instar opus. Triplici triremem significat navem. 120) C. 6, 7. *Impellit*. 121) C. 7. *Sergestesque*. Domus Sergia fuit Romae amplissima. Fortitudinem militarem pene incredibilem M. Sergii, cujus pronepos fuit Catilina, Plinius lib. 7. c. 28 mire extollit. 122) C. 7. *Collanthus*. C. 8. *vehitur*. 123) C. 7. *Cliente*. Al. *Cloanthi*, *Choanti*, *Chloanti*, *Cloenti* etc. 124) Wall. *Ast*. Ven. *Et*. 125) Olim, interdum, aliquando. Burm. tres *tonditur*. 126) Al. *hibenti*. Bigot. *nubila*. Corus ventus flat ab occasu aestivo. 127) C. 1, 8. *immotaque*. 128) Apr. merg., avibus aquaticis in locis Soli expositis. 129) Meta est extremitas, terminus, sive in agris, sive in circo. 131) Poeta signat morem illum, quo meta septies lustrabatur: nam circa metam septies quadrigae flectebantur.

Tum loca sorte legunt, ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori;
Cetera populea velatur fronde juventus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris, intentaque brachia remis;
Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque arrecta cupido.
Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis: ferit aethera clamor
Nauticus; adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convulsum remis rostrisque tridentibus aequor.
Non tam praecipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus;
Nec sic immissis aurigae undantia lora
Concussere jugis, pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virûm studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Litora; pulsati colles clamore resultant.
Effugit ante alios, primisque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas; quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis: sed pondere pinus
Tarda tenet. Post hos aequo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare priorem.
Et nunc Pristis habet, nunc victam praeterit ingens

---

132) Moret I. *Cum.* 133) Leid. *fulgent.* 135) C. 7. *olea*, ad membra roboranda. 136) Sunt transtra sedilia, aut tabulae, in quibus sedent remiges. Al. *iniectaque, immissaque, nudataque.* 137) Allusum in hac re a Poeta ad studium circi, in quo populus intentissimus erat ad signum, quod dabatur, cum e carceribus mittendi essent equi, ad quod tuba signum dabatur. 138) Al. *arrepta*; Hugen. *erecta.* 139) Moret. I. *Unde.* 142) C. 8. *Infundunt*; al. *Incendunt.* 143) C. 1, 7, 8. *rostris stridentibus.* 144) Certamine bigarum. 145) C. 1. postponitur hic vers. sequenti. Bigot. *a carcere.* 146) C. 1. *Non.* Juga, ligna transversa, quibus equi temoni currus alligabantur, hic pro ipsis iugalibus equis usurpantur. 148) His verbis alludit Poeta ad circi clamores et studia. Moret. I. *Cum p.* Mentel. II. *plausus.* Hugen. *gemituque.* 149) Inclusa pro inclusam. 151) C. 6. *primis.* C. 7, 8. *primusque*, primo statim egressu a litore. Menag. II. *alias.* 152) Dorv. *strepitumque.* 153) Parrh. *Insequitur.* 154) C. 7, 8. *Pistris*, et ita semper. Menag. I. *tardo disc.* 155) Superare, assequi altero superato. 156) C. 6, 7, 8. *abit.*

Centaurus; nunc una ambae junctisque feruntur
Frontibus, et longa sulcant vada salsa carina.
Jamque propinquabant scopulo, metamque tenebant,
Quum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menoeten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum.
Litus ama, et laevas stringat sine palmula cautes;
Altum alii teneant. Dixit. Sed caeca Menoetes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diversus abis? iterum; pete saxa, Menoete,
Cum clamore Gyas revocabat; et ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo, et propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyae scopulosque sonantes
Radit iter laevum interior, subitoque priorem
Praeterit, et metis tenet aequora tuta relictis.
Tum vero exarsit juveni dolor ossibus ingens;
Nec lacrimis caruere genae; segnemque Menoeten,
Oblitus decorisque sui sociûmque salutis,
In mare praecipitem puppi deturbat ab alta;
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister;
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.
At gravis, ut fundo vix tandem redditus imo est,
Jam senior, madidaque fluens in veste, Menoetes,

---

158) C. 8. *carinae.* 159) Metam, non ubi finirent cursum, sed circumflecterent. Med. *propinquabat — tenebat.* Rott. II. *metasque.* 160) Pier. *Tum.* 161) C. 6. *Moneten.* C. 7. *Meneten.* 162) C. 1. *d. cursum.* 163) C. 8. *laeva.* Jubet, ut navem admoveat propius litori, non Siciliae quidem, sed rupis et metae. Palmula est pars extrema remi planior, et in modum humanae palmae protensa. 164) C. 6. *Monetes.* 166) C. 1, 7. *Menetes.* C. 6. *Monete*, et ita semper. In quam diversam partem abis? iterum sc. revocabat. 167) Hic Cloanthus eripit, et occupat Gyae victoriam. Montalb. *renovabat.* 168) C. 8. *propriora.* Gud. *a tergo.* Menag. I. et Dorv. *terga.* 170) Iter a laeva parte versus scopulum. 171) Praeterit Gyam priorem, et aequora tuta tenet a periculo saxorum. 172) De dolore vides hic Gyam concitatum in omnem intemperantiam. Menag. II. *iuvenis.* 174) Decoris sui, quia indignum est principem virum ab alio poenam suis manibus exigere. Salus sociorum amisso gubernatore navis periclitabatur. Bigot. *Oblitusque sui decoris.* 176) Gubernaculum erat remus ad puppim relegatus, quo cursum navis gubernator moderabatur. 177) Clavumque, pars in summo gubernaculo transversa, instar capuli, qua gubernaculum regitur. 178) Hamb. II. *infando.* Moret. I. *reddit ab imo.* 179) Veste fluente aqua.

Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit.
Illum et labentem Teucri et risere natantem;
Et salsos rident revomentem pectore fluctus.
Hic laeta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto Mnestheique, Gyan superare morantem.
Sergestus capit ante locum, scopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille prior praeeunte carina;
Parte prior; partim rostro premit aemula Pristis.
At media socios incedens nave per ipsos
Hortatur Mnestheus: nunc, nunc insurgite remis.
Hectorei socii, Trojae quos sorte suprema
Delegi comites; nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi,
Ionioque mari, Maleaeque sequacibus undis.
Non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo;
Quamquam o! sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti.
Extremos pudeat rediisse. Hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine summo
Procumbunt; vastis tremit ictibus aerea puppis,
Subtrahiturque solum. Tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit; sudor fluit undique rivis.
Attulit ipse viris optatum casus honorem.

---

180) Rom. *scopulis*. Burm. duo *summaque in r.* 183) Extremis duobus, sc. Sergestus Centauro, magna vi, Mnestheus veloci Pristi invectus. 184) C. 6, 7. *Mnestheoque*. C. 1. *Mnestoque*. 185) Men. I. *scopulosque p.* Mor. II. *scopulumque*. 186) Carina est ima trabs, navis totius fabricam fulciens, et instar spinae a prora ad puppim decurrens. Gud. *prius*. Burm. duo *pereunte*. Sprot. *caterva*. 187) C. 6. *partem*. C. 7. *Pistris*. 189) Al. *incumbite*. 190) Socii navales heroicis temporibus remiges sunt et milites; Hectorei s. Troiani. Excidio Troiae s. sorte. 191) Hugen. *Dilegi*. Parrh. *vestras pr.* 192) Zul. *animas*. 193) Malea promontorium est Peloponnesi, sinum inter Argolicum et Laconicum, nunc Capo Malio di S. Angelo, procellis infestum; unde sequaces eius dicuntur undae, quasi nautas insequerentur. 194) Al. *Non tam*. 195) C. 8. *sed vincant*. Quanquam o! utinam vincerem! Hamb. II. *si superant*. 196) Rediisse pro esse. Hamb. II. *Extremas*. 197) Nefas s. opprobrium. Mont. *cert. primo*. 198) Medic. *aurea*. Bigot. *classis*. 199) Substrata maris aqua, non secari, sed quasi per vim subtrahi videtur retro, tanto impetu navis porro impellitur. Solum enim est, quidquid alteri substernitur. 200) Fauces quatit. Leid. un. *ossa*. Dorv. *ruit v. membris*. 201) Wall. *optatus*.

Namque furens animi, dum proram ad saxa suburguet
Interior, spatioque subit Sergestus iniquo,
Infelix saxis in procurrentibus haesit.
Concussae cautes, et acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.
Consurgunt nautae, et magno clamore morantur,
Ferratasque trudes et acuta cuspide contos
Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos.
At laetus Mnestheus, successuque acrior ipso,
Agmine remorum celeri, ventisque vocatis,
Prona petit maria, et pelago decurrit aperto.
Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem; mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas:
Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis
Aequora; sic illam fert impetus ipse volantem.
Et primum in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum brevibusque vadis, frustraque vocantem
Auxilia, et fractis discentem currere remis.
Inde Gyan ipsamque ingenti mole Chimaeram
Consequitur; cedit, quoniam spoliata magistro est.
Solus jamque ipso superest in fine Cloanthus:
Quem petit, et summis adnixus viribus urguet.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem

---

202) C. 8. *prora..* C. 1. *perurget.* C. 6, 7. *suburget.* 203) Interior, inter Mnestheum et metam, flexum breviorem et sinistrum captans. 204) Al. *procumbentibus.* 205) C. 6. *in vertice.* C. 1, 7. *ac mur.*, sine *in*. sc. saxo acuto, aspero ac prominente. 207) Morantur, dum navem retro agunt. 208) Sudes — contos, perticas, quae Tacito trudes appellantur, a trudendo. 210) Medic. *Et.* Hamb. II. *Aut.* Goth. II. et Leid. *illo.* 211) Totis remis expansisque velis. 212) Maria sine ullo obstaculo. 214) Pumex est lapis levis, spongiosus, ad scabra leviganda aptissimus. 216) Pier. *Dat tergo.* 217) Radit, secat. 218) Ultimam assignati maris partem, ultra metam. 219) Montalb. *volentem* Sprot. *ire volentem.* 220) Al. *At* vel *Ac.* 221) Brevibus vadis, propius ad scopulum. 222) Discentem, conantem. Bigot. *Auxilium.* Gud. *incurrere.* 225) In fine, reditu a meta ad portum. 226) C. 1, 6, 7, 8. *urget.* Hamb. II. *petat.* 227) Sequentem, Mnestheum, qui insequitur Cloanthum. Goth. III. *cunctisque.*

Instigant studiis, resonatque fragoribus aether.
Hi proprium decus et partum, indignantur, honorem
Ni teneant; vitamque volunt pro laude pacisci.
Hos successus alit; possunt, quia posse videntur.
Et fors aequatis cepissent praemia rostris,
Ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus
Fudissetque preces, divosque in vota vocasset:
Dî, quibus imperium est pelagi, quorum aequora curro,
Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras, voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus, et vina liquentia fundam.
Dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereïdum Phorcique chorus; Panopeaque virgo
Et pater ipse manu magna Portunus euntem
Impulit. Illa noto citius volucrique sagitta,
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.
Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna praeconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro;
Muneraque in naves ternos optare juvencos,
Vinaque, et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipsis praecipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum

---

228) Al. *clamoribus*. 231) Hamb. I. *agit*. Hamb. II. *quae*. Med. *videtur*. C. 1. *quod posse*. 234) Vocare s. invocare. Rott. *Effunditque p*. 235) C. 7, 1. sine *est*. C. 6, 7. *aequore*. Facit hic Cloanthus sacrum Diis maris, quod his verbis promittit: taurum constituam in litore, exta in fluctus porriciam, fundam vina. 238) Al. *liquantia*. 239) Sprot. *in fl*. 240) Phorcus, marinum numen, Ponti ac Terrae filius, filias habuit Gorgonas tres; chorus eius marina alia numina. Nereides, Nymphae maris, Nerei et Doridis eius sororis filiae, quarum una Panopea. 241) C. 1. *Neptunus euntem*. Portunus est inter Deos nautarum, praeses portuum, Neptunus. 244) Ex more ludorum gymnicorum. Bigot. *At sat*. Menag. II. *Anchise*. Wall. *et cunctis*. 245) Praeco voce populum ad ludum praeciebat juxta morem Olympicorum. 247) C. 1, 6, 7, 8. *aptare*. Voluit, ut remiges quoque et navarchi, qui una insudaverant, participes essent laetitiae. Dat aptare, est graecismus, pro, dat ut aptentur. 248) Talentum hic vel pro quolibet auri argentique pondere, vel pro talento Siculo sumendum est. 249) C. 8. *victoribus* Sprot. *auctoribus*. 250) Chlamys indumentum fuit non imperatorum solum, sed etiam militare. Plurima purpura significat genus tincturae bis, aut ter repetitae.

Purpura Maeandro duplici Meliboea cucurrit;
Intextusque puer frondosa regius Ida
Veloces jaculo cervos cursuque fatigat
Acer, anhelanti similis, quem praepes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.
Longaevi palmas nequidquam ad sidera tendunt
Custodes; saevitque canum latratus in auras.
At, qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Laevibus huic hamis consertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto,
Donat habere viro, decus et tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem, connixi humeris; indutus at olim
Demoleos cursu palantes Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex aere lebetas,
Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis.
Jamque adeo donati omnes, opibusque superbi,
Puniceis ibant evincti tempora taeniis:
Quum saevo e scopulo multa vix arte revulsus,
Amissis remis, atque ordine debilis uno,
Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens,
Aerea quem obliquum rota transiit aut gravis ictu

---

251) Meliboea urbs ad radices montis Ossae, purpurei ostrei piscatu ac tinctura celebris. Maeander fluvius Asiae minoris maximus, e Phrygia maiore nascens. Hugen. *Melibeia currit.* 252) Elegantiae fuit veterum vestibus, tapetibusque, et aliis huiusmodi figuras hominum, et animalium intertexere. 253) Witt. *Veloci.* Hamb. II. *iugulo.* 256) C. 6, 7. *nequiquam.* Al *sid. tollunt.* 257) Burm. duo *ad auras* 259) Franc. *hinc.* 260) Demoleus, Graecorum dux aliquis ab Aenea occisus, apud Homerum Antenoris filius. Lorica pro praemio etiam in ludis Achillis occurrit. Gud. *detraxerit.* 261) Simois fluvius Troiadis. Heins. tres *alta.* Parrh. *sub Ilion altum.* 263) Hamb. II. *Mox illam.* 265) C. 7. *palentes.* Goth. II. *pallentes.* 266) C. 1, 7, 8. *lebetes,* qui olim dati sunt in praemium viris fortibus. 267) Vasa sunt in formam cymbae nauticae, caelata variis imaginibus, quae tractanti manui asperitatem inducant. 269) C. 6, 7. *tenis.* C. 8. *taenis*, rubicundis vittis laneis. Hamb. I. *et vincti* Gud. *evictis.* Goth *tenis* 270) C. 8. sine *e.* 273) C. 6. *depressus.* Agger, viae publicae pars media, eminentior et lapidibus strata, ut pluviae defluant. 274) Al. *Aenea.*

Seminecem liquit saxo lacerumque viator,
Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus;
Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla
Arduus attollens; pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.
Tali remigio navis se tarda movebat;
Vela facit tamen, et velis subit ostia plenis.
Sergestum Aeneas promisso munere donat,
Servatam ob navem laetus sociosque reductos.
Olli serva datur, operum haud ignara Minervae,
Cressa genus, Pholoë, geminique sub ubere nati.

Hoc pius Aeneas misso certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant silvae; mediaque in valle theatri
Circus erat, quo se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit, exstructoque resedit.
Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis animos, et praemia ponit.
Undique conveniunt Teucri, mixtique Sicani,
Nisus et Euryalus primi.
Euryalus forma insignis viridique juventa;
Nisus amore pio pueri; quos deinde secutus
Regius egregia Priami de stirpe Diores;
Hunc Salius, simul et Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeaeae sanguine gentis;
Tum duo Trinacrii juvenes, Helymus Panopesque,

---

275) C. 7. *Seminicem.* Mor. I. *saxi.* Burm. *linquit.* 276) C. 7. *Nequicquam.* C. 6. *Nequiquam.* Goth. III. *pectore.* Oudart. *tractus.* 278) C. 8. *retardat.* Jucunda est metaphora, qua serpentem claudum vocat, cui non sunt pedes. Rom. *Arduos.* Ven. *v. tarda r.* Gud. *vulnera clausa.* 279) Nectentem se in nodos et replicantem se in orbes. 280) Franc. *sic tarda.* Gud. *ferebat.* 281) Ostia s. portus. 283) C. 1. *navim.* 284) Minerva praecipue lanificio ac texturae praeesse dicitur. 285) C. 1, 8. *Pholeae.* C. 8. *ubera.* 286) Certamine finito. 289) Circus h. l. pro stadio. 290) C. 6. *in medio.* 291) Moret. I. *Huc.* Ed. Ven. *velit.* 292) Pretia pro dignitate praemiorum. Praemia s. munera ipsa. Goth. I. *ponunt.* 293) Leid. *concurrunt.* 296 Gud. *quem.* Omnis amor et amicitia pietatem innuit, ut pueritia teneram aetatem. 297) Goth. I. *Driones.* 298) C. 6. *Acarna*, ex Acarnania, Epyri parte. Goth. III. *Acharnem.* 299) C. 1, 6, 8. *Tegeae de.* C. 1. *Arcadiae.* Tegea, urbs Arcadiae, novem pagis constat.

Assueti silvis, comites senioris Acestae;
Multi praeterea, quos fama obscura recondit.
Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus:
Accipite haec animis, laetasque advertite mentes.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnossia bina dabo laevato lucida ferro
Spicula, caelatamque argento ferre bipennem.
Omnibus hic erit unus honos. Tres praemia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva.
Primus equum phaleris insignem victor habeto;
Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis
Threïciis, lato quam circumplectitur auro
Balteus, et tereti subnectit fibula gemma.
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Haec ubi dicta, locum capiunt, signoque repente
Corripiunt spatia audito; limenque relinquunt,
Effusi nimbo similes, simul ultima signant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis
Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
Insequitur Salius; spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus;
Euryalumque Helymus sequitur; quo deinde sub ipso
Ecce volat calcemque terit jam calce Diores,
Incumbens humero; spatia et si plura supersint,

---

306) C. 7. *laevata.* Gnosus urbs Cretae insulae. Spiculum fuit missile telum, pedum quinque triangulo ferro. 307) C. 1, 8. *caelatamque.* Bipennem, sc. argenteo manubrio ornato. 308) Ven. *is erit.* 309) Flava oliva, quia folii pars posterior subpallida est, nectentur ad caput. Hamb. II. *Accipiunt.* 310) Phalerae sunt equorum ornamenta, praesertim in capite. Medic. *equam.* 311) Qualem pharetram ferebant Amazones, quas in Thracia proprie dicta aliqui veterum collocabant. 312) C. 6, 7. *circum amplectitur.* C. 8. *Thraiciis.* Ex more veterum baltheus militaris auro ornatus fuit. 313) Tereti, quae rotunda et in longum porrecta est. 314) C. 1. sine *hac.* C. 7. *contemptus.* Vel Argolica figura, vel quam Argivo alicui eripuerat. 315) Burm. duo *loc. accipiunt.* 316) Limen, s. lineam aliquam descriptam in campo. 317) Oculis animoque designant metam. Medic. *Et fusi.* Hamb. II. *nimbi.* 319) C. 7. *fluminis.* 320) Wall. *huic longe, sed.* 321) C. 1. *inde.* 323) C. 1. *Euryalum sequitur Helymus.* Parrh. *quem.* Med. *quod.* Goth. III. *qui.*

Transeat elapsus prior, ambiguumve relinquat.
Jamque fere spatio extremo, fessique, sub ipsam
Finem adventabant; laevi quum sanguine Nisus
Labitur infelix; caesis ut forte juvencis
Fusus humum viridesque super madefecerat herbas.
Hic juvenis jam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo; sed pronus in ipso
Concidit immundoque fimo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum;
Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens.
Ille autem spissa jacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, et munere victor amici
Prima tenet, plausuque volat fremituque secundo.
Post Helymus subit, et nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveae consessum ingentis et ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrimaeque decorae,
Gratior et pulchro veniens in corpore virtus.
Adjuvat, et magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmae, frustraque ad praemia venit
Ultima, si primi Salio redduntur honores.
Tum pater Aeneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri; et palmam movet ordine nemo:
Me liceat casus miserari insontis amici.
Sic fatus, tergum Gaetuli immane leonis

---

326) C 7. *ambiguumque*, de quo ambigerent alii, utrum victoriam obtenturus esset. Zulich. *relinquit.* 327) C. 8. *ipsa.* Spatio extremo, s. extrema stadii parte. 328) Finem, pro meta. Levi sanguine, pro solo levi propter sanguinem. 329) Caesis juvencis, ad sacrificia Anchisae persolvenda. 330) Pierii duo *humi.* 332) Titubata, pro pedibus titubantibus. 335) Serv. *Et sese.* Parrh. *obiecit.* 336) Ven. *resolutus.* Voſs. II. *resupinus.* 337) Men. II. *munera.* Med. *amico.* 339) C. 6. *tunc.* Palma hic non pro victoria, sed pro ipso victore sumitur. 340) Cavea vel pro parte circi, vel pro populo spectante sumitur. Multi *consensum* vel *concessum.* 341) Ora prima patrum, sc. seniores ac iudices, quorum in conspectu atque ante ora vociferatur. 344) C. 1. *pectore.* Veniens pro existens. 345) Adjuvat Euryalum einsque caussam. 347) C. 7. *reddantur.* 348) Moret. *Cum.* 349) Wall. *Certa movent.* Rott. III. *vovet.* 350) Al. *licet.* Goth. *Mi.* 351) Gaetuliae, pars Africae, leonibusque ferisque aliis infesta.

Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.
Hic Nisus, Si tanta, inquit, sunt praemia victis,
Et te lapsorum miseret: quae munera Niso
Digna dabis? primam merui qui laude coronam;
Ni me, quae et Salium, fortuna inimica tulisset.
Et simul his dictis faciem ostentabat, et udo
Turpia membra fimo. Risit pater optimus olli,
Et clipeum efferri jussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
Hoc juvenem egregium praestanti munere donat.
    Post, ubi confecti cursus, et dona peregit:
Nunc, si cui virtus animusque in pectore praesens,
Adsit, et evinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, et geminum pugnae proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque juvencum;
Ensem atque insignem galeam, solatia victo.
Nec mora; continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virûm se murmure tollit;
Solus qui Paridem solitus contendere contra;
Idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, et fulva moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in proelia tollit,

---

352) Ungues ad splendorem deaurati fuerunt. 354) C. 8. *praemia.* 355) Lacide s. virtute in cursu. Burm. duo *meruit.* 356) C. 6. *quae Sal.* sine *et.* Nisi fortuna me a primo praemio abstulisset. 357) C. 8. *monstrabat.* Al. *ostendebat.* 358) Med. I. *opt. illi.* 359) C 8. *offerri — artem.* Didymaonis, quod nomen fictum est, et insignem artificem significat. 360) Servius putat, caetera inter munera, quae Helenus Aeneae ex Epiro solventi dederat, hunc fuisse clypeum olim a Pyrrho refixum e Neptuni templi postibus, in excidio Troiae. 363) Sprot. *animisque.* 364) Evinctis palmis, sc. cestibus armatis. Al. *praesens Adsit.* 366) Boves cornibus deauratis vittisque ac taeniis insignes erant, et cum statuebantur mactandi ad aras, et saepe cum in praemium dabantur. 368) Hugen. *affert.* Oud. *offert.* 369) Goth. bini *se munere.* 370) Montalb. *extendere.* Paridem, Priami filium, etsi moribus mollem, viribus tamen robustum fuisse, et cestuum certamine victoriam ex ipso Hectore fratre retulisse, diximus Ecl. 2, 61, et Ae. 1, 31. 371) Hector, occisus ab Achille, redemptus a Priamo in Sigeo promontorio tumulatus est. Parrh. *accubat*, sed occubat hic pro iacet. 372) Butes, de quo hic sermo, non ille fuit Amyci filius, pater Erycis, sed alter aliquis, e primis Butae posteris. 373) Fuit Amycus rex Bebryciorum, Neptuni filius, et pugillatu insignis. 375) Vratisl. *in praemia.*

Ostenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, et verberat ictibus auras.
Quaeritur huic alius; nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere cestus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere palma,
Aeneae stetit ante pedes, nec plura moratus,
Tum laeva taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate dea, si nemo audet se credere pugnae,
Quae finis standi; quo me decet usque teneri?
Ducere dona jube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidae, reddique viro promissa jubebant.
Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,
Proximus ut viridante toro consederat herbae:
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? ubi nunc nobis deus ille, magister
Nequidquam memoratus, Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis?
Ille sub haec: Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu; sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effetae in corpore vires.
Si mihi, quae quondam fuerat, quaque improbus iste
Exsultat fidens, si nunc foret illa juventas:
Haud equidem pretio inductus pulchroque juvenco
Venissem; nec dona moror. Sic deinde locutus,
In medium geminos immani pondere cestus
Projecit; quibus acer Eryx in proelia suetus

---

377) Burm. duo *praetendens.* 378) Burm. tres *hinc.* Medic. *hic.* 379) C. 1. *manibus.* Caestus sunt lora, quibus manus pugilum, et brachia innectebantur. 380) C. 7, 8. *pugna* pro palma. Bigot. *alacer.* Menag. I. *cunctisque.* 381) Goth. II. *moratur.* 382) C. 1. Gloss. addit: *atque ita fatur.* Goth. II. *tauri cornu.* 384) *Quae*, pro Qui finis. 385) Zul. *ferebant.* 388) Burm. tres *considerat.* Pier. un. cum Erf. *herba.* 390) C. 7. *te pat.* Dorv. *discrimine.* 391) Al. *sinis.* Erycis nomen fuit magnum pugilatu, quippe qui Herculem ipsum provocavit. 392) C. 7. *Nequicquam.* C. 6. *Nequiquam.* 394) C. 7, 8. *Nec laud.* Burm. duo *non gl.* 396) C. 7. *effectae.* Sanguis in senibus minori copia, tardiores spiritus et crassiores emittit, unde frigus et stupor. Effoetae proprie dicuntur foeminae, quae multos foetus pepererunt. 397) C. 8. *frigent* sine *que.* 398) C. 6, 8. *juventa.* C. 7. *juventus.* 399) Mont. *inductis pretiis.* 400) C. 8. *moro.* Venissem nulla habita praemii ratione. Burm. *nil d. mor.* 401) Cestus chirothecae species quaedam est e loris bubulis, plumbo etiam ac ferro interdum insuto.

Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obstupuere animi: tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
Ante omnes stupet ipse Dares, longeque recusat;
Magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.
Tum senior tales referebat pectore voces:
Quid, si quis cestus ipsius et Herculis arma
Vidisset, tristemque hoc ipso in litore pugnam?
Haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.
Sanguine cernis adhuc fractoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra stetit; his ego suetus,
Dum melior vires sanguis dabat, aemula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed, si nostra Dares haec Troïus arma recusat,
Idque pio sedet Aeneae, probat auctor Acestes,
Aequemus pugnas. Erycis tibi terga remitto;
Solve metus; et tu Trojanos exue cestus.
Haec fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque
Exuit, atque ingens media consistit arena.
Tum satus Anchisa cestus pater extulit aequos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu;
Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt.

403) Parrh. *manu.* 404) C. 6. *Obstipuere.* Hic stupor indicat magnitudinem caestuum. 406) Recusat, s. refugit a pugna. 407) Burm. duo *et ipsam.* 408) Vinclorum volumina sunt lora, quibus cestus circa brachium religaretur. 411) C. 8. *in hoc ipso.* 412) Germanus sc. Aeneae, eadem saltem matre genitus. 413) C. 1, 6, 7, 8. *sparsoque*; sed male. Reg. *inspersa.* 414) Alciden sc. Herculem. 415) Aemula s. invida. 416) Nondum cani erant sparsi per tempora. Hamb. I. *cana sen.* 418) Non auctor quidem editorque ludorum, quos Aeneas unus indixit, sed hortator Entelli, ut cum Darete pugnaret. 419) Pugnas s. certamen — remitto s. renuntio. 421) C. 8. *humero.* Vel Geminam vestem, interiorem sc. et exteriorem, vel unicam, eamque suffultam, et instar duplicis, qualis fuit laena. 422) C. 8. *lacertos.* Artus sunt compagines ac juncturae maiorum corporis membrorum. Lacertus est os inter manus vertebram et cubitum; brachium est os inter lacertum et humerum. 424) Moret I. *Cum.* 428) Heins. tres *Adduxere.* 429) Lacessunt s. ineunt Pier. *pugnasque.*

Ille pedum melior motu, fretusque juventa;
Hic membris et mole valens: sed tarda trementi
Genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus.
Multa viri nequidquam inter se vulnera jactant,
Multa cavo lateri ingeminant, et pectore vastos
Dant sonitus; erratque aures et tempora circum
Crebra manus; duro crepitant sub vulnere malae.
Stat gravis Entellus nisuque immotus eodem
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum; et variis adsultibus irritus urguet.
Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Praevidit, celerique elapsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit; et ultro
Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto
Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho,
Aut Ida in magna, radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes;
It clamor coelo, primusque accurrit Acestes,
Aequaevumque ab humo miserans attollit amicum.
At non tardatus casu neque territus heros
Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira.
Tum pudor incendit vires et conscia virtus,
Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto,
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
Nec mora, nec requies. Quam multa grandine nimbi

---

430) Haud dubie sunt etiam pedum partes in pugilatu, evitandis ictibus. Sprot. *pedum cursu melior.* 431) Ven. *Is membris.* 433) Vicissim pugnis et ictibus caedunt. 434) C. 6. *vasto.* Lateri vel curvo, quia infra latera corpus flectitur, vel reipsa cavo, quia laterum costis cavus pectoris thorax circumcluditur. 435) Rott. II. *Dant gemitus.* 436) Zul. *durae.* Crepitatio referenda est ad dentes, qui sub malis stridebant vi ictuum. 437) C. 8. *nixuque.* C. 7. *motus.* Stat gravis aetate, et mole corporis. 438) Tela s. cestus evitat. 439) Sprot. *qui m. arcem* 442) C. 6, 7. *urget*, et ita semper. Rott. *assaltibus.* 446) C. 8. *effundit, et ultro*, sc. nullo impellente. 448) Erymanthus mons, sylva, et fluvius Arcadiae in Peloponneso. 449) C. 6. *radicitus.* 450) Per studium, prae favore, qualis spectantium in ludis est. 451) C. 1, 7. *occurrit.* Witt. *concurrit.* 455) Hugen. *intendit.* 457) Vratisl. *geminans.* Bigot. *nunc atque.*

Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.
Tum pater Aeneas procedere longius iras,
Et saevire animis Entellum haud passus acerbis;
Sed finem imposuit pugnae, fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:
Infelix, quae tanta animum dementia cepit?
Non vires alias conversaque numina sentis?
Cede deo. Dixitque, et proelia voce diremit.
Ast illum fidi aequales, genua aegra trahentem,
Jactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore ejectantem, mixtosque in sanguine dentes,
Ducunt ad naves; galeamque ensemque vocati
Accipiunt: palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, superans animis, tauroque superbus:
Nate dea, vosque haec, inquit, cognoscite, Teucri,
Et mihi quae fuerint juvenali in corpore vires,
Et qua servetis revocatum a morte Dareta.
Dixit, et adversi contra stetit ora juvenci,
Qui donum adstabat pugnae; durosque reducta
Libravit dextra media inter cornua cestus
Arduus, effractoque illisit in ossa cerebro.
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super tales effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo; hic victor cestus artemque repono.
Protenus Aeneas celeri certare sagitta

---

459) Sprot. *crepitent.* Rott. III. *nimbus-crepitet.* Hamb. I. *trepident.* 460) C. 8. *pulsant.* 461) C. 8. *producere.* Mor. I. *cum.* 463) Zulich *imponit.* 464) C. 6, 7. *et talia.* Sprot. *Corripuit, miscens.* 465) Parrh *animi.* 466) C. 8. abest hic vers. Alias, s. maiores — conversa, s. aversa. 467) Deo, vel illi, qui tibi aversus est, vel Eryci heroi, Deae filio; vel rationi. 469) Goth. III. *ultroque.* Parrh. *utraque.* 471) Victores vocati praemia ferunt. Dorv. *ad navem.* 473) Moret. I. *Sic v.* Hugen. *taurisque superbis.* 474) C. 8. *vos hic.* 475) C. 8. *fuerant.* 476) Quae mors destinata Dareti fuit. Gud. *Daretam.* 477) Gud. *aversi.* Mont. *adversa.* 480) Pier. *immisit.* 482) C. 6, 7. *effudit.* 483) C. 1, 8. *Animam*, meliorem, vel quia vilipendit a se victum Dareta; vel quia Diis gratiores sunt victimae ex brutis animantibus quam humanae; vel alludit ad succedaneas victimas. 484) C. 6, 8. *reponit.* Hic Entellus, non Hercules, a quo Eryx occisus; sed ipsi Eryci sua consecrat, quem Dei loco videtur habere. 485) C. 1, 6. 7, 8. *Protinus.*

Invitat, qui forte velint, et praemia ponit;
Ingentique manu malum de nave Sergesti
Erigit; et volucrem trajecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Convenere viri, dejectamque aerea sortem
Accepit galea; et primus clamore secundo
Hyrtacidae ante omnes exit locus Hippocoontis;
Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva.
Tertius Eurytion, tuus, o clarissime, frater,
Pandare, qui quondam, jussus confundere foedus,
In medios telum torsisti primus Achivos.
Extremus galeaque ima subsidit Acestes,
Ausus et ipse manu juvenum tentare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri, et depromunt tela pharetris.
Primaque per coelum nervo stridente sagitta
Hyrtacidae juvenis volucres diverberat auras;
Et venit, adversique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, et ingenti sonuerunt omnia plausu.
Post acer Mnestheus adducto constitit arcu,
Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit.
Ast ipsam miserandus avem contingere ferro
Non valuit; nodos et vincula linea rupit,

---

486) Gud. *pr. dicit.* 487) C. 6, 7. *Seresti*, qui fuit dux Troianorum. 488) Hugen. *traiectum in.* 489) Menag. II. *tendunt.* 491) Apud milites in galeam — apud caeteros in urnam aut situlam sortes conjiciebantur. 492) C. 6. *Hippocoonti*, filio Hirtaci, Thraci, consobrino Rhesi; qui ea ipsa nocte, qua Rhesus ad Troiam caesus est, e somno excitatus est ab Apolline. Hic ex Aeneae sociis esse deinde potuit. 493) Victor non primo, sed secundo loco. Parrh. *Postmodo.* 494) Oliva ad victoriam nauticam refertur. 496) Convenerat Graecos inter et Troianos ad dirimendum bellum, ut Paris Helenae raptor, et Menelaus eius maritus, singulari certamine de ea contenderent. Ast Paris, cum prope victus esset, a Venere e pugna subductus est inducta caligine, Deinde Jupiter, adnitente Junone, Minervae mandavit, ut foedus turbaret; quod ut faceret, persuasit illi Pandaro, e Mysia, Lycaonis filio, ut sagittam in Menelaum evibraret; atque ita vulnerato Menelao rursus in bella itum est. 498) C. 1, 2. *subsedit.* C. 8. *succedit.* Parrh. *galea atque ima.* 499) Manu, sagitta manu emissa. 500) C. 8. *Tunc.* Mor. I. *cum.* 503) Burm. *deverberat.* 505) C. 6. *tremuitque*, sc. pennis. Bigot. *Infremuit.* 507) Acer, s. ardens. 510) Pier. *rumpit.*

Quis innexa pedem malo pendebat ab alto:
Illa notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus, jamdudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit,
Jam vacuo laetam coelo speculatus; et alis
Plaudentem nigra figit sub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris
Aetheriis, fixamque refert delapsa sagittam.
Amissa solus palma superabat Acestes:
Qui tamen aërias telum contendit in auras,
Ostentans artemque pater arcumque sonantem.
Hic oculis subitum objicitur magnoque futurum
Augurio monstrum; docuit post exitus ingens;
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuesque recessit
Consumta in ventos: coelo ceu saepe refixa
Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.
Attonitis haesere animis, Superosque precati
Trinacrii Teucrique viri. Nec maximus omen
Abnuit Aeneas; sed laetum amplexus Acesten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:

---

511) Parrh. *pedem nodo.* 512) C. 6, 7. *nothos*, s. ventos meridionales. 513) C. 8. *Tunc rapide.* 514) Fratrem Pandarum, qui apud Lycios colitur quasi heros. 515) Franc. *Tam.* Men. I. *telo sp.* Erf. *iaculo.* 516) Parrh. *nigram.* Burm. duo *fixit.* 518) C. 6, 7, 8. *Aereis.* 520) C. 7. *contorsit.* 521) C. 1. *parans.* C. 8. *artem pariter.* C. 7. *pariterque*, ut plures veteres. Hug. *Ostendens.* 522) C. 1, 8. *subito.* Burm. duo *Hinc.* 523) Spectavit haud dubie poeta ad bella Romanorum cum Siculis. Augurium hic pro quolibet signo futurorum eventuum sumitur. 524) *Seraque* explicat Servius gravia; Hortensius futura; Cerdanus tarda; alii sero vel serius, cum nullus ultra esset remedio locus. 525) Prodigium in eo fuit, quod id juxta rerum ordinem accidere non poterat: ut sagitta ex arundine, quamlibet sicca, ignem inter nubila conciperet; quod de terrae exhalationibus in altum aerem eductis Aristoteles ait. 526) C. 1. *tenuisque.* Medic. *lamnis.* 527) Refixa, quia iuxta communem opinionem sidera e coelo revelluntur. 528) C. 8. *crinem volitantia.* Hamb. II. *Concurrunt.* 529) C. 1. *Attonitisque.* Vere falsus est Aeneas, et dirum omen pro auspicato accepit. 530) C. 7. *Trinacri.* 531) Abnuit etc. Cum debuisset aversari, accipit, atque ut sibi prosperum agnoscit: vel dissimulans ob Acestae reverentiam, et licet infaustum scilicet: vel potius deceptus recordatione laetae illius flammae, quae in Ascanii capite effulserat. 532) C. 1, 7. *et tal.*

Sume, pater; nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exsortem ducere honores.
Ipsius Anchisae longaevi hoc munus habebis,
Cratera impressum signis, quem Thracius olim
Anchisae genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omnes victorem appellat Acesten.
Nec bonus Eurytion praelato invidit honori,
Quamvis solus avem coelo dejecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit;
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Aeneas, nondum certamine misso,
Custodem ad sese comitemque impubis Iuli
Epytiden vocat, et fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, et Ascanio, si jam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, et sese ostendat in armis,
Dic, ait. Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, et campos jubet esse patentes.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriae mirata fremit Trojaeque juventus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona;
Cornea bina ferunt praefixo hastilia ferro;
Pars laeves humero pharetras; it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

---

534) C.6, 7. *honorem.* 537) Cisseus, Rex alicuius Thraciae partis, Hecubae pater, quae Priami coniux erat. 538) C. 1, 6, 7. *monimentum.* 539) C 1. *t. mirto.* Hamb. II. *cinxit.* 540) C. 1, 6, 7. *Acestem.* I eid. un. *At p.* 541) Al. *honoris.* quem alter ipsi praeripuerat. 544) Extremus Hyrtacides. 545) Certantium turba nondum dimissa. 547) C. 6, 7. *in aurem.* C. 1 *Epitidem.* C. 8. *Epithidem.* Is fidam semper operam navaverat non Aeneae solum, sed etiam seni Anchisae. 548) Non enim interfuerat ludis Ascanius; turmas tamen suas ad ludum instruens. 549) Ven. *cursumque.* 550) Serv. *ostentet.* 551) Menag. I. *In se omnem.* Plures *longe.* Oudart. *largo* Al. *descendere, deducere.* Burm. duo *discedere coetu*, pro spatio, in quo decursus equester fit. 556) Tonsa corona, h. e. ex arbore tonsa, cui frondes decerptae. 557) C. 7. *Cornua — praefissa* Heins. duo *gerunt.* Hastile est lignum ipsum hastae, cui ferrum praefixum est. 558) C. 8. *et pect.* Burm. aliq. *Parsque leves humeris.* 559) C. 8. *collum it.*

Tres equitum numero turmae, ternique vagantur
Ductores; pueri bis seni quemque secuti
Agmine partito fulgent, paribusque magistris.
Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus; tua clara, Polite,
Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis; vestigia primi
Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini;
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus, formaque ante omnes pulcher, Julus
Sidonio est invectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.
Cetera Trinacriis pubes senioris Acestae
Fertur equis.
Excipiunt plausu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidae, veterumque agnoscunt ora parentum.
Postquam omnem laeti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis, signum clamore paratis
Epytides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrere pares, atque agmina terni
Diductis solvere choris, rursusque vocati
Convertere vias, infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversis spatiis, alternisque orbibus orbes
Impediunt, pugnaeque cient simulacra sub armis:
Et nunc terga fuga nudant, nunc spicula vertunt

---

560) C. 7. *Tris.* C. 1. *turmae num.* Pueri fuere omnino 36, cum trinis ductoribus, in tres turmas descripti. 563) Menag. II. *Vana ac.* Rom. *parvos.* 564) Franc. *Nomen qui.* Medic. *Polites* pro vocativo Polite. 565) Burm. aliquot *actura.* 566) Goth. III. *bicolos.* Medic. *primis Alba pedes.* Albus fronte primisque duobus pedibus; alter color fors rufus. 568) C. 8. *Acys.* Atia est Augusti mater — Latini sunt Romani. 569) Bigot. *puero multum.* Rott. *delectus.* 570) Medic. *formam.* 571) Burm. tres *Sidonioque inv.* 572) C. 1, 6, 7. *monimentum.* 573) C. 1, 8. *Trinacriae.* Plures *Trinacrii.* Ad equos Acestae refero, quibus Acestes Troianam iuventutem ad hunc ludum instruxerat. 575) Pavidos, s. de laude et victoria sollicitos. 576) Burm. tres *corda p.* Agnoscunt parentum similitudinem in liberis. 577) Menag. II. *omnes.* Hamb. II *oculique.* 578) Med. *parentis.* 580) C. 1. *ternis.* 581) Al. *Deductis.* 582) Plur. *instructaque.* 583) Ven. *cursus ineunt.* Wall. *reversus.* 584) C. 6, 7, 8. *alternosque.* C. 1. *adversosque.* Quibus ipsi obvii invicem facti iterum deflectunt se et in novos gyros discurrunt.

Infensi; facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum caecis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus et irremeabilis error.
Haud alio Teucrum nati vestigia cursu
Impediunt, texuntque fugas et proelia ludo,
Delphinum similes, qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque secant, [luduntque per undas.]
Hunc morem, hos cursus, atque haec certamina primus
Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam,
Retulit, et priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes.
Albani docuere suos; hinc maxima porro
Accepit Roma, et patrium servavit honorem;
Trojaque nunc, pueri Trojanum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.
Dum variis tumulo referunt solemnia ludis,
Irim de coelo misit Saturnia Juno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti,
Multa movens, necdum antiquum saturata dolorem.
Illa, viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa, cito decurrit tramite virgo;
Conspicit ingentem concursum, et litora lustrat,
Desertosque videt portus classemque relictam.
At procul in sola secretae Troades acta

---

587) Burm. tres *fruuntur*. 588) Wall. *Crete*. Comparat varias cursus puerilis figuras cum labyrintho, currentes deinde pueros cum delphinis. Omnis insula Creta est altior mari. 589) Parrh. *textis*. Ven. *textus*. 590) Burm. tres *domum*. Bigot. *quo signa*. Dolum, iter dolosum. 591) C. 6, 7. *Frangeret*. 592) Pari modo Troiani pueri cursus flexus implicant. 594) Delphinus creditur esse porcus marinus. 595) Al. *Libycumve*. Carpathus insula est Cretam inter et Rhodum media. 597) C. 8. *longis*. 598) Al. *Rettulit*. 601) Honorem, ludum ab origine sua in Anchisae honorem institutum. 602) Ed. Ven. *pueri et Tr*. Dorv. *dicimus*. Leid. *ducitur*. Agmen Troianum sunt pueri. 604) C. 1, 8. *Hinc*. Goth. III. *vocavit*. 606) Junoni ministra Iris data est, non Mercurius, quae censebatur descendere in terras per arcum suum. 607) Al. *inspirat*. 609) Med. et. Zul. *celebrans*. Erf. *pro*. 610) Erf. *tr. Juno*. 611) Med. *consessum*. Wall. *occursum*. 613) Indecorum videbatur honestas matronas publicis in spectaculis esse cum viris. Acta est litus.

Amissum Anchisen flebant, cunctaeque profundum
Pontum adspectabant flentes: Heu! tot vada fessis,
Et tantum supperesse maris: vox omnibus una;
Urbem orant; taedet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias sese haud ignara nocendi
Conjicit, et faciemque deae vestemque reponit;
Fit Beroë, Tmarii conjunx longaeva Dorycli;
Cui genus, et quondam nomen, natique fuissent;
Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert:
O miserae, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad letum patriae sub moenibus! o gens
Infelix, cui te exitio Fortuna reservat?
Septima post Trojae excidium jam vertitur aestas,
Quum freta, quum terras omnes, tot inhospita saxa,
Sideraque emensae ferimur; dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni, atque hospes Acestes.
Quid prohibet muros jacere, et dare civibus urbem?
O patria, et rapti nequidquam ex hoste Penates;
Nullane jam Trojae dicentur moenia? nusquam
Hectoreos amnes, Xanthum et Simoënta, videbo?
Quin agite, et mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandrae per somnum vatis imago
Ardentes dare visa faces: Hic quaerite Trojam;
Hic domus est, inquit, vobis. Jam tempus agi res;
Nec tantis mora prodigiis. En quatuor arae
Neptuno. Deus ipse faces animumque ministrat.

---

614) C 1. *Anchisem.* 615) Goth. II. *Portum.* Medic. *spectabunt.* 617) Urbem, s. sedem. 618) Goth. II. *medios.* 619) Goth. II. *Miscuit et f.* Burm. duo *Coniecit fac.* 620) C. 6. *Bero et mari.* Tmaros in finibus Dodonae Epiri mons erat. Beroes et Dorycli sunt ficta nomina. 621) Cui nobilitas — fuerant. 622) Plures *Dardanium.* 623) Heins. tres *Achaia*, s. Graecia. 624) Sprot. *Traxerat.* 625) Gud *exitium.* 626) Men. I. *volvitur*, s. praeterit septima, vergitque in octavam. 627) Saxa, s. litora saxosa. 628) Emensae per navigationem, quae astrorum aspectu regitur. Sidera, aut tempestates ait, quae ortu vel occasu siderum saepe nascuntur, aut provincias, quae sideribus subjacent. 631) C. 8. *Quis.* 632) Al. *o rapti.* 633) Hamb. II. *ducentur.* 634) Virg. coniungit saepe hos duos fluvios, quia coniuncti ipsi. 636) Montalb. *noctis imago.* 638) Burm. tres *nobis.* Tempus agendae rei. 639) Ante ludos funebres commissos sacra debent esse facta Neptuno. 640) Parrh. *ipse sacer* consilium hoc s. inventum ministrat.

Haec memorans, prima infensum vi corripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruscat,
Et jacit. Arrectae mentes, stupefactaque corda
Iliadum. Hic una e multis, quae maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroë vobis, non haec Rhoeteïa, matres,
Est Dorycli conjunx; divini signa decoris,
Ardentesque notate oculos; qui spiritus illi,
Qui vultus, vocisve sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroën digressa reliqui
Aegram, indignantem, tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisae inferret honores.
Haec effata.
At matres primo ancipites, oculisque malignis,
Ambiguae, spectare rates, miserum inter amorem
Praesentis terrae, fatisque vocantia regna:
Quum dea se paribus per coelum sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero attonitae monstris actaeque furore
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem;
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Conjiciunt. Furit immissis Vulcanus habenis
Transtra per et remos, et pictas abiete puppes.
Nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri

---

641) C. 7. *infessum.* C. 8. *primum.* Dorv. *subito inf.* Al. *infestum, incensum.* Apparent in his versibus celeritas et furor. 642) In C. 6, 7. hic vers. sequenti postponitur. Hamb. I. *subnixa coruscat*, quod verbum neutrum apud Virg. activum est. 643) Burm. duo *abrectae*, *arreptae.* 646) C. 7. *Rhoteia*, non procul ab urbe Troiae. C. 8. *nobis*, ut plures al. 648) C. 7, 8. *quis.* Goth. II. *Splendentesque.* 649) C. 7, 8. *euntis.* C. 7. *vocisque.* Inter signa divinitatis Deorum maximum erat gressus. 650) C. 8. *Ber. dud.* Burm. tres *degressa.* 651) Aegre ferentem, quod per valetudinem sibi non liceret interesse sacris. 652) Munus est publica celebritas, et spectaculum aut arenae aut circi, aut venationis. 653) C. 7. *Haec est.* Puget. *Est effata.* 654) Rom. *malignae.* Oculi maligni sunt, quibus non plene intuemur, sed semiocclusis oculis. 655) Wall. *Ambiguas.* 656) Plures *terras.* Hamb. II. *factisque.* 657) C. 8. *Tum.* 658) Secando aerem incessit per arcum. 660) C. 7. *Cum clamant.* Hamb. II. *locis.* Focos penetrales dixit, qui in sacrariis sunt. 661) Hamb. I. *frondesque.* Spoliant aras verbenis, taeniis, quibus ornatae erant et arae et statuae. 662) Moret II. *invisis.* Aurigae habenas ad incitatissimum cursum laxiores equis permittunt. 663) C. 7. *et per.* 664) Hamb. II. *cumulum.* Excitatus erat tumulus in medio theatri.

Incensas perfert naves Eumelus, et ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus et Ascanius, cursus ut laetus equestres
Ducebat, sic acer equo turbata petivit
Castra, nec exanimes possunt retinere magistri.
Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miserae cives? non hostem, inimicaque castra
Argivûm; vestras spes uritis. En, ego vester
Ascanius: galeam ante pedes projecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Accelerat simul Aeneas, simul agmina Teucrûm.
Ast illae diversa metu per litora passim
Diffugiunt; silvasque, et sicubi concava furtim
Saxa, petunt. Piget incepti lucisque, suosque
Mutatae agnoscunt, excussaque pectore Juno est.
Sed non idcirco flammae atque incendia vires
Indomitas posuere: udo sub robore vivit
Stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas
Est vapor, et toto descendit corpore pestis;
Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.
Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare deos, et tendere palmas:
Jupiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Trojanos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos; da flammam evadere classi

---

665) C. 8. *praefert n. Eumelus*, qui est effoetus aliquis senex, qui apud naves cum mulieribus steterat. 666) Goth. II. *Perspiciunt.* 667) C. 1. *equestris.* 669) C. 1. *neque.* Castra sunt classis nautica. 671) Goth. I. *Huc m.* 672) Rott. II. *spes nostras.* Non dubium, quin allusio aliqua fiat ad veteres pugnas Troiani excidii. 673) Alii explicant galeam extractam e capite, alii spoliatam corona, quae prius superposita galeae, iam impetu deciderat. 674) C. 7. *inductus.* Witt. *gerebat.* Macrob. *ciebant.* 675) Montalb. *Accelerant.* 677) Sprot. *Defugiunt.* 680) Med. et Gud. *flammam.* Rom. *impendia.* 681) Plures *s. pectore* Parrh. *s. cortice.* Udo sub robore, pro duro quovis ligno. 682) Hugen. *movens.* Hamb. I. *carinis.* Stuppa est linum vile, cortici proxime adhaerens. Uda et vicina undis materia non facile in flammam emicabat. Carinae sunt trabes imae in navibus. 683) Vapor pro flamma — corpus pro navium mole — pestis pro igne. 685) Sprot. *Tum pater.* Med. *excindere.* Absc. v. ob magnum dolorem. 688) Pietas hic miseratio est.

Nunc, Pater, et tenues Teucrûm res eripe leto.
Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix haec ediderat, quum effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit, tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum, et campi; ruit aethere toto
Turbidus imber aqua, densisque nigerrimus austris;
Implenturque super puppes; semiusta madescunt
Robora; restinctus donec vapor omnis, et omnes,
Quatuor amissis, servatae a peste carinae.
At pater Aeneas, casu concussus acerbo,
Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas
Mutabat versans, Siculisne resideret arvis,
Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque insignem reddidit arte,
Haec responsa dabat, vel quae portenderet ira
Magna deûm, vel quae fatorum posceret ordo;
Isque his Aenean solatus vocibus infit:
Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur;
Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.
Est tibi Dardanius divinae stirpis Acestes:
Hunc cape consiliis socium et conjunge volentem;
Huic trade, amissis superant qui navibus, et quos
Pertaesum magni incepti rerumque tuarum est;
Longaevosque senes, ac fessas aequore matres,
Et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est,
Delige; et, his habeant terris, sine, moenia fessi;
Urbem appellabunt permisso nomine Acestam.
Talibus incensus dictis senioris amici.
Tum vero in curas animum diducitur omnes;

---

690) Leto pro interitu — tenues ob summam miseriam. 691) C. 7. *Vultu*. 692) C. 7. *dimitte* Rott. II. *Si merui*. 695) Ardua terrarum sunt spatia altissima. 696) Hamb. II. *T. imber aquis*. 697) Wall. *Impleturque*. Burm. duo *Implevitque*. 702) Ed. Ven. *Siculis resideret in arvis*. 703) C. 7. *capesceret*. 704) Nautes, caput Nautiae familiae Romanae, cuius in custodia Palladium Romae per successionem fuit. 710) C. 7. *Quicquid*. 711) Goth. III. *Est mihi*. Dardanus ex Jove natus et Electra Atlantis filia. 712) Plures *consilii*. 717) Delige, pro segrega, remove. 718) Al. *promisso*, al. *praemisso*. Acesta s. Segesta urbs ab Aenea condita. 720) C. 6, 7, 8. *deducitur*. C. 1. *animo*.

Et nox atra polum bigis subvecta tenebat.
Visa dehinc coelo facies delapsa parentis
Anchisae subito tales effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis; nate, Iliacis exercite fatis;
Imperio Jovis huc venio, qui classibus ignem
Depulit, et coelo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quae nunc pulcherrima Nautes
Dat senior; lectos juvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. Gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante
Infernas accede domos, et Averna per alta
Congressus pete, nate, meos. Non me impia namque
Tartara habent, tristesque umbrae; sed amoena piorum
Concilia Elysiumque colo. Huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, et, quae dentur moenia, disces.
Jamque vale. Torquet medios nox humida cursus,
Et me saevus equis Oriens afflavit anhelis.
Dixerat, et tenues fugit, ceu fumus, in auras.
Aeneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?
Haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignes;
Pergameumque Larem, et canae penetralia Vestae,
Farre pio et plena supplex veneratur acerra.

---

721) Nocti et Lunae bigae a poetis trahendo currui assignantur. 722) C. 1. *facies coelo*, quae est simulacrum. 724) Rom. *vitae*. 726) Mentel. I. *hic*. Rott. I. *veni*. 728) Fortitudo et prudentia praestant in quovis duce. 729) Gud. *laetos*. 730) Franc. *Difer*. Parrh. *horrida c.* 731) Dorv. *Dictis*. 732) Med. *accende*. 733) C. 6, 7, 8. *Complexus*; al. *Amplexus*. 734) C. 1, 8, 7. *tristes umbrae*. C. 6. *tristesve*. 735) Gentilibus castae erant, et viro intactae foeminae illae, quae reddebant oracula. 736) Ven. *pecudum cum s.* — *Nigrarum* innuit sacrum illud, quo medio datus est Aeneae aditus ad inferos. 737) Goth. III. *Tu g.* 738) Hic tria notanda sunt, solstitium imminens, umbrae noctu tantum apparentes, et somnia ad extremam noctem obvenientia. 739) Saevus, qui lucis usum eripit umbris. Nocte apparebant idola, furiae, daemones. 742) Parrh. *Quo*. 743) Burm. tres: *cineres*. Ven. *excitat*. Hoc fuit e cura veterum, ut ad matutina sacra ignem asservarent in cineribus. 744) Cana Vesta vel quasi antiqua, vel quia Vestales deinde virgines albo amictu indutae sunt.

Extemplo socios primumque arcessit Acesten,
Et Jovis imperium et cari praecepta parentis
Edocet, et quae nunc animo sententia constet.
Haud mora consiliis, nec jussa recusat Acestes.
Transscribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnae laudis egentes.
Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt
Robora navigiis; aptant remosque rudentesque,
Exigui numero, sed bello vivida virtus.
Interea Aeneas urbem designat aratro,
Sortitusque domos, hoc Ilium et haec loca Trojam
Esse jubet. Gaudet regno Trojanus Acestes,
Indicitque forum, et patribus dat jura vocatis.
Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae, tumuloque sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.
Jamque dies epulata novem gens omnis, et aris
Factus honos; placidi straverunt aequora venti,
Creber et adspirans rursus vocat Auster in altum,
Exoritur procurva ingens per litora fletus;
Complexi inter se noctemque diemque morantur.
Ipsae jam matres, ipsi, quibus aspera quondam
Visa maris facies, et non tolerabile nomen,
Ire volunt, omnemque fugae perferre laborem.

---

749) Wall. *Nec — nec iura.* 751) C. 7. *agentes.* Dorv. *nec magnae.* Deponunt ut inutile onus. 752) Ipsi reficiunt classem. Ambedere, degustare, lambere. 753) C. 7, 8. *rudentes.* Sprot. *Rob. remigiis.* 754) Mor. I. *numeri.* 755) Tota urbs et cuiusvis domicilium aratro signabatur. 756) C. 6, 8. *Sortiturque domus*; sortito distribuit locum aedibus futuris. 757) Regno, nova urbe. 758) *Forum* locus erat, ubi ius diceretur. *Indicit* tempus quoque notat, quo ius in foro dicendum esset. Dat ira, ius illud legesque aperit, ex quibus urbem recturi essent patres s. seniores. 759) Al. *Cum.* Wall. *vicino.* Menag. I. *Erycina.* Eryx est mons post Aetnam in Sicilia maximus. 760) Dorv. *Fundantur.* Parrh. *Iliadae*, quae est oppidum et nemus insulae Cypri, quae tota Veneri dicata fuit. 761) C. 8. *additus.* Al. *Anchisaeio*, *Anchisaeo.* Quippe promiserat se, condita urbe, sacra in perpetuum Anchisae patri fundaturum. 762) Nono die fiebant sacra et ludi. 763) Vratisl. *tenuerunt.* 764) Auster est ventus meridionalis. 764) C. 7. *flutus.* In C. 8. hic vers. sequenti postponitur. 767) Asperitas de mari dicitur turbido. 768) C. 1, 6, 7, 8. *numen.* Virg. dat mari cultum. 769) Ven. *omnesque.* Sprot. *proferre.* Cursus Troianorum in Italiam saepissime fuga indigitatur.

Quos bonus Aeneas dictis solatur amicis,
Et consanguineo lacrimans commendat Acestae.
Tres Eryci vitulos, et Tempestatibus agnam,
Caedere deinde jubet, solvique ex ordine funem.
Ipse, caput tonsae foliis evinctus olivae,
Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntes.
Certatim socii feriunt mare, et aequora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis
Alloquitur, talesque effundit pectore questus:
Junonis gravis ira, nec exsaturabile pectus,
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnes:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;
Nec Jovis imperio fatisve infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Urbem odiis satis est, nec poenam traxe per omnem
Reliquias: Trojae cineres atque ossa peremtae
Insequitur. Caussas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis,
Quam molem subito excierit. Maria omnia coelo
Miscuit, Aeoliis nequidquam freta procellis,
In regnis hoc ausa tuis.
Per scelus ecce etiam Trojanis matribus actis
Exussit foede puppes, et classe subegit
Amissa socios ignotae linquere terrae.
Quod superest, oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi; liceat Laurentem attingere Thybrim:
Si concessa peto, si dant ea moenia Parcae.

---

771) Consanguineus significat hic ex eadem gente Troiana. 772) Medic. *Agnos.* 773) Plures *solvitque.* 774) Franc. *tonsat.* 775) Pier. *Trans pr. in proram.* 776) C. 6, 8. *Projicit—fudit.* Hamb. II. *liquantia.* Porricere, porrigere. 778) Rott. II. *vertunt.* 780) Burm. tres *effudit.* Zul. *p. voces.* 782) Serv. *ad omnes.* 784) C. 7. *fatisque.* C. 8. *fatisne infracta*, ab infringo. 785) Exedisse, confecisse. Media, utpote Troia in medio Troiani imperii sita. 786) C. 7. *non.* C. 1, 8. *omnes*, malis iactasse Troianos urbe capta superstites. 787) Burm. duo *peremta.* Moret. qu. *parentum.* 788) Med. *furores.* Significat nullam esse furoris illius caussam, quasi dicat: sciat illa causas, ego nescio. 790) Rom. *exierit.* Ven. *excierint* cumulos fluctuum tempestate suscitatos. 792) C. 7. *haec.* C. 6. *visa.* 793) C. 6. *Proh*; sed ad scelus adactis. 794) Burm. *Excussit.* 795) Plures *ignota l. terra*, sc. in aliena terra. 797) Tibi, quantum per te licet. 798) Hug. et Zul. *dent mihi.* Bigot. *numina.*

Tum Saturnius haec domitor maris edidit alti:
Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis; merui quoque. Saepe furores
Compressi et rabiem tantam coelique marisque.
Nec minor in terris, Xanthum Simoëntaque testor,
Aeneae mihi cura tui. Quum Troïa Achilles
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere posset
In mare se Xanthus: Pelidae tunc ego forti
Congressum Aenean, nec dîs nec viribus aequis,
Nube cava rapui: cuperem quum vertere ab imo
Structa meis manibus perjurae moenia Trojae.
Nunc quoque mens eadem perstat mihi; pelle timorem.
Tutus, quos optas, portus accedet Averni.
Unus erit tantum, amissum quem gurgite quaeret:
Unum pro multis dabitur caput.
His ubi laeta deae permulsit pectora dictis:
Jungit equos auro genitor, spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omnes effundit habenas.
Caeruleo per summa levis volat aequora curru;
Subsidunt undae, tumidumque sub axe tonanti
Sternitur aequor aquis; fugiunt vasto aethere nimbi.
Tum variae comitum facies; immania cete,
Et senior Glauci chorus, Inousque Palaemon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis;

---

799) Moret I. *Cum.* 801) Venus mari orta est. Merui beneficiis meis, ut mihi fideres. 802) C. 8. *coeli et rabiem tantamque marisque.* 803) Sprot. *minus.* Ili fluvii reipsa testes fuerant exhibiti Aeneae auxilii. 804) Al. *Troica.* 805) Plures *immitteret.* 807) C. 1. *possit.* Burm. *revolvere.* 810) C. 7. *convertere.* 811) Plures *periturae.* De periurio Troiae est in fabulis, Laomedontem negasse Apollini et Neptuno constructoribus urbis pactam mercedem, propter laborem construendi. 812) C. 6, 7, 8. *timores.* C. 1. *restat.* 814) C. 1, 6, 7, 8. *quaeres*, desiderabis. 815) Unus Palinurus. Alluditur ad morem illum, quo pro communi salute civium unus civis mactabatur. 818) Parrh. *perfundit.* Feris pro equis. 820) Menag. I. *tumulumque.* Sub axe vel Neptunii currus, vel coeli. 821) Plures *equis*, *fugiuntque ex aeth.* 822) Varia maris numina, aut monstra. 823) Hamb. II. *Glaucique.* Virg. loquitur ex veterum superstitione, qui Diis marinis Nymphas peculiares et Nereidas attribuebant.

Laeva tenent Thetis, et Melite, Panopeaque virgo,
Nesaee, Spioque, Thaliaque Cymodoceque.
Hic patris Aeneae suspensam blanda vicissim
Gaudia pertentant mentem; jubet ocius omnes
Attolli malos, intendi brachia velis.
Una omnes fecere pedem; pariterque sinistros,
Nunc dextros solvere sinus; una ardua torquent
Cornua detorquentque; ferunt sua flamina classem.
Princeps ante omnes densum Palinurus agebat
Agmen; ad hunc alii cursum contendere jussi.
Jamque fere mediam coeli Nox humida metam
Contigerat; placida laxarant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautae:
Quum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris
Aëra dimovit tenebrosum, et dispulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans
Insonti; puppique deus consedit in alta,
Phorbanti similis, funditque has ore loquelas:
Iaside Palinure, ferunt ipsa aequora classem;
Aequatae spirant aurae; datur hora quieti.
Pone caput, fessosque oculos furare labori.
Ipse ego paullisper pro te tua munera inibo.
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:
Mene salis placidi vultum fluctusque quietos
Ignorare jubes? mene huic confidere monstro?
Aenean credam quid enim fallacibus austris,
Et coeli toties deceptus fraude sereni?
Talia dicta dabat, clavumque affixus et haerens

825) C. 7, 8. *tenet—Melide*. 826) C. 7. *Nisaee Sypioque*. C. 6. *Spicioque*. C. 1. *Nesaeeque*. C. 8 *Hesperioque*. 827) C. 1. *Sic*. 828) Hamb. II. *praetentant*. 829) Dorv. *extendi*. Malus est ingens arbor, in medio navis erecta, e qua vela suspenduntur. 832) Menag. *flumina*. 834) Hug. et Zul. *deducere*. 835) Meta est vertex coeli. 836) C. 1, 7, 8. *laxabant*. 837) Dorv. *fessi*. Ven. *dira* 838) C. 1, 8. *dilapsus*; al. *demissus* somnus ex aere opprimit gubernatorem Palinurum. 839) Zul. *demovit*. 840) C. 7. et *tristia somnia*. 842) C. 7. *Phordati—fuditque* C. 8. *fundit—querelas*. Dorv. *voce q*. Inter multos Phorbantes unus fuit e filiis Priami, de quo hic sermo esse videtur. 843) Jasius, Troianus aliquis pater aut avus Palinuri. 844) Aequatae aurae sunt implentes vela nulla obliquitate, veluti iustae et aequae cum ipsis puppibus. 845) Zul. *sopori*. 848) C. 1. *fluctusve*. Goth. II. *Mene maris*. 850) C. 1, 6, 8. *auris*. 851) C. 1, 6, 7, 8. *totiens*. 852) Mentel. I. *T. dictabat*. Zul. *cl. ac sidera inhaerens*. Clavus est gubernaculum navis.

Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.
Ecce deus ramum Lethaeo rore madentem,
Vique soporatum Stygia, super utraque quassat
Tempora; cunctantique natantia lumina solvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus:
Et super incumbens, cum puppis parte revulsa,
Cumque gubernaclo, liquidas projecit in undas
Praecipitem, ac socios nequidquam saepe vocantem;
Ipse volans tenues se sustulit ales ad auras.
Currit iter tutum non secius aequore classis,
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Jamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat;
Difficiles quondam, multorumque ossibus albos;
Tum rauca assiduo longe sale saxa sonabant:
Quum pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis,
Multa gemens, casuque animum concussus amici.
O nimium coelo et pelago confise sereno,
Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena.

---

853 Hamb. II. *admittebat.* Goth. II. *ferebat.* Instrumentum Somni est virga s. ramus in manu. 855) C. 7. *Vixque.* Medic. *quassant.* 861) C. 8. *in auras.* 862) Hamb. II. *aequora.* 864) C. 8 *subibant.* Sirenes monstra fuere, superiore parte corporis foeminae, inferiore vero pisces; sedes earum collocatur ad Surrentinum Italiae promontorium. 866) C. 8. *Tunc.* Raucedo hominum est, ideo saxa rauca cum allusione ad latentes ibi foeminas Sirenas. 867) Dorv. *fluctantem.* Fluito est, cum quis undis fertur, neque potest fluctus pervincere. 868) Ven. *nocturnus.* 869) Al. *commotus*, *confusus.*

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER SEXTUS.

Sic fatur lacrimans, classique immittit habenas,
Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.
Obvertunt pelago proras: tum dente tenaci
Ancora fundabat naves, et litora curvae
Praetexunt puppes. Juvenum manus emicat ardens
Litus in Hesperium: quaerit pars semina flammae
Abstrusa in venis silicis; pars densa ferarum
Tecta rapit, silvas; inventaque flumina monstrat.
At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Praesidet, horrendaeque procul secreta Sibyllae,
Antrum immane, petit; magnam cui mentem animumque

LIBER SEXTUS.

1) Habenae liberum impetum cursumque navium significant. 2) Euboea est maxima Graeciae insula. 3) Men. II. *obtendunt.* Hamb. II. *cum d* Nautae navem ad litus appulsam in proram convertunt 4) C. 7. *Anchora.* Burm. tres *fundebat*, sed navem alligat maris fundo. 5) Zul. *Protexunt* Hic mire repraesentatur sedulitas nautarum. 6) Semina flammae s. scintillas. 7) C 7. *Obstrixa*; al *Obstrusa.* Cursu rapido perlustrant silvas. 9) Templum Apollinis est in montium jugis. 11) Parrh. *subit.* Mens est ipsa animi intelligentia et consilium.

Delius inspirat vates, aperitque futura.
Jam subeunt Triviae lucos atque aurea tecta.
    Daedalus, ut fama est, fugiens Minoïa regna,
Praepetibus pennis ausus se credere coelo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.
Redditus his primum terris, tibi, Phoebe, sacravit
Remigium alarum, posuitque immania templa.
In foribus letum Androgei; tum pendere poenas
Cecropidae jussi (miserum!) septena quot annis
Corpora natorum; stat ductis sortibus urna.
Contra elata mari respondet Gnosia tellus:
Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto
Pasiphaë, mixtumque genus prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae;
Hic labor ille domus, et inextricabilis error;
Magnum reginae sed enim miseratus amorem
Daedalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit,
Caeca regens filo vestigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro:
Bis patriae cecidere manus. Quin protenus omnia

---

12) Apollo in insula Delos natus et cultus fuit. 13) **Triviae**, ex quo cognoscitur, hoc templum sacrum quoque fuisse Dianae. 14) Daedalus Atheniensis, multorum instrumentorum auctor, ex Sicilia fuga evasisse dicitur. In Creta s. Candia regnavit Minos, Jovis et Europae filius, qui ex Pasiphaë Solis filia genuit Ariadnen, Phaedram et Antrogeum. 15) C. 6. *pinnis*. Praepes s. velox. 16) Ad Arctos s. astra septentrionalia evolavit. 17) Med. *Chalcidicam — arcem*. 18) Zul. *hic*. Qui navigant, dant se mari, inde cum appellunt ad portum, reddi dicuntur. 19) Alas Daedalus in honorem Phoebi suspendit, posuitque ex voto templa. 20) C. 6, 8. *Androgeo*. qui in publ. Graeciae ludis saepe victor, ab Atheniensibus et Megarensibus ex invidia occisus est. 21) Nati, pueri septem totidemque puellae mittebantur. Rex primus Atheniensium fuit Cecrops Aegyptius. 22) Goth. III. *dictis*. 23) Respondet, ex opposita sc. parte Gnosus est, urbs Cretae insulae, quae in mari assurg t. 25) C. 1, 6, 7, 8. *Pasiphe*, quae turpi amore captam fuisse et Minotaurum peperisse dicitur. 26) C. 6, 7. *monimenta* nefandi amoris. 27) Goth. III. *illa domus*. 28) Regina, i. e. regis filia. 29) Ipse flexus viae et errores labyrinthi resolvit egressu monstrato. 30) Regit ille glomere iter incertum. 31 Goth. III. *operum*. Ven. *labor*. Supprimitur *si* particula, mutaturque tempus. 33) C. 1, 6, 7, 8. *protinus omnem*.

Perlegerent oculis; ni jam praemissus Achates
Afforet, atque una Phoebi Triviaeque sacerdos,
Deiphobe Glauci, fatur quae talia regi:
Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.
Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Praestiterit, totidem lectas de more bidentes.
Talibus affata Aenean (nec sacra morantur
Jussa viri) Teucros vocat alta in templa sacerdos.
Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum;
Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllae.
Ventum erat ad limen, quum virgo, Poscere fata
Tempus, ait; deus, ecce, deus. Cui talia fanti
Ante fores, subito non vultus, non color unus,
Non comtae mansere comae; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: majorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propiore dei. Cessas in vota precesque,
Tros; ait, Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent
Attonitae magna ora domus. Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo:
Phoebe, graves Trojae semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidae; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi, duce te, penitusque repostas
Massylûm gentes, praetentaque Syrtibus arva;

---

34) *Perlegerent* est signatissimum verbum ad artem sculptoriam. 36) C. 1, 8. *Deiphebe.* 37) Parrh. *haec.* Rom. *poscunt.* 38) Juvencos nondum jugum passos, hi enim uni sacrificiis apti erant. Numerus *septem* gratus fuisse Diis putabatur. 39) Plures *ex more.* 40) Goth. I. *moratur.* 41) C. 7. *et Teucros.* 42) C. 8. *rupis ingens latus.* Rott. I. *Excissum.* 43) Aditus, s. meatus subterranei. 49) Incepit videri maior Sibylla illusione daemonis. 50) Non tantum tacta vicini numinis spiritu, sed plena et correpta. 51) Menag. I. *cesses ad v.* 52) C. 6. *Aeneas.* 53) Ven. *magnae.* Domus vocatur attonita, vel quia vocum erumpentium sono, quasi tonitru concutitur, vel quia trepidos facit. 54) Conticuit, quasi regeretur a numine, neque aliter posset. 57) Sprot. *direxit.* Goth. III. *directi.* Apollo sive suo sive Paridis telo Achillem occidit, cuius morte fatum Troiae differebatur. 59) Duce te, quia ipsius oracula saepius de rerum eventu consuluerat. 60) Pro Poenis Massylos tanquam vicinos, et Syrtes tanquam Africae adjacentem oram.

Jam tandem Italiae fugientis prendimus oras.
Hac Trojana tenus fuerit Fortuna secuta.
Vos quoque Pergameae jam fas est parcere genti,
Dîque deaeque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens
Gloria Dardaniae. Tuque, o sanctissima vates,
Praescia venturi, da, non indebita posco
Regna meis fatis, Latio considere Teucros,
Errantesque deos, agitataque numina Trojae.
Tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum
Instituam, festosque dies de nomine Phoebi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.
Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata,
Dicta meae genti, ponam, lectosque sacrabo,
Alma, viros. Foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi.
At, Phoebi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum; tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia jamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras:
O tandem magnis pelagi defuncte periclis!
Sed terra graviora manent. In regna Lavinî
Dardanidae venient; mitte hanc de pectore curam;

---

61) Burm. *fugientes*. 62) Montalb. *fuerat*, Fortuna adversa. 63) Pier. *parcite*. 64 C. 8. *Ilion*. 66) C. 1. *futuri*. 67) Plures *consistere*. 69) C. 1, 7, 8. *templa*. Servius notavit, ad templum in Palatio ab Augusto factum respici, ut Aeneas ex posterorum persona vota faciat. 70) Plur. *Constituam*. Witt. *diis* pro: dies, qui sunt ludi Apollinares ab eodem instituti. 71) C. 1. *nos. pen. regnis*. Significatur locus assignandus in ipsis Jovis Capitolini peretralibus, ubi libri Sibyllini reponerentur. 72) Hamb. II. *tuis sortis*, *Achaica fata*. 73) Parrh. *imponam*. Mentel II. *ponam genti*. 74) Burm. tres *nec c*. Illis temporibus nondum scribebatur in cortice, aut papyro, aut pergameno corio, sed in frondibus tantum arboreis. 76) C. 6. *Ipse*. 77) Sibylla nondum subdita Phoebo, ut ex ipsius arbitrio oracula eloquatur. 78) Rom. et Hamb. II. *posset*. Bacchatur, furit, discurrit. 80) Burm. *rapidum*. Fingitur equus frenis coercitus. 82) Plures *sub auras*. 84) Regionem Italiae, ubi urbs Lavinium. 85) Vratisl. *pone hanc*.

Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella,
Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint. Alius Latio jam partus Achilles,
Natus et ipse dea. Nec Teucris addita Juno
Usquam aberit. Quum tu supplex in rebus egenis
Quas gentes Italûm aut quas non oraveris urbes!
Caussa mali tanti conjunx iterum, hospita Teucris;
Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Qua tua te Fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graja pandetur ab urbe.
    Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera involvens: ea frena furenti
Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor, et rabida ora quierunt,
Incipit Aeneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mî facies inopinave surgit.
Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.
Unum oro. Quando hic inferni janua regis
Dicitur, et tenebrosa palus Acheronte refuso:
Ire ad conspectum cari genitoris et ora
Contingat; doceas iter, et sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas et mille sequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi;
Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnes pelagique minas coelique ferebat

---

86) C. 7. *evenisse velent.* Mentel. I. *volunt.* 88) Comparat vates bella Troiana cum futuris in Italia bellis, ex locorum, personarum, causarumque similitudine. 90) Addere etiam de inflictis verberibus dici potest. 91) Ven. *Usque.* 92) Wall. *erraveris.* 93) Moret I. *Teucri.* Conjunx sc. Lavinia, Turno promissa, ab Aenea expetita, belli auctor erit. 94) Moret. II. *Extremique.* 95) C. 6, *audacior.* 96) C. 1, 6. *Quam* pro ea via, qua. 97) Pand. Pallanteo, urbe Evandri Arcadis. 98) C. 6. *Cymea.* Adyto, s. loco antri intimo. 100) Eventa rerum obscuris verbis prodit. 101) Hamb. I. *Incutit.* Fraena—stimulos etc. sunt metaphorae ductae ab equis et bobus, quorum illi reguntur fraenis atque habenis, hi fustibus impelluntur. 102) Parrh. *Ut tandem.* 104) Burm. *nova non f.* Zul. *surget.* Non inopina, quia Aeneas omnia a patre audierat. 109) Rom. *Contingam.* 111) Bigot. *revelli.* His humeris, e Troiano incendio Graecorumque potestate. 113) C. 1. *omnis pelagique.*

Invalidus, vires ultra sortemque senectae.
Quin, ut te supplex peterem, et tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. Gnatique patrisque,
Alma, precor, miserere; potes namque omnia; nec te
Nequidquam lucis Hecate praefecit Avernis:
Si potuit Manes arcessere conjugis Orpheus,
Threïcia fretus cithara fidibusque canoris;
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties. Quid Thesea, magnum
Quid memorem Alciden? et mî genus ab Jove summo.
  Talibus orabat dictis, arasque tenebat,
Quum sic orsa loqui vates: Sate sanguine divûm,
Tros Anchisiada, facilis descensus Averno;
Noctes atque dies patet atri janua Ditis;
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos aequus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad aethera virtus,
Dîs geniti potuere. Tenent media omnia silvae,
Cocytusque sinu labens circumvenit atro.
Quodsi tantus amor menti, si tanta cupido est,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara; et insano juvat indulgere labori:
Accipe, quae peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus,
Junoni infernae dictus sacer; hunc tegit omnis

---

115) Consultor oraculorum in limine resistebat, et Sibylla in interiore parte erat. 116) C. 7. *Natique.* Hamb. I. *Ille or.* Hugen. *Ipse o.* Pier. aliq. *Id memorans.* 118) Avernus lacus, juxta quem aditus est ad inferos, undique sylvis cinctus erat. 119) Petitionis aequitatem firmat exemplis Aeneas. Orpheus, Thrax, adire potuit inferos, ut conjugem revocaret, Pollux et Castor toties eadem via eunt ac redeunt; Theseus ut Proserpinam raperet; Hercules ut Cerberum. Manes arcessere est advocare. 122) Thesea est accusativus gr.; ille adivit inferos ut Proserpinam. 123) Burm. tres *Alcidemque*, *mihi genus*; sc. filius Veneris, quae Jovis filia. 124) Moret. I. *tenebant.* 125) Al. *Cum*, *Tum*, *Tunc sic.* 126) C. 1, 6, 7, 8. *Anchisiade — Averni.* 128) Mor. II. *gradus.* 129) Aequus s. propitius. 130) Hamb. II. *audens.* Leid. un. *avexit.* Burm. aliq. *in aeth.* 131) Silvae memorantur tenebrarum et caliginis significandae caussa. 132) Al *Cocytos — circumfluit.* Sinum efficit fluvius, cum constringitur inter litora curvata. 133) Hamb. II. *mentis.* 134) Bis; et nunc, et cum aliquando morieris. 135) Labor vehemens, res ardua. 136) Med. *opaco.* 137) C. 8. *Auratis foliis et lento in v.* Ramus aureus cum foliis aureis.

Lucus, et obscuris claudunt convallibus umbrae.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpserit arbore fetus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit. Primo avulso non deficit alter
Aureus, et simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis, et rite repertum
Carpe manu; namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant: aliter, non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Praeterea jacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu nescis) totamque incestat funere classem,
Dum consulta petis nostroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante suis, et conde sepulcro.
Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygios, regna invia vivis,
Adspicies. Dixit, pressoque obmutuit ore.
    Aeneas moesto defixus lumina vultu
Ingreditur, linquens antrum; caecosque volutat
Eventus animo secum. Cui fidus Achates
It comes, et paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone serebant:
Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum,
Diceret. Atque illi Misenum in litore sicco,
Ut venere, vident indigna morte peremtum;
Misenum Aeoliden: quo non praestantior alter
Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.

---

139) C. 7. *Luctus*. Rom. *plaudunt*. 140) C. 6. *aperta*. Dorv. *opaca*, Nemo potest subtus terram penetrare, nisi prius ramum aureum decerpserit. 141) Plures *qui*. 143) Alius ramus crescit in locum avulsi. 144) Medic. *similis*. 146) Bigot. *sequatur*. 147) Rom. *nec v.* Si fatale tibi est, inferos adire. 148) C. 8. *non*. 149) C. 7. *exanimem*. 150) C. 7. *infestat*. Rott. I. *totusque — classe*. 151) Witt. *pendis*. Rom. *pendens*. 152) Sedibus suis terrae, quae proprius est locus mortuorum. 153) C 8. *sumpto*. Piacula alii referunt ad sacrificia, Diis inferis offerenda. 155) Dorv. *immutuit*. Med. *orbe*. 156) Gud. *maestoque affixus*. 157) C. 7, 8. *Egreditur*. 159) Goth. III. *pariter*. Med. *fixit*. Dorv. *firmat*. 160) Al. *ferebant*. 161) C. 6, 8. *exanimum*. 162) C. 7. *Misceno*. 164) Filium eum facit Aeoli, ventorum Dei, quia ad inflandam tubam vento flatuque opus est. 165) Aere, lituum intellige.

Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hasta.
Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Aeneae sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus.
Sed tum, forte cava dum personat aequora concha,
Demens, et cantu vocat in certamina divos,
Aemulus exceptum Triton, si credere dignum est,
Inter saxa virum spumosa immerserat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant,
Praecipue pius Aeneas. Tum jussa Sibyllae,
Haud mora, festinant flentes, aramque sepulcri
Congerere arboribus, coeloque educere certant.
Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceae; sonat icta securibus ilex;
Fraxineaeque trabes, cuneis et fissile robur
Scinditur; advolvunt ingentes montibus ornos.
Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque accingitur armis.
Atque haec ipse suo tristi cum corde volutat,
Adspectans silvam immensam, et sic voce precatur:
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.
Vix ea fatus erat, geminae quum forte columbae
Ipsa sub ora viri coelo venere volantes,

---

167) C. 8. *pugnans.* Tuba recta est, cornu plane incurvum, lituus inter utrumque medius. 168) Dorv. *sp. et armis.* Allusio ad morem militarem, quo spolia detrahuntur. 170) Hamb. II. *interiora*; sed dominum non inferiorem secutus. 171) Concha pro lituo vel tuba. 172) Gud. et Goth. *certamine.* 174) Goth. II. *immerserit.* 175) Attingitur hic mos servatus in funeribus de excitato clamore ab his, qui adessent. 177) Rom. *festinent.* Gud. *sepulcro.* Rogus in modum arae conformari solitus erat. Ara etiam dicitur, quae in honorem heroum excitabatur. 180) Goth II. *acta.* Picea, pini species, resinam ferens, arbor funesta, qua incensa reliquae arbores facile accenderentur. 182) C. 7, 8. *ac volvunt.* Hamb. II. *avellunt.* 183) Parrh. *operi.* 184) Burm. tres *paribus* — securibus, instrumentis lignatorum. 185) C. 7. *hoc.* Witt. *tristis.* 186) C. 1, 6, 7, 8. *forte pr.*, al. *ore*, *sorte*; Aeneas non orat, sed optat. 187) Si pro utinam. 188) Hamb. II. *in alto.* 189) C. 1. *vates de te.* 190) Filio Veneris opportunae sunt hae aves, quae sacrae eidem Deae. 191) Parrh. *e coelo.* Servius notat dictum hoc ex more, quo captantes auguria, certa sibi spatia designarent, quibus volebant videnda ad se pertinere.

Et viridi sedere solo. Tum maximus heros
Maternas agnoscit aves, laetusque precatur:
Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum. Tuque, o, dubiis ne defice rebus,
Diva parens. Sic effatus vestigia pressit,
Observans quae signa ferant, quo tendere pergant.
Pascentes illae tantum prodire volando,
Quantum acie possent oculi servare sequentum.
Inde, ubi venere ad fauces graveolentis Averni,
Tollunt se celeres; liquidumque per aëra lapsae
Sedibus optatis geminae super arbore sidunt,
Discolor unde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet silvis brumali frigore viscum
Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fetu teretes circumdare truncos:
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice; sic leni crepitabat bractea vento.
Corripit Aeneas extemplo, avidusque refringit
Cunctantem, et vatis portat sub tecta Sibyllae.
Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant, et cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem taedis et robore secto
Ingentem struxere pyram: cui frondibus atris

---

192) Montalb. *insedere.* 193) Med. *agnoscat.* Goth. II. *agnovit* columbas, ob foecunditatem Veneri sacras, Aeneae matri. 196) Menag. I. *tuque in d.* 197) C. 7, 8. *uffatus.* C. 6. Gloss. *Diva potens.* 198) Quale augurium. 199) Alludit poeta ad pullorum augurium, quod optimum habebatur, si pascerent pulli. 200) C. 8. *possunt* Med. *acies.* Vratisl. *spectare.* Moret. *sequendo.* 201) Ad os ipsum Averni lacus, qua parte cum Lucrino lacu committitur. 202) C. 7. *liquidum.* 203) C. 6, 7, 8. *gemina.* Sed., s. arbore, quam volatu petierant. Putaverunt veteres prope locos inferos, ac juxta Elysios, fuisse nemus destinatum volucribus piis purisque, a quo omnino rapaces aves obscoenaeque arcerentur. 204) Non tota arbor aurea, sed in ilice viridi, ramus unicus aureus, quo avulso subibat alter. 205) Viscus est species fruticis, politi et glutinosi. 209) C. 7. *crepitabant.* Parrh. *Ilice sub levi.* Bractea, tenuior subtiliorque lamina. 210) Goth. III. *refugit.* Avido citissima quaeque tardiora videntur. 211) Montalb. *votis* 212) Veteres plerumque sepulcra mortuorum collocabant ad maris littora. 213) Cineri, qui moestitiam omnibus creabat. 215) Eo honestius censebatur funus, quo altior et grandior pyra. Frondes eo virore erant saturatae, ut praeferrent atriciem.

Intexunt latera, et ferales ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices et aëna undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis et unguunt.
Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vestes, velamina nota,
Conjiciunt. Pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium, et subjectam more parentum
Aversi tenuere facem. Congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres, et flamma quievit:
Reliquias vino et bibulam lavere favillam,
Ossaque lecta cado texit Corynaeus aëno.
Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi et ramo felicis olivae;
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.
At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Imponit, suaque arma viro, remumque, tubamque,
Monte sub aërio: qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, aeternumque tenet per saecula nomen.
His actis propere exsequitur praecepta Sibyllae.
Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris:
Quam super haud ullae poterant impune volantes
Tendere iter pennis; talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:

---

216) Quaecunque ad mortuos et manes pertinent, dicuntur feralia. Cupressi constitutae sunt ante pyram cum allusione aperta ad Romanum morem. 218) Aena undantia, s. aquam effervescentem in ahenis. Ablui defunctorum corpora ex more fuit. 219) C. 1, 7, 8. *ungunt.* Mortui ungebantur maxime ore. 220) Plures *Cum m.* Inter ceremonias funerales destinabatur tempus quoddam gemendo ac fundendis lacrymis. 221) Ex more, quo purpureus color serviebat mortuorum solennibus. 222) Hamb. II. *periere.* Attingit morem, quo defuncti humeris portabantur. 223) Subj. ten., s. subjiciunt. 224) Bigot. *Coniecta.* Faces in ministerio mortuorum fuisse notum est. 225) Menag. II. *Aurea.* 227) Vini usum in hoc funere inducit Virgilius, ut laventur ossa. 228) Franc. *leta.* Zulic. *lapsa.* Mor. II. *cavo.* 230) II. *circumvenit.* Aqua instar roris aspersa et oliva fertilis, cuius ramum ad sacra pertinuisse notum est. 232) Quo maius sepulcrum, eo honestius fuit 233) Plures *imposuit.* 237) Spelunca Averno imminens. 241) Goth. III. *infundens.*

[Unde locum Graji dixerunt nomine Aornon.]
Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos;
Et, summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris, libamina prima,
Voce vocans Hecaten, Coeloque Ereboque potentem;
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue super oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem, primi sub lumina solis et ortus,
Sub pedibus mugire solum, et juga coepta moveri
Silvarum, visaeque canes ululare per umbram,
Adventante dea. Procul o, procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco;
Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum;
Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se immisit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem passibus aequat.
Dî, quibus imperium est animarum, Umbraeque silentes,
Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte tacentia late,
Sit mihi fas audita loqui; sit numine vestro

---

242) C. 7, 8. *Avernum.* Al. cod. deest hic vers. 243) Med. *primus.* Notat speluncam alludens ad ritum, quo Diis inferorum sacra fiebant in scrobibus. 244) C. 7, 8. *immergit.* pro infundit. 245) Rom. *summa.* 246) C. 7. *imposuit.* 248) Hamb. I. *trepidum.* 250) C. 7. *Eumelidum.* Mater Eum. est Nox, quae ipsas ex Acheronte peperit. Soror Noctis est Terra; nox enim terrae umbra est. 252) Rom. *regni.* Sacrificium noctu fit. 253) Solida viscera s. totam victimam. 254) C. 1, 6, 7, 8. *superque oleum fundens.* 256) Goth. III. *nigra coepta.* 257) Plures *visique.* Canes inferni Hecaten comitantur. 258) Oudart. *Adveniente*, sc. Proserpina. Profani, scelesti, non expiati, sacris non initiati. 259) Sprot. *Conclamant.* 260) Eripe ad fuganda, quae deinceps occurrent, spectra. 262) C. 7. *affata.* 263) Dorv *tumidis.* 264) Bigot. *silentum.* Dii, sc. Pluto et Proserpina. 265) C 1, 7, 8. *silentia.* Chaos, ex quo Nox et Erebus natus, est rudis et confusa moles. Phlegeton, infernus fluvius, ad terrorem prae caeteris nominatus est. 266) Venia numinis vestri.

Pandere res alta terra et caligine mersas.
Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas, et inania regna:
Quale per incertam Lunam sub luce maligna
Est iter in silvis, ubi coelum condidit umbra
Jupiter, et rebus nox abstulit atra colorem.
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae;
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, et malesuada Fames, ac turpis Egestas:
Terribiles visu formae: Letumque, Labosque;
Tum consanguineus Leti Sopor, et mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum,
Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens: quam sedem Somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.
Multaque praeterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllaeque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernae
Horrendum stridens, flammisque armata Chimaera;

---

267) Medic. *altas.* Res omnes inferorum unis tenebris, et caligine celebratae. 268) C. 6. *umbras.* Gud. *obscura soli.* Goth. II. *obscura sola.* 269) Domos, quas habitant umbrae leves, et corporis expertes. Datur inanitas locis inferis, quia ibi solum animae. 270) Alii Lunam cum Sole coniunctam, tumque minime lucentem: alii nubibus interclusam. Lucem parcam et tenuem intelligunt. 273) Vestibulum est area, quae viam a domo dividit, estque ante portam aedium. Orcus vel est locus inferorum, in cuius faucibus erant hae pestes, vel Pluto ipse. 276) Fames, quae suadet rapinas, scelus. Egestas non est paupertas. 277) C. 7. *Laborque.* 278) Mors et Somnus sunt liberi Noctis. Voluptas ex perpetratis sceleribus percipi solita. 279) C. 7. *adversum.* Hamb. II. *monstriferum.* 280) Eum. thal. non sunt cubicula nuptialia, sed ubi Furiae vel natae sunt, vel ubi decumbunt. 282) Menag. II. *In medium.* Montalb. *In medios.* Parrh. *tendit.* 283) Somnia sub ulmo somnum conciliante sunt vana et cassa. 284) Eo tempore, quo cadunt levia arborum folia, vana esse somnia dicitur. 286) *In for.*, in primo aditu. Centauri sunt monstra, superiore parte humana, inferiori equina. Scyllae superne puellari specie, quae in belluam marinam desinit. 287) Centum brachiis instructus Gigas, Coeli et Terrae filius. 288) Chimaera est monstrum ignivomum, cui caput leonis, pectus hirci, cauda serpentis.

Gorgones, Harpyiaeque, et forma tricorporis umbrae.
Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
Aeneas, strictamque aciem venientibus offert,
Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formae,
Irruat, et frustra ferro diverberet umbras.
Hinc via, Tartarei quae fert Acherontis ad undas:
Turbidus hic coeno vastaque voragine gurges
Aestuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon: cui plurima mento
Canities inculta jacet; stant lumina flamma;
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba,
Jam senior; sed cruda deo viridisque senectus.
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimûm heroum, pueri innuptaeque puellae,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum:
Quam multa in silvis auctumni frigore primo
Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus amnis
Trans pontum fugat, et terris immittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripae ulterioris amore.
Navita sed tristis nunc hos nunc accipit illos:
Ast alios longe submotos arcet arena.

---

290) Dorv. *trepida.* 291) Montalb. *effert.* 292) Animas immortales, separatas a corpore, et sic a vulnerum et mortis periculo immunes. 293) C. 6, 8. *cavae.* Sub forma corporis inani. 294) Plures *deverberat.* 295) C. 6. *undam.* Hug. *umbras.* Sprot. *qua fert* Stygis, infimi inferorum loci, ad undas. 299) Charon, Erebi et Noctis filius, qui minime est gaudens. 300) C. 1, 8. *flammae*; pro sunt lum. flammea. 302) Continet semper navem in adversam partem fluminis, ne praeceps labatur secundo amne. 303) C. 7. *subvertat.* Ven. *subnectit.* 304) Crudum est, quod nondum coepit flavescere. 305) Hug. *emissa.* 309) Tam multi, quam etc. 311) C. 6, 7. *fr· annus.* 312) Leid. un. *portum f.*, *et campis im. apr.*, s. soli expositis. 313) Transire navigatione. 314) Goth. I. *manu.* 316) Hamb. I. *illos* submovet in littore.

Aeneas, miratus enim, motusque tumultu,
Dic, ait, o virgo, quid vult concursus ad amnem?
Quidve petunt animae? vel quo discrimine ripas
Hae linquunt, illae remis vada livida verrunt?
Olli sic breviter fata est longaeva sacerdos:
Anchisa generate, deûm certissima proles,
Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem,
Dî cujus jurare timent et fallere numen.
Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est;
Portitor ille, Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, volitantque haec litora circum:
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.
Constitit Anchisa satus, et vestigia pressit,
Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.
Cernit ibi moestos et mortis honore carentes,
Leucaspim, et Lyciae ductorem classis Oronten:
Quos, simul a Troja ventosa per aequora vectos,
Obruit Auster, aqua involvens navemque virosque.
Ecce gubernator sese Palinurus agebat.
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multa moestum cognovit in umbra,
Sic prior alloquitur: Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis, medioque sub aequore mersit?
Dic age. Namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo:
Qui fore te ponto incolumem, finesque canebat
Venturum Ausonios. En haec promissa fides est?

---

317) Goth. II. *miseratus.* 318) Zul. *conversus* 319) C. 7. *aut.* 320) Plures *vertunt*; recedunt non admissae in cymbam. 323) Cocytus, flumen apud inferos, non longe ab Acheronte fluit, aqua insuavissima. 325) Parrh. *cernit.* 327) C. 8. *nec rauca.* Bigot. *Non r.* 328) Navem trans amnem portare. 330) C. 7. *stagna admissi.* 331) Med. *Anchisae.* 332) Med. *animi m.* 334) C. 6, 7. *Orontem.* C. 8. *Leucaspin.* 335) Goth. III. *vento super aeq.* 338) Hamb. II. *servans.* Non mari Lybico, sed Tyrrheno, quia e Lybia in Italiam Aeneas navigans, in Siciliam deflexerat. 344) Heins. duo *derisit.* Rott. I. *dilusit.* 346) Burm. *Ausonias. An* hic eventus,

Ille autem: Neque te Phoebi cortina fefellit,
Dux Anchisiada, nec me deus aequore mersit.
Namque gubernaclum multa vi forte revulsum,
Cui datus haerebam custos, cursusque regebam,
Praecipitans traxi mecum. Maria aspera juro,
Non ullum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne, spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Tres Notus hibernas immensa per aequora noctes
Vexit me violentus aqua; vix lumine quarto
Prospexi Italiam summa sublimis ab unda.
Paullatim adnabam terrae: jam tuta tenebam;
Ni gens crudelis madida cum veste gravatum,
Prensantemque uncis manibus capita aspera montis,
Ferro invasisset, praedamque ignara putasset.
Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.
Quod te per coeli jucundum lumen et auras,
Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli:
Eripe me his, invicte, malis; aut tu mihi terram
Injice, namque potes, portusque require Velinos;
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diva creatrix
Ostendit (neque enim, credo, sine numine divûm
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem),
Da dextram misero, et tecum me tolle per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.
Talia fatus erat, coepit quum talia vates:

---

348) C. 6, 7. *Anchisiade.* Apollo me non submersit. 350) Plures *cursumque.* 352) C. 8 *Non nullum tantum pro me.* 353) Armis, pro gubernaculo, unde magister excussus erat. 355) C. 1, 6, 7, 8. *Tris.* Hibernas s. asperas noctes, licet ver erat aestati proximum. 358) Quod satis erat, ut impleta videretur fides oraculorum, quae ambigua solent esse. Non tamen legitur in Aeneide, quonam oraculo promissus Aeneae fuerit appulsus in Italiam. 360) Leid. *Pressantemque.* 361) Oudart. *petisset.* Praedam, naufragum divitem, in quo spoliando multum lucri facere possent. 362) C. 1. *habent.* Plures *in littora.* 363) Parrh. *At te.* Hamb. II. *limen.* 364) C. 1. *spem.* 365) Burm *at tu.* Centum annos errabant inhumati, nec admittebantur in Elysium, nec in alia corpora revertebantur. 366) Injectio glebae erat genus sepulturae, cum quis in cadaver incidisset. Portus non longe ab urbe Velia, in litore Lucaniae, inter promontoria Posidium ac Palinurum. 367) Gud. et Rott. *si qua tibi.* 368) Pier. aliq. *crede.* 369) Burm. tres *pares.* Bigot. *intrare.* 370) Bigot. *umbras.*

Unde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum
Eumenidum adspicies, ripamve injussus abibis?
Desine fata deûm flecti sperare precando.
Sed cape dicta memor, duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longe lateque per urbes
Prodigiis acti coelestibus, ossa piabunt;
Et statuent tumulum, et tumulo solemnia mittent;
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curae emotae, pulsusque parumper
Corde dolor tristi; gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant;
Navita quos jam inde ut Stygia prospexit ab unda
Per tacitum nemus ire, pedemque advertere ripae,
Sic prior aggreditur dictis, atque increpat ultro:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias; jam istinc et comprime gressum.
Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporae;
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque,
Dîs quamquam geniti atque invicti viribus essent.
Tartareum ille manu custodem in vincla petivit,
Ipsius a solio regis traxitque trementem:
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quae contra breviter fata est Amphrysia vates:
Nullae hic insidiae tales; absiste moveri;
Nec vim tela ferunt, Licet ingens janitor antro

---

374) Franc. *Tum*. Severum quidem omnibus, sed praecipue tibi, si contra fas ante centum annos eum trajicere volueris: aderant enim tibi tum ultrices Furiae, Eumenides. 375) C. 1, 7, 8. *adibis*. Cerda *ripave*. Plur. *invisus*. 380) Al. *Instituent*, et inferias ferent. 382) C. 8. *amotae*. 385) Pluribus deest *ut*. Medic. *conspexit*. 386) C. 8. *pedesque*. 387) Rom. *alloquitur*. 388) C 1. *limina*; al. *littora*. Gud. *tendens*. 389) C. 7. *isthic*. 390) Manes dici umbras notum est. 395) Custodem Cerberum, qui non ad solium Plutonis, sed in ipso aditu inferorum est. 396) Parrh. *e solio*. 397) Dominam Proserpinam. 398) Multi *Quem*. Amphrysia s. Apollinea vates, quia Apollo vocatur Pastor ab Amphryso, fluvio Thessaliae, ubi greges pavit. 399) Plures *hinc*. 400) Licet per Aeneam.

Aeternum latrans exsangues terreat umbras;
Casta licet patrui servet Proserpina limen.
Troius Aeneas, pietate insignis et armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.
Si te nulla movet tantae pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum, qui veste latebat)
Agnoscas. Tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgae, longo post tempore visum,
Caeruleam advertit puppim, ripaeque propinquat.
Inde alias animas, quae per juga longa sedebant,
Deturbat, laxatque foros; simul accipit alveo
Ingentem Aenean. Gemuit sub pondere cymba
Sutilis, et multam accepit rimosa paludem.
Tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque
Informi limo glaucaque exponit in ulva.
    Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro.
Cui vates, horrere videns jam colla colubris,
Melle soporatam et medicatis frugibus offam
Objicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit objectam, atque immania terga resolvit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Aeneas aditum custode sepulto,
Evaditque celer ripam irremeabilis undae.
    Continuo auditae voces, vagitus et ingens,
Infantumque animae flentes in limine primo:

---

402) Hamb. I. *patruum—limen.* Rom. *patruis.* Proserpina, Cereris filia ex Jove, tenuit januam clausam, domum interiorem. 404) Goth. III. *in undas* Erebus vel Deus, vel locus inferorum profundissimus. 407) Bigot *quiescunt.* 410) Color datur navibus, ut mari et undis. 411) Juga s. scamna nautrica. 412) C. 8. *alvo.* C. 7. *fores.* Alveo, non fluvii, sed cymbae. 414) Cymba s. e corio pellibusque consutis, s. e juncis contexta. 415) C. 1, 6. 7. *incolumes.* 418) Witt. *resonans.* 420) Plures *saporatam.* Offa placentae species fuit, ex edulibus rebus diversis mistis subactisque ita confectae, ut vim soporificam haberet. 421) Burm. *rapida*, quod vero non innuit rabiem canum. 422) Canes non tam sumunt, quam rapiunt cibum. 423) Erf. *tutoque.* 424) Somno sepulto. 427) Interpretes aiunt primum limen et partem inferorum assignari infantibus, ut qui vix limen vitae attigerint.

Quos dulcis vitae exsortes, et ab ubere raptos,
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
Hos juxta falso damnati crimine mortis:
Nec vero hae sine sorte datae, sine judice, sedes.
Quaesitor Minos urnam movet; ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.
Proxima deinde tenent moesti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu, lucemque perosi
Projecere animas. Quam vellent aethere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!
Fas obstat, tristique palus inamabilis unda
Alligat, et novies Styx interfusa coercet.
Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, et myrtea circum
Silva tegit: curae non ipsa in morte relinquunt.
His Phaedram Procrinque locis, moestamque Eriphylen
Crudelis nati monstrantem vulnera, cernit,
Evadnenque, et Pasiphaën; his Laodamia
It comes, et juvenis quondam, nunc femina, Caenis,
Rursus et in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phoenissa recens a vulnere Dido
Errabat silva in magna: quam Troïus heros,

---

428) Rapi dicuntur infantes, qui cadunt aetate tenera. 429) Pier. aliq. *una dies.* 431) Judices inferorum tres praecipue statuuntur. 432) C. 7. *urna.* Judex quaesitionis sortitur judices, tum citat reos ad judicium, audita utriusque partis oratione et testibus interrogatis. 435) Insontes vitae taedio. 436) Med. *Quas.* 438) C. 1, 6, 8. *Fata obstant.* 439) C. 8. *nonies — cohaeret.* Styx saepius flexibus suis regna infera ambire dicitur. 440) Plures *hic.* Menag. II. *infusi.* 441) Burm. duo *ducunt* Veteres putabant, Cocytum lugentium fletu et lacrymis increscere. 442) Al. *Hinc, Hi.* Dorv. *peregit.* Plures *peremit.* 443) Ed. Ven. *servant colles.* 444) Hamb. II. *ipsae.* Burm. binis deest *in.* 445) Phaedram, Minois filiam, Thesei uxorem. Procrin, Erechthei Atheniensium regis filiam, uxorem Cephali. Eriphylen, Amphiarai, vatis Argivi, uxorem. 446) Parrh. *funera.* Goth. III. *vidit.* 447) C. 1, 6, 7, 8. *Pasiphen.* C. 7, 8. *Laudomia.* Evadnen, Martis filiam, uxorem Capanei Argivi. Laodamia Acasti filia, uxor Protesilai. 448) C. 6. *Caeneus.* C. 7. *Ceneus.* Goth. III. *Est comes.* Caenis, Elati Lapithae filia. 449) Mentel. I. *fati.* Rom. *revocata.*

Ut primum juxta stetit, agnovitque per umbram
Obscuram, qualem primo qui surgere mense
Aut videt, aut vidisse putat per nubila Lunam,
Demisit lacrimas, dulcique affatus amore est:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat, exstinctam, ferroque extrema secutam;
Funeris heu tibi caussa fui? Per sidera juro,
Per superos, et, si qua fides tellure sub ima est,
Invitus, regina, tuo de litore cessi.
Sed me jussa deûm, quae nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt, noctemque profundam,
Imperiis egere suis; nec credere quivi
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque adspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis? extremum, fato quod te alloquor, hoc est.
Talibus Aeneas ardentem et torva tuentem
Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat;
Nec magis incepto vultum sermone movetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
Tandem corripuit sese, atque inimica refugit
In nemus umbriferum: conjunx ubi pristinus illi
Respondet curis, aequatque Sychaeus amorem.
Nec minus Aeneas, casu percussus iniquo,
Prosequitur lacrimans longe, et miseratur euntem
    Inde datum molitur iter. Jamque arva tenebant
Ultima, quae bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis
Parthenopaeus, et Adrasti pallentis imago.

---

452) Al. *umbram*. 455) C. 7. *Dimisit*. C. 8. deest *est*. Rom. *lacrimans*. 462) Loca aspera et horrida. 464) C. 8. *laborem*. 467) Primo torve aspexit, mox solo fixit oculis, tum denique avertit. 468) Franc. *lacrimisque*. 469) C. 7. *infixos oc. adversa*, quod ad animum infensum refertur. 470) C. 7. *incerto*. 471) Marpesia cautes, mons marmoreus in insula Paro, una e Cycladibus. 472) Heins. *corripuit*. 473) Hug. *postumus*. 474) Rott. II. *amores*. 476) C. 6. *lacrimis — miseratus euntem est*. Dorv. *Persequitur*. 477) C. 6. *tenebat*. 479) C. 1, 8, 7. *inclitus*. C. 6. *inclytus*. Tydeus, Oenei Aetolorum regis filius, dux belli Thebani. 480) Zul. *bellantis*. Parthenopaeus, Atalantae et Meleagri filius, Arcadibus imperavit. Adrastus rex Argivorum, socer Tydei et Polynicis, qui magno amisso exercitu obsidionem Thebarum omittere coactus est.

Hic multum fleti ad superos belloque caduci
Dardanidae: quos ille omnes longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque,
Tres Antenoridas, Cererique sacrum Polyphoeten,
Idaeumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animae dextra laevaque frequentes.
Nec vidisse semel satis est; juvat usque morari,
Et conferre gradum, et veniendi discere caussas.
At Danaûm proceres, Agamemnoniaeque phalanges,
Ut videre virum, fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu: pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates; pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantes.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.
Vix adeo agnovit pavitantem, et dira tegentem
Supplicia; et notis compellat vocibus ultro:
Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri,
Quis tam crudeles optavit sumere poenas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama suprema
Nocte tulit fessum vasta te caede Pelasgûm
Procubuisse super confusae stragis acervum.

---

481) Plures *Hi — caduci*, cadentes, mortui. 482) Hamb. I. *ipse*. Dardanidae, Troiani. 483) C. 7. *Meduntaque*. Glaucus, Hippolochi filius, Bellerophontis nepos, Lyciorum dux cum Sarpedone. Thersilochus, inter duces Paeonum, ex Macedonia Thraciae confini, occisus est ab Achille. 484) C. 1, 8, 7. *Tris Antenorides*. C. 6, 7, 1. *Poliboeten*. C. 7. *Cereri sacrum*. Filii Antenoris Polybus, Agenor, Acamus ad pugnam Hectoris et Aeneae socii descenderunt. Polyboetes graecus, Pirithoi filius. 485) C. 8. *adhuc currus*. Idaeus auriga fuit, et armiger Priami regis. 486) Gud. *frementes*. 488) Plures *poscere c*. 489) Phalanx agmen proprie Macedonum fuit, constans octo peditum millibus, qui consertis clypeis pressisque ordinibus pugnant. 494) C. 1. *Priamidem*. Witt. *Atque ibi*. Hamb. I. *totum*. 495) C. 1, 7. *Deiphoebum videt*, *et* etc., qui Priami filius, post mortem Paridis Helenae maritus. 499) Supplicia s. vulnera. 500) C. 7. *Deiphoebo*, ut semper. C. 6. *alto sang*. C. 1. *Teucrum*. 501) Optavit, ausus est. 503) Gud. *fusum*. 504) Burm. quatuor: *caedis ac*. Te obcubuisse pugnando.

Tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem
Constitui, et magna Manes ter voce vocavi.
Nomen et arma locum servant. Te, amice, nequivi
Conspicere, et patria decedens ponere terra.
Ad quae Priamides: nihil o tibi, amice, relictum;
Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris.
Sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae
His mersere malis; illa haec monumenta reliquit.
Namque, ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti; et nimium meminisse necesse est.
Quum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama, et armatum peditem gravis attulit alvo:
Illa, chorum simulans, evantes orgia circum
Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat
Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me, confectum curis somnoque gravatum
Infelix habuit thalamus, pressitque jacentem
Dulcis et alta quies placidaeque simillima morti.
Egregia interea conjunx arma omnia tectis
Emovet, et fidum capiti subduxerat ensem;
Intra tecta vocat Menelaum, et limina pandit.
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? irrumpunt thalamo; comes additus una

---

505) C. 7. *Retheo.* Serv. *Hunc.* Rhoeteum et Sigeum, Troadis promontoria fuere duo, in Hellespontum excurrentia; in hoc sepulchrum Achillis, in altero illud Ajacis fuit. Tumulus inanis s. honorarius statuebatur iis, quorum corpora haberi non poterant. 506) *Voce vocavi* non est pleonasmus, sed significat *clamavi.* 507) Servant, monumentum dant, s. locus servat arma et nomen. 508) Ponere, humare. Al. *discedens*, al. *descendens.* 510) Funeris, cadaveris. 511) Lacaenae, Helenae Lacedaemoniae, quae cessit in nuptias Deiphobo, statuente hoc Priamo. 512) C. 6, 7. *monimenta*, Gl. indicia in me sceleris sui. 514) C. 7. *Et gerimus.* Ed, Ven. *Degimus, ut nosti.* 515) Supergressus est equus, postquam diruti fuerant muri. 516) C. 7. *intulit.* 517) Evantes Bacchae dictae sunt, Bacchi comites foeminae. Helena ea nocte simulavit se sacra Bacchi celebrare circa equum, ac tum facibus, quae erant in ministerio horum sacrorum, Graecis signum dedit. 520) C. 7. *Tunc.* Heins. duo: *Cum.* 524) C. 8. *Amovit.* Apud veteres moris fuit, gladium et arma appendi ad caput dormientium, ut essent ad manum, si egerent. 525) Parrh. *Inter.* 527) Sprot. *veterem.* 528) Homerus narrat, Vlyssem dedisse se comitem interfectoribus Deiphobi. Plures *thalamos*; c. *additur.*

Hortator scelerum Aeolides. Dî, talia Grajis
Instaurate, pio si poenas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Attulerint. Pelagine venis erroribus actus,
An monitu divûm? an quae te Fortuna fatigat,
Ut tristes sine sole domos, loca turbida, adires?
Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Jam medium aetherio cursu trajecerat axem;
Et fors omne datum traherent per talia tempus;
Sed comes admonuit, breviterque affata Sibylla est
Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas:
Dextera, quae Ditis magni sub moenia tendit;
Hac iter Elysium nobis: at laeva malorum
Exercet poenas, et ad impia Tartara mittit.
Deiphobus contra: Ne saevi, magna sacerdos;
Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis.
Tantum effatus, et in verbo vestigia torsit.
    Respicit Aeneas subito, et sub rupe sinistra
Moenia lata videt, triplici circumdata muro:
Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnae;
Vis et nulla virûm, non ipsi exscindere ferro
Coelicolae valeant. Stat ferrea turris ad auras;
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,

---

529) Aeolides, nomen Vlyssi probrosum. 530) Retribuite, si poenas justas posco. Facta est haec imprecatio ex opinione veterum, qui putabant animas seiunctas a corpore, corporeis adhuc affectibus retineri. 533) Fortuna infesta. Hamb I. *aut q.* 534) C. 7. *domus.* 535) Al. *sermonem.* Reg. *Ac v.* 536) C. 7. *transjecerat.* Jam medius dies est. 537) Franc. *traheret.* 538) C. 8. *Sibylla affata est.* 540) C. 6. *fundit.* C. 1. *ducit.* C. 8. *scindit.* 541) Moenia Ditis, sc. Plutonis regiam. 542) C. 7. *ac laev.* Rom. *Hic iter.* Fr. Vat. *Haec.* Men. II. *et l.* 544) C. 1, 7, 8. *Deiphoebus*, ut semper. 545) Interpretationes sanissimae esse videntur: redibo ad umbras purgatorias, vel sine modo explebo orationis meae, quam incoepi, numerum et periodum. 547) Men. II. *affatus.* Rom. et Med. *vest. pressit.* 549) Moenia s. significant locum muris inclusum, s. munimenta arcis. 552) Columnae, postes. 553) C. 6, 7. *ut.* C. 7. *excidere.* C. 1. *exc. bello.* 554) Turris, aedificium altum, carcer aut ergastulum. 555) Moret. II. *sedet.*

Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, et saeva sonare
Verbera; tum stridor ferri, tractaeque catenae.
Constitit Aeneas, strepitumque exterritus hausit.
Quae scelerum facies? o virgo, effare; quibusve
Urguentur poenis? qui tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui: Dux inclute Teucrûm,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen;
Sed, me quum lucis Hecate praefecit Avernis,
Ipsa deûm poenas docuit, perque omnia duxit.
Gnosius haec Rhadamanthus habet durissima regna,
Castigatque auditque dolos; subigitque fateri,
Quae quis apud superos, furto laetatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo sontes ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans angues, vocat agmina saeva sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacrae
Panduntur portae. Cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quae limina servet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Saevior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse
Bis patet in praeceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum Terrae, Titania pubes,

---

556) Vestibulum pro aditu. Rom. *insomnis.* 557) Sonare hic significat furorem. Pier. *sonore.* 558) In toto hoc tractu humanus carcer repraesentatur. Hamb. I. *cum.* Ed. Ven. *tortaeque.* 559) Rom. *haesit.* 561) C. 1, 7, 8. *Urgentur poenis? quis.* Plures *clangor ad aures* 562) C. 1, 6, 7, 8. *inclite.* 563) Ideo limen sceleratum, quia est sedes Furiarum. 565) Oudart. *Illa d.* Al. *Ipsa loci*, vel *loqui*, vel. *reum p.* 566) Ven *hic.* Rhadamanthus supplicium sumit, et quaestionem tormentis admotis habet in reos ad exprimendam scelerum confessionem. 567) Dolos, scelera dolo malo commissa. 568) Furtum dicitur, quidquid clam committitur; inane, quia Deo notum est, et post mortem punitur 570) Flagello armantur Furiae. 571) Thisiphone altera manu serpentes, altera titionem quatit, et maxime ultrix dicitur. 572) *Intentans*, in quo verbo sunt minae et peculiaris quidam furor. Agmina sc. Furiarum. 573 Bigot et Goth. II. *horrifico.* Witt. *ordine.* Gud. *sacra.* Rott. II. *serae.* 576) Hydra hic significat serpentem monstruosum. 577) Intus, intra portam. 578) Goth III. *sub auras.* 579) Tam profundus est Tartarus, quantus est conspectus spatii a terra ad coelum. 580) C. 7. *Titanea proles*, Titanis ac Terrae filii, gigantes.

Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
Hic et Aloidas geminos, immania vidi
Corpora: qui manibus magnûm rescindere coelum
Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis.
Vidi et crudeles dantem Salmonea poenas,
Dum flammas Jovis et sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, et lampada quassans,
Per Grajûm populos, mediaeque per Elidis urbem
Ibat ovans, divûmque sibi poscebat honorem,
Demens! qui nimbos, et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit; non ille faces, nec fumea taedis
Lumina; praecipitemque immani turbine adegit.
Nec non et Tityon, Terrae omniparentis alumnum,
Cernere erat, per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur; rostroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tondens fecundaque poenis
Viscera rimaturque epulis habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque?
Quos super atra silex jam jam lapsura cadentique
Imminet adsimilis? Lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae

---

581) Ed. Ven. *deiectum*. Rom. *deiecit*. 582) C. 7. *Aliodas*. C. 1. *Aeolidas*, Otum et Ephialtem Neptuni liberos ex Iphimedia, Aloei uxore. 585) C. 7. *Vidi ut*. Salmoneus, Deucalionis Elidensis, vel Aeoli filius, certe in Elide regnavit, Peloponnesi maritima et occidentali regione. 586) C. 1. *tonitrus*. 587) Ignis agitatione augetur. 588) Men. I. *mediamque*. Franc. *medioque*. 590) Parrh. *et inevitabile*. 591) C. 1, 6, 7. *cursu simularat*. Burm. duo *aere cornupedum*. Plures *cursu simulabat*. 593) Hamb. I. *fumida tectis*. 594) Turbine pro fulmine. Parrh. *corpore*. Ed. Ven. *abegit*. 595) Tityus Jove natus et Elara Orchomeni filia: quam cum Jupiter vitiasset, Junonis metu occultavit in terra, unde erumpens Tityus gigantea specie, Terrae filius creditus est: ideo a Virgilio alumnus eius, non filius dicitur. Hic ab Apolline sagittis interfectus est, quod Latonae vim parasset. 597) C. 6. *ab unco*. C. 8. *adunco*. 598) Al. *tundens*. 599) Jecur, quod renascitur ad novum supplicium, ut iterum erui possit. 601) C. 1, 8. *Perithoumque*. Lapithae sunt immanis Thessaliae gens, quorum rex est Ixion, qui ob tentatam Junonis pudicitiam rotae apud inferos alligatus est. 602) C. 8. *cadenti*. Rom. *Quo super*. 603) Gen. toris, quales lecti nuptiales. 604) Fulcra sunt lectorum sustentacula et pedes.

Regifico luxu; Furiarum maxima juxta
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,
Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti;
Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, quae maxima turba est;
Quique ob adulterium caesi; quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi poenam exspectant. Ne quaere doceri,
Quam poenam; aut quae forma viros fortunave mersit.
Saxum ingens volvunt alii, radiisve rotarum
Districti pendent; sedet, aeternumque sedebit,
Infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
Discite justitiam moniti, et non temnere divos.
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit, fixit leges pretio atque refixit.
Hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos.
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina possim.
Haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos:
Sed jam age, carpe viam, et susceptum perfice munus;
Acceleremus, ait. Cyclopum educta caminis

---

606) Heins. et Burm. *mensam*. 607) C. 6. *Exurgatque*. C. 6, 8. *increpat ore*. Zul. *faces*. 608) Ed. Ven. *Hi*. 610) Repertis, paratis, quia soli, ideo cruciantur. 611) Menag. I. deest *est*. Suis, sc. cognatis, tribuerunt. 612) Anna impia bellorum civilium. 613) Domini non modo libertorum, sed et servorum. Pier. *dextram*. 614) C. 8. *expendunt*. 615) Franc. *mergat*. 616) C. 6, 7. *radiisque*. Omnes alligant Ixionem huic carnificinae. 617) C. 6, 7. *Destricti*. 618) Theseus et Pirithous, amicitia conjunctissimi, dicuntur inferos adiisse, ut inde Proserpinam raperent. Phlegyas, Ixionis et Coronidis, e qua Aesculapium Apollo suscepit, pater, qui eius templum Delphis incendit. 621) Tyrannum liberae civitati induxit. 622) Leges in aes incisae fixis tabellis in publico proponebantur, quae, cum avellerentur, dicebantur refigi. 623) C. 7. *thalamos natae inv*. 624) C. 1. *ausuque p*. 630) C. 7. *Acceleramus*. Cyclopibus cudendi ferri muniendarumque urbium inventio tribuitur. Educta, quasi ferro ducta, quod fit in fornacibus.

Moenia conspicio, atque adverso fornice portas,
Haec ubi nos praecepta jubent deponere dona.
Dixerat, et pariter, gressi per opaca viarum,
Corripiunt spatium medium, foribusque propinquant.
Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere divae,
Devenere locos laetos, et amoena vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos aether et lumine vestit
Purpureo; solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palaestris,
Contendunt ludo, et fulva luctantur arena;
Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.
Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum;
Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis,
Ilusque, Assaracusque, et Trojae Dardanus auctor.
Arma procul currusque virûm miratur inanes.
Stant terra defixae hastae, passimque soluti
Per campos pascuntur equi. Quae gratia curruum
Armorumque fuit vivis, quae cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

---

631) Moenia, s. palatium Plutonis et Proserpinae. Porta ipsis proprie erat adversa. 632) C. 6. *Hic – monent dep. dona*, Proserpinae dicanda. 636) Burm duo *sparsit.* Hamb. I. *ponit.* Spargit aqua vel symbolice ad introitum templi, vel quia pollutus aspectu Tartari, vel quia sacrum munus Proserpinae offert. 637) Goth. III. *perfectis.* 638) Elysium erat locus piis apud inferos destinatus, deliciis omnibus affluens. Vireta sunt loca herbarum arborumque viriditate amoena. 640) C. 8. *et aether.* Plures *campus.* Aether liberior, nulla caligine obductus. 641) Solem Elysio suum, praestantiorem nostro. 642) Multi *exercet.* Palaestra tam pro ludo, quam pro loco ludis addicto sumitur. 644) Rott. I. *ducunt.* Gud. *dicant.* 645) C. 7. *Trartius*, Orpheus. Habitus musicus fuit olim demissus ad pedes 646) Numerosis cantibus personat citharam. Notum est, heptachordon fuisse veteribus lyram citharamque. 647) C 6. *pictine.* 649) C. 6. *M. proceres*, nati de heroum atque etiam de aurea aetate. 651) C. 6. *mirantur.* 652) Vulgo *terrae.* 653) C. 1, 6, 7, 8. *campum — currûm.* Gratia est voluptas. 654) Goth. III. *ruentis.* 655) Tellure reposti sunt, qui in ventre ipso et visceribus terrae.

Conspicit, ecce, alios dextra laevaque per herbam
Vescentes, laetumque choro Paeana canentes,
Inter odoratum lauri nemus: unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.
Hic manus, ob patriam pugnando vulnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, et Phoebo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artes,
Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfusos sic est affata Sibylla;
Musaeum ante omnes: medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exstantem suspicit altis:
Dicite, felices animae, tuque, optime vates:
Quae regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
Venimus et magnos Erebi tranavimus amnes.
Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus: lucis habitamus opacis,
Riparumque toros et prata recentia rivis
Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas,
Hoc superate jugum; et facili jam tramite sistam.
Dixit, et ante tulit gressum, camposque nitentes
Desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.
At pater Anchises penitus convalle virenti
Inclusas animas, superûmque ad lumen ituras,

---

656) C. 8. *herbas.* 657) Paean fuit hymnus, isque duplex: alter in honorem Martis, qui solebat ante pugnam cani, alter in honorem Apollinis, qui post victoriam; unde laeti quilibet quorumcunque Deorum hymni Paeanes etiam dicti. 659) Eridanus est fabulosus amnis in India. 660) Bigot. *passa.* 661) C. 7. *maneret.* Sacerdotes, qui sacra pure ac pie curarunt. 664) C. 7. *aliquos*; al. *alios.* Magnae illae et divinae animae, quae de genere humano bene meritae sunt. 665) Dorv. *his una.* 667) Goth. *med. iam.* Musaeus Eleusinius Atheniensis, Orphei discipulus, carminum heroicorum scriptor, floruit sub Cecrope secundo Atheniensium rege. 668) C. 7. *suscipit.* Veteres dabant defunctis corporis proceritatem ad terrorem viventium. 669) Burm. tres: *Discite.* 671) C. 1, 7, 8. *transnavimus.* 673) Men. I. *Nulli est.* 674) Parrh. *virentia*, propter vicinas aquas. 675) Multi *voluptas.* 676) Goth. III. et Franc. *superare.* Pier. *f. vos tr.* Ven. *ducam.* Jugum est porrectio ac clivitas, qua itur ad verticem, ubi est cacumen. 677) Men. II. *gressus.* 678) C. 1. *dein.* Dorv. *Et super.* Multi *ostentant*, *ostendit.* Ven. *linquit.* Franc. *linquent.* 679) Plures *in* vel *cum valle.* 680) Hamb. I. *Inclusasque.* Plur. *ad limen.*

Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Forte recensebat numerum, carosque nepotes,
Fataque, fortunasque virûm, moresque, manusque.
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Aenean, alacris palmas utrasque tetendit;
Effusaeque genis lacrimae; et vox excidit ore:
Venisti tandem, tuaque exspectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua; et notas audire et reddere voces?
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Tempora dinumerans; nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras et quanta per aequora vectum
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyae tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua tristis imago,
Saepius occurrens, haec limina tendere adegit;
Stant sale Tyrrheno classes. Da jungere dextram,
Da, genitor; teque amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
  Interea videt Aeneas in valle reducta
Seclusum nemus, et virgulta sonantia silvis,
Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem.
Hunc circum innumerae gentes populique volabant;
Ac, veluti in pratis, ubi apes aestate serena
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur, strepit omnis murmure campus.
Horrescit visu subito, caussasque requirit

681) Recolens, recensens et addiscens futura facta et res fortiter gestas. 683) Franc. *Factaque.* 684) C. 7. *Is.* 685) C. 7. *alacres.* 688) C. 7. *dirum.* 690) C. 6. *animum.* 691) Mor. I. *denumerans.* 694) Justus de Didonis amoribus metus, ne iis ab Italia removeatur filius. 696) C. 7, 8. *adire coegit.* Mor. I. *cogit adire.* 699) Pier. *rigabant.* 700) Non contentus verbis, non lacrymis, ruit in paternos amplexus; sed frustratur ab amplexu: nam nullum ibi Anchisae corpus, tantum umbra, simulacrum, imago. 701) Multi *compressa.* Hamb. II. *conata.* 703) C. 7. *Aen. vidit.* 704) C. 1, 6. *silvae.* Dorv. *Et clusum.* Rom. *Reclusum.* 705) Lethe in finibus Elisii praeterfluit. 707) C. 7. *velut.* 708) In C. 6. hic vers. sequenti postponitur. 710) Hamb. II. *visus.*

Inscius Aeneas, quae sint ea flumina porro,
Quive viri tanto complerint agmine ripas.
Tum pater Anchises: Animae, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethaei ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram
Jampridem, hanc prolem cupio enumerare tuorum:
Quo magis Italia mecum laetere reperta.
O pater, anne aliquas ad coelum hinc ire putandum est
Sublimes animas, iterumque in tarda reverti
Corpora? quae lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem; nec te suspensum, nate, tenebo;
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.

Principio coelum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitaeque volantum,
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
Igneus est ollis vigor et coelestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque; neque auras

---

712) Multi *Quidve*, *Quique—complerunt*, *complerent*. 714) Non omnes animae in alia corpora redibant. 715) Rom. *portant*. Ex oblivione malorum tranquillitas oritur, cuius comes securitas est. 717) C. 1. *prolem hanc*. C. 6, 7. *numerare meorum*. Rott. II. *memorare*. 718) Multi *laetare*. 719) C. 7. *putandum* sine *est*. 720) C. 1, 6, 7, 8. *ad tarda*. Nobiles animae in inferno esse non possunt. 721) C. 7. *cupido est*. Men. I. *miserae*. Cupido saepe sumitur pro cupiditate. 724) Coelum est aer — campi liquentes sunt mare. 725) Goth. III. *Tithonia*; pluralis pro singulari positus est; sol fuit unus e Titanibus. 726) C. 7. *unus*. Fr. Vatic. *tutamque in fuca*. Leid. *effusa*. 727) Anima mundi, qui sub corporis specie repraesentatur, omnia permeat; ex illa omnia vitam habent. 728) Goth. II. et Rom. *volucrum*. 730) Plur. *illis*. Ed. Commelin. *olli*. Goth. II. *c. imago*. His animabus ex anima mundi inest ignea vis et aetherea natura. 731) C. 1. *corp. nox*. Quandoquidem vim div. flammae obtundunt. 732) Fr. Vat. *Terrhenique*. 733) G. 7. *nec auras*. C. 1. *cupiunt*, *gaudentque*, *dolentque*. Ex terrestri natura contrahunt animi quatuor illos affectus.

Dispiciunt clausae tenebris et carcere caeco.
Quin et supremo quum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeae excedunt pestes; penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanes
Suspensae ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur Manes; exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci laeta arva tenemus:
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aetherium sensum, atque aurai simplicis ignem.
Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores, supera ut convexa revisant
Rursus, et incipiant in corpora velle reverti.
Dixerat Anchises, natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios turbamque sonantem,
Et tumulum capit, unde omnes longo ordine possit
Adversos legere, et venientum discere vultus.
Nunc age, Dardaniam prolem quae deinde sequatur

---

734) C. 8. *Respiciunt* Ed. Mediol. *Suspiciunt.* Corpus vinculis animi tenebrisque adsimilatur, quibus ille obfuscatur, et a libera rerum contemplatione retrahitur. 735) C. 6, 7. *relinquit.* Plures *supremum cum lumen.* Purgationes fiunt operosae aqua, aere, igni, in locis inferis. 736) C. 6. *Nec t.* 738) Oudart. *coniuncta.* Inolescere est simul crescere, vel ab alo, quod simul alitur; vel a soleo, quod simul esse solet. 739) Animae ex diuturna cum corporibus coniunctione multa inquinamenta contrahunt; unde triplici purgatione expiantur. 740) Dorv. *penduntur.* 743) Burm. tres *patitur.* Supplicia haec nostrum omnium manes patiuntur; purgatio ista subeunda est omnibus; Manes sunt Dii inferi. 744) Burm. *mittitur.* Pauci fruebantur Elysii voluptatibus. 745) In hoc Elysio fruebantur animae quiete perfectissima post mille annos. 746) C. 7. *relinquit.* 747) C. 1, 7, 8. *Aethereum.* Mentem illam ex aethere deductam, qui est ignis purissimus. 748) Men. I. *rotas.* Parrh. *evolvere.* Postquam animae hac sua beatitate per annos mille in Elysio potitae sunt, evocantur ad generationem aliam, aliamque cum novo corpore coniuctionem. 752) C. 7. *Sibylla.* 754) C. 6, 7. *posset.* 755) Mont. *Adversas.* Fr. Vat. *adversus.* Discere est cognoscere animas ex adverso incedentes. 756) C. 7. *sequetur.* Ostendit Anchises Aeneae posterorum suorum clarissimos.

Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illustres animas, nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, et te tua fata docebo.
Ille, vides, pura juvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca; primus ad auras
Aetherias Jtalo commixtus sanguine surget
Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles:
Quem tibi longaevo serum Lavinia conjux
Educet silvis regem, regumque parentem:
Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Trojanae gloria gentis,
Et Capys, et Numitor, et qui te nomine reddet
Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si unquam regnandam acceperit Albam.
Qui juvenes quantas ostentant, adspice, vires!
At, qui umbrata gerunt civili tempora quercu,
Hi tibi Nomentum, et Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
[Laude pudicitiae celebres, addentque superbos]
Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque.
Haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae.

---

757) Exspectandi sint de nova stirpe in Latio. 758) Animae ex nostra gente futurae. 760) Hasta pura erat antiquioribus sceptrum, regum et heroum insigne. 762) C. 7. *Italo mixtus de s.* Med. *surgit.* 763) Reges Albani communi nomine Sylvii appellati sunt. 764) Longaevus non de sene, sed de immortali. 765) Med. *Educit.* 766) C. 7. *nostrum Longa.* 767) C. 7. *Procax.* Qui proximus tunc in Elysio apparebat, non qui proximus erat Sylvio successurus. 768) C. 6, 7. *reddat.* Capys fuit unus e comitibus Aeneae, qui Capuam condidit. 770) Aeneas Sylvius fraude tutoris regno spoliatus, non nisi anno aetatis 52. regnum adeptus, illud tamen annis 31. tenuit. 771) Medic. *iuvenis.* Ven. *ostentent.* Priscianus et Zul. *ostendant.* Viri forti et valido corpore animi virtutem prodentes. 772) Corona quercea dabatur ob cives in pugna servatos. 773) Nomentum, nunc Lamentano, milliaribus duodecim Roma dissitum ad septentrionem. Gabii urbs inter Romam et Praeneste media, decem circiter milliaribus utrinque distans, ad orientem, nunc omnino diruta. Fidena, quinque milliaribus Roma dissita, ad septentrionem, nunc Castel Giubileo. 774) Erf. *Hinc.* Collatia, non multo remotior, in illis collibus sita, qui inter viam Praenestinam, et laevam Anienis ripam visuntur. 775) C. 1, 8. abest hic vers. 776) Suessa Pometia urbs Volscorum fuit, non Latinorum; ast horum colonia fuit Castrum Jnui. Bola, oppidum Aequorum, jam Plinii tempore sine vestigiis interierat. Cora, urbs Volscorum, non longe a Pometia. 777) C. 8. *numine gentes.*

Quin et avo comitem sese Mavortius addet
Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. Viden' ut geminae stant vertice cristae,
Et pater ipse suo superûm jam signat honore?
En, hujus, nate, auspiciis illa incluta Roma
Imperium terris, animos aequabit Olympo,
Septemque una sibi muro circumdabit arces,
Felix prole virûm: qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Laeta deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes coelicolas, omnes supera alta tenentes.
Huc geminas nunc flecte acies; hanc adspice gentem
Romanosque tuos. Hic Caesar, et omnis Iuli
Progenies, magnum coeli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Augustus Caesar, Divi genus: aurea condet
Saecula qui rursus Latio, regnata per arva
Saturno quondam; super et Garamantas et Indos
Proferet imperium; jacet extra sidera tellus,
Extra anni Solisque vias, ubi coelifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Hujus in adventum jam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divûm, et Maeotia tellus,

778) C. 7. *addit.* Avo comitem, Numitori, Procae filio, per Amulium fratrem regnis pulso, addet se ultorem nepos Romulus Martis filius, et Iliae Numitoris filiae. 779) Cristae jubae sunt equinae, plumae versicolores, galearum cono impositae. Verbum *geminae* modo ad ornatum maiorem additum est. 780) C. 6. *stent* 781) C. 7. *insignat honorem.* Pater, vel Mars eum sui superumque honoris participem facit, vel Jupiter eum suo honore insignit. 782) C. 1, 6, 7. 8. *inclita.* Burm. *nata.* 783) Animos sc. Romanorum. 785) Cybele, mater Jovis et plurium Deorum, per Phrygiam invecta, pro terra sumitur. 786) Huius Deae initia fuere in Phrygia, quo lapsam e coelo scribunt. 788) C. 7. *super.* 790) Julius Caesar est caput gentis Juliae. 793) C. 7. *Divum.* Octavianus Julii sororis nepos. 795) Vel intellige veros Indos, vel Aethiopicos. Garamantae sunt interioris Africae populi, victi a. L. Cornelio Balbo. 796) Ultra sidera s. Zodiacum, qui solis cursu conficitur. 797) C 6. *Extra annos — Lucifer Atlans* axem, s. coelum, sustinet torquentem et vertentem. 798) Hamb. 1. *humeris.* 799) C. 8. *adventu.* Populi circa mare Caspium, imprimis Hircani, et Bactriani sub Parthis degentes. 800) C. 1. *Moetia.* C. 8. *Moeotica*, Gloss. *Meotica.* Scythae ad paludem Maeotidem et Aegyptii trepidant, quia et ipsi, qui perturbantur, turbas faciunt.

Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit;
Fixerit aeripedem cervam licet, atque Erymanthi
Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu:
Nec, qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysae de vertice tigres.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?
Quis procul ille autem ramis insignis olivae
Sacra ferens? nosco crines incanaque menta
Regis Romani; primus qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis et paupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriae, residesque movebit
Tullus in arma viros, et jam desueta triumphis
Agmina. Quem juxta sequitur jactantior Ancus,
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.
Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, fascesque videre receptos?
Consulis imperium hic primus saevasque secures
Accipiet; natosque pater, nova bella moventes,
Ad poenam pulchra pro libertate vocabit,

---

801) Cerda *tumida* propter incrementum Nili. 802) C. 1. *obibat.* Rom. *obibit.* 803) C. 1. *aeripidem.* Plures *Fixerat.* Virgilius elegit ex Herculis factis aprum in Erymantho Arcadiae monte vivum captum; hydram in Lerna palude, Mycenas inter et Argos, interfectum. 804) C. 8. *Placaret.* 805) Bacchi s. Liberi tres statuuntur, ut Nysa urbs in Aegypto Arabiae vicina, urbs ad montem Merum, et denique alterum e Parnassi culminibus. 807) C. 1. *ext. vires.* 808) Goth. II. *terras.* 809) Numa Pompilius coronatur oliva, pacis signo, et consideratur ut religionum conditor. Eum a prima aetate canum fuisse, afferunt interpretes. 811) C. 1, 6, 7, 8. *primam.* 812) C. 7. *Fundabat.* Sprot. *pravis.* 813) Med. *Qui.* Numae subibit Tullus. 814) Men. I. *rumpit.* 815) C. 7. *etiam.* Hugen. *devicta.* Tullus Hostilius rex Albano bello pacem abrupit, quod excepit gravis pestilentia, ob quam avertendam sacra dum Jovi facit, ictus fulmine cum tota domo conflagravit. 816) Ancus Martius rex, Numae nepos ex filia, multa fecit in populi commoda. 817) C. 6. *Hunc q.* Hamb. I. *gaudet.* Med. *arvis.* Mor. II. *armis.* 818) Tarquinios Corinthio oriundos. 819) Brutus Tarquinii superbiam et Sexti libidinem ultus est. Fasces recepti innuunt purpuram et alia summae potestatis insignia. 821) Zul. *b. gerentes.* Titus et Tiberius, Bruti filii, securi percussi sunt patre jubente.

Infelix! Utcunque ferent ea facta minores;
Vincet amor patriae laudumque immensa cupido.
Quin Decios, Drusosque procul, saevumque securi
Adspice Torquatum, et referentem signa Camillum.
Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animae nunc, et dum nocte prementur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitae
Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt!
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci
Descendens, gener adversis instructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella,
Neu patriae validas in viscera vertite vires.
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo;
Projice tela manu, sanguis meus.
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, caesis insignis Achivis.
Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,
Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli:
Ultus avos Trojae, templa et temerata Minervae.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat?

---

823) Goth. II. *ferant.* Vulgo *fata.* 825) Rom *Brutosque.* Deciorum tres pro republica vitam devoverunt. Cognomen Drusorum illatum fuit in familiam Liviam, ob Drusum, Gallorum ducem, ab uno aliquo eius familiae trucidatum. 826) T. Manlium intelligit, qui a. 393 ob detractum Gallorum duci a se occiso torquem, inde Torquati nomen in familiam intulit; ter Consul fuit, ter Dictator, tertio consulatu triumphavit de Latinis a 414. Q. Furius Camillus quinquies dictator fuit, quater triumphavit a. 387. 827) Par. armis, sc. uterque Romanus. 828) Vulgo *premuntur* nocte, s. ante ingressum vitae. 829) C. 1. *limina.* 830) Rott. III. *quantis.* Burm. *stragesque.* 831) C 1, 8. *Menoethi.* Pompeius Juliam, Caesaris filiam, in matrimonio habuit. Arx Monoeci, Monaco, in ora maritima Liguriae, et ipso Alpium maritimarum initio. 832) Puget. *Discedens* 833) Puget. *adnectite.* 834) Goth. I. *Heu p. invalidas.* Montalb. *vertere.* 836) Julius Caesar a Julo Ascanio et Venere originem ducebat, hinc sanguis meus. 837) Corinthus urbs Graeciae nobilis — Capitolium fuit templum Jovis Romae. 838) Al. *currus.* Achivi sunt populi septentrionales Peloponnesi, ad occidentem Corinthi. 839) Eruet, vincet Argos et Mycenae pro regno ipso Argolico totaque illa regione usurpantur 840) C. 1, 8, 7. *Achillis.* 842) C. 7. *relinquet.* Rom. *Conse.* Goth III. *Colse.* Cato major, Tusculo oriundus, e Portia gente obscura, ob prudentiam veneratus est. Aulus Cornelius Cossus, occiso Larte Volumnio Veientium rege, opima eius spolia Jovi Feretrio secunda consecravit, cum Romulus prima dedicasset.

Quis Gracchi genus? aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyae? parvoque potentem
Fabricium? vel te sulco, Serrane, serentem?
Quo fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius aera;
Credo equidem; vivos ducent de marmore vultus;
Orabunt caussas melius, coelique meatus
Describent radio, et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hae tibi erunt artes; pacisque imponere morem,
Parcere subjectis, et debellare superbos.
Sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit:
Adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes!
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet, eques sternet Poenos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.
Atque hic Aeneas; una namque ire videbat
Egregium forma juvenem et fulgentibus armis,
Sed frons laeta parum, et dejecto lumina vultu:
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?

---

843) Gud. *bello*. Gracchorum clarissimus Tiberius Sempronius fuit, qui praetor de Hispania citeriore triumphavit. 844) P. Cornelius Scipio Africanus maior et P. Corn. Scipio Aemilianus Afric. minor, maioris nepos, ex familia Pauli Aemilii Macedonici per adoptionem assumptus, Consul ante aetatem favore populi renuntiatus est. 845) Fabricius bis consul fuit, bis triumphavit. L. Quinctius Cincinnatus cognomen Serrani habuit. 846) Rom. *Quo gressum*; sed me fessum longa oratione. Q. Fabius Maximus, Cunctator dictus, quinquies Consul, semel Censor, bis Dictator, bis Princeps senatus, bis triumphavit. 847) C. 7, 8, 6. *restitues*; al. *restituet*. 848) Witt *molibus*. Artem regnandi propriam Romanorum comparat cum gentium aliarum artibus. 849) C. 7. *et vivos*. 851) Moret. II. *Describunt radio*, s. virga mathematica. 853) C. 8. *pacique*. Romani volebant videri moderati et clementes erga victos. 855) M. Claud. Marcellus, plebeiae familiae, quinquies Consul, bello Punico secundo claruit. 858) Tumultu, sc. imminente bello Gallico in Italia. 859) Marcellus, peditatu relicto, equitatu ad maiorem celeritatem oppressit Gallos. 862) C. 1, 6. *juvenem forma*. sc. Marcellum, Augusti ex sorore nepotem. 863) C. 7. *parum, dej*. Vat. fr. *fraus*. 865) C. 7. *an*.

Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso est!
Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.
Tum pater Anchises, lacrimis ingressus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quaere tuorum;
Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria haec si dona fuissent.
Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quae, Tiberine, videbis
Funera, quum tumulum praeterlabere recentem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos; nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus jactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
Dextera! non illi se quisquam impune tulisset
Obvius armato, seu quum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu, miserande puer! si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis, et fungar inani
Munere. Sic tota passim regione vagantur
Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.
Quae postquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famae venientis amore:
Exin bella viro memorat quae deinde gerenda,
Laurentesque docet populos, urbemque Latini;
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.

---

866) C. 7. *Quis — ipso*, sine *est*. Quae similitudo! 867) Nox pro morte. 870) C. 7. *facta*, *nec*. Indicat M. Marcellum, Octaviae sororis Augusti filium ex C. Marcello. 872) Plures *superis*. 874) Erit gemitus in funere Marcelli. 875) Mausoleum Augusti in Campo Martio ad ripam Tiberis, quod sexto suo consulatu exstruxerat. 877) Ed. Ven. *In tantam spem*. Rom. *spes*. Witt. *In tanta spe*. 878) C. 6. *jactabat*. 879) Deplorat spem tot insignium virtutum cum eo juvene sepultam 882) Armos pro equo generatim. 883) Si qua ratione fatorum ordinem dissolvas. 886) Al. *Hic*. Med. *inanis*. 887) C. 7. *vagatur*. 888) In Elysio, vel quia aereum, vel quia inanibus umbris habitatum. 889) Montalb. *Quem*. 892) Quae bella gerenda cum Laurentibus s. Latinis. 893) Goth. I. *Et quocunque*.

Sunt geminae Somni portae: quarum altera fertur
Cornea; qua veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto;
Sed falsa ad coelum mittunt insomnia Manes.
His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna:
Ille viam secat ad naves, sociosque revisit;
Tum se ad Cajetae recto fert limite portum.
Ancora de prora jacitur; stant litore puppes.

---

894) Cum emittendus esset Aeneas e locis inferis alia porta, quam qua ingressus erat, incidit Virg. in duplices Somni portas, quibus veteres Somnia prodire luserant. 895) Dorv. *Cornua.* Somniorum genus est, quo mortuorum Umbrae somniantibus se obferunt. 898) C. 7. *ibi.* 900) C. 7. *manes,* Gloss. *naves.* Viam secat, quasi sulco pedum ducto. 901) C. 6, 7. *littore portum.*

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER SEPTIMUS.

Tu quoque litoribus nostris, Aeneïa nutrix,
Aeternam moriens famam, Cajeta, dedisti;
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.
At pius exsequiis Aeneas rite solutis,
Aggere composito tumuli, postquam alta quierunt
Aequora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Adspirant aurae in noctem, nec candida cursus
Luna negat; splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxima Circaeae raduntur litora terrae,
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu, tectisque superbis

LIBER SEPTIMUS.

1) Ea parte regni Neapolitanici, quae dicitur Gaeta, urbs cum sinu et promontorio. 3) C. 8. *sedes.* 4) C. 1, 6. *signant.* Hesperia s. Italia. 7) C. 1. *reliquit.* Gud. *portusque.* 8) C. 8. *aurae.* C. 7. *cursum.* Sub noctem ventus secundus increbrescit, et luna favet navigationi. 10) Circes insula est notum Latii promontorium ob domus opulentiam; hinc tecta superba. 11) Silva, quam raro accedunt homines. 12) Neutrum pro activo.

Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum,
Vincla recusantum, et sera sub nocte rudentum;
Setigerique sues, atque in praesepibus ursi
Saevire, ac formae magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie dea saeva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.
Quae ne monstra pii paterentur talia Troes
Delati in portus, neu litora dira subirent:
Neptunus ventis implevit vela secundis;
Atque fugam dedit, et praeter vada fervida vexit.

Jamque rubescebat radiis mare, et aethere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Quum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus, et in lento luctantur marmore tonsae.
Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amoeno,
Verticibus rapidis, et multa flavus arena,
In mare prorumpit. Variae circumque supraque
Assuetae ripis volucres et fluminis alveo
Aethera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis terraeque advertere proras
Imperat, et laetus fluvio succedit opaco.

---

13) C. 7. *adoratam*. Leid. *ad lim*. Plures *nocturno in lumine*. Circe urit taedam e cedro, quae arbor cariem non sentit, et unde oleum exprimitur. 14) C. 6, 7. *tenuis*. Telae pro trama, quam textrix percurrit tectine. 15) C. 1. *Hic*. 16) Proprium est asinorum rudere. 18) Franc. *forma*, pro lupis. 19) Dicitur Circe potu medicati liquoris et virgae tactu mutasse homines in feras. 20) Pluribus abest *in*. 21) C 7. *talia proles*. Bigot. *patiantur*. 25) Rubor in exoriente aurora creberrimus, item in mari. 26) C. 8. Sine *in*. 27) Posuere vel se, vel flatus. 28) C 7. *tonsi*. Mentel. I. *luctatur*, vento cessante, qui navem ageret. Marmor pro mari. Tonsae sunt imae remorum partes, quas vocant palmulas; dicuntur tonsae a tundendis fluctibus. 29) Zul. *hinc*. Menag. II. *ingenti*. Lucus est locus, ubi Aeneas post longissimam navigationem descendit. 30) Tiberinus est fluvii Deus. 31) C. 8. *multus* C. 7. *verticibus*. 32) C. 8. *perrumpit*. Moret. *praecipitat*. 33) C. 7. *alvo*. 34) *Mulcebant* congruit avibus, ut blandis natura. 36) Opaco, propter arbores ripam hinc inde inumbrantes. Succedit, quasi hospitio acceptus Aeneas ab fluvio.

Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Quum primum Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam, et primae revocabo exordia pugnae.
Tu vatem, tu, diva, mone. Dicam horrida bella;
Dicam acies, actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam. Major rerum mihi nascitur ordo;
Majus opus moveo. Rex arva Latinus et urbes
Jam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. Fauno Picus pater; isque parentem
Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor.
Filius huic, fato divûm, prolesque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta juventa est.
Sola domum et tantas servabat filia sedes,
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno e Latio totaque petebant
Ausonia; petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus, avis atavisque potens: quem regia conjux
Adjungi generum miro properabat amore;
Sed variis portenta deûm terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu servata per annos:
Quam pater inventam, primas quum conderet arces,
Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus,
Laurentesque ab ea nomen posuisse colonis.

---

37) Erato, Musa, versibus praeest amatoriis. 38) Mor. I. *antiquus.* Latium novum et vetus erat. 40) Exordia pugnae, sc. venatione cervi. 41) Franc. *Tum.* 42) C. 7. *aeroque.* Goth I. *aptosque.* 43 C. 7 *totam sub* Tyrrhenam, Etruscam. 44) Hoc loco videtur innui molimen grande et difficultas. 46) Dorv. *placidus* Hamb. II. *in bella gerebat.* 47) C. 8. *Nunc* Leid. I. *ex nympha.* Leid. II. *Larente.* Bigot *Mirica*, uxor Fauni s. Fatueli, quam poeta appellat Laurentem, quod nomen a vicinis locis petitum est. Verbum *Faunus* derivatur a fando, vaticinando. 48) C. 6. *Fauni.* Parrh. *patrisque parentem.* 52) Erat in domo paterna unica haeres et filia, sc. Lavinia, quae demum Aeneae nupsit. 54) C. 8. *magno ex.* Rott. III. *Multi iam* 55 C 7. *Insonia.* Mor. II. *ante omnes p. unus.* 56) C. 1, 8 *conjunx.* Turnus. Rutulorum rex, Dauni et Veniliae filius. 57 C. 8. *probabat.* Bigot *magno p.* Goth. III. *p. honore.* 59) C. 1. sine *in.* Plures *t. in medio, in p.* 61) C. 7. *primam.* 63) C. 6, 7. *Laurentisque.* Herodianu libro I. a copia arboris ait nomen inditum Laurentibus.

Hujus apes summum densae (mirabile dictu)
Stridore ingenti liquidum trans aethera vectae,
Obsedere apicem; et, pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, et partes petere agmen easdem
Partibus ex isdem, et summa dominarier arce.
Praeterea, castis adolet dum altaria taedis,
Ut juxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa (nefas longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalesque accensa comas, accensa coronam,
Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri:
Namque fore illustrem fama fatisque canebant
Ipsam; sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris, oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea: nemorum quae maxima sacro
Fonte sonat, saevamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italae gentes, omnisque Oenotria tellus,
In dubiis responsa petunt. Huc dona sacerdos
Quum tulit, et caesarum ovium sub nocte silenti

---

64) Med. *av. talamum.* Vrat. *ap. lauri dense.* Bigot. *m. visu.* Examen apum laurum insidens est inter dira omina. 65) C. 8. *aequora.* 66) Mor. II. *Consedere.* 67) Ramo frondente, ex disciplina apum: reges enim, cum primum novo vere examen creatur, arborem occupant. 68) C. 7. *aeternum.* 69) C. 1. *partis.* 70) Dorv. *eisdem.* Apes e Tyrrheni maris partibus venerant Laurentum, insederant lauri apicem. 71) C. 7. *Propterea.* C. 7. *e castris.* Altaria domesticorum Deorum. 72) C. 7. *Et juxta.* 73) Foeminae non solum flavitiem comarum, sed etiam longitudinem in laude habent. 74) Flamma crepitans est bonum omen. 75) C. 1. *Regalisque.* 76) Hamb. II. *lumina fulva.* Corona Laviniae non solum aurea, sed etiam gemma auro inserta. 77) Menag. II. *ac totum Vulc*, sc. ignem. 78) C. 8. *dictu.* C. 7. *Hoc vero.* C. 7. *horrendum visu.* 79) C. 1. *canebat.* 80) C. 6. *Ipsa.* C. 7. *protendere.* Hugen. *telum.* 81) C. 6. *monstrorum.* 83) C. 7. *Albinea*, quae est fons profundissimae altitudinis. 84) C. 1. *mephitin.* Medic. *saevumque.* Arus. *servamque.* Mentel. *exaltat.* Mephitis est gravis odor, ex sulfure aquarum exsurgeus. 85) C. 7. *Hic.* Oenotrii dicuntur Itali ab Oenotre, Sabinorum rege. 86) Goth. I. *resp. ferunt.* 87) C. 1, 6, 7, 8. *Contulit.* Voss. *Attulit.* Sacra necromantica fiebant noctu.

Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit:
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.
Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentes,
Atque harum effultus tergo stratisque jacebat
Velleribus. Subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis;
Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferent, quorumque ab stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Adspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Haec responsa patris Fauni, monitusque silenti
Nocte datos, non ipse suo premit ore Latinus;
Sed circum late volitans jam Fama per urbes
Ausonias tulerat, quum Laomedontia pubes
Gramineo ripae religavit ab aggere classem.

Aeneas, primique duces, et pulcher Iulus,
Corpora sub ramis deponunt arboris altae;
Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis, (sic Jupiter ille monebat)
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumtis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,

---

88) Dorv. *Pellicibus.* 89) Mor. II. *pallentia.* 91) Acheron est inferorum fluvius — Averna eorum ostia. 92) C. 7. *tunc* Mor. I. *Sic et.* Rott. II. *dum.* Latium complectebatur Aborigines, Rutulos, Laurentes, Volscos etc. 93) C. 6. *bidentis.* Goth. II. *mactarat.* Rott. II. *mactavit.* 94) Pier. *earum.* Goth. II *latebat* 95) C 7. *subitis.* 96) C. 7. *Non crede.* 97) Pluralis pro singulari ad augendam dignitatem positus est. 98) C. 1, 8. *venient.* C. 7. *veniant.* 99) C. 6, 1, 7. *ferant.* C. 6. *a st.* C. 7. *in stirpe.* 100) C. 7. *quae Sol.* Magnitudo futuri romani imperii hic ostenditur. 102) Pier. *Haec praecepta.* 103) Men. I. *N. suos.* 104) C. 7. *orbes.* 105) A Laomedonte, Troiano rege. 109) C. 1, 6, 7, 8. *herbas.* Adorea liba, placentas ex frumento purissimo. 110) C. 6, 7. *ipse monebat*, animis, ut ita facerent, subjiciebat. 111) Solum, quod cuique rei sustendandae supponitur, quia Ceres Dea panis est. 112) Ven. *Cons. iam forte epulis.* 113) Penuria eius, quod edendum esset.

Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:
Heus! etiam mensas consumimus? inquit Iulus.
Nec plura alludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus,
Vosque, ait, o fidi Trojae salvete Penates.
Hic domus, haec patria est. Genitor mihi talia, namque
Nunc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit:
Quum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas:
Tum sperare domos defessus, ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Haec erat illa fames; haec nos suprema manebat,
Exitiis positura modum.
Quare agite, et primo laeti cum lumine solis,
Quae loca, quive habeant homines, ubi moenia gentis,
Vestigemus, et a portu diversa petamus.
Tunc pateras libate Jovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat, et Geniumque loci, primamque deorum

---

114) Violare, frangere, comminuere. Cerdanus ait, placentae figuram rotundam quidem, sed lineis duabus decussatim in medio signatam, itaque quatuor veluti quadris distinctam fuisse. 115) Bigot. *crustae*. 116) C. 7. *heu*. Plures *consumsimus*. 117) Adludens, jocans. Pueris Aegyptiorum inest vis divinandi. 118) Menag. I. *primumque*. Finem, sc. Troianis. 119) Ven. *Corripuit*. Parrh. *num. dixit*. Goth. III. *n. possit*. Stupefactus divina quadam oraculi solutione. 121) C. 7. *Vos quoque*. 122) C. 7. *haec d., hic p. est*. Aliis *est* deest. Attribuitur genitori, quae locuta Harpyia. 123) Parrh. *f. a. canebat*. Anchisae partes vaticiniorum interpretandorum dantur. 125) Plures *Ambesis*. Bigot. *Assumptis*, gl. consumtis. 126) C. 6. *domus*. Ed. Ven. *defixus*. 127) Franc. *tecto*. 128) C. 8. *vos*. Men. et Goth. II. *erit*. Ed. Ven. *monebat*, sc. Anchises. Rom. *manebant*. Fames praedicta non solum ab Harpya Caeleno, sed etiam ab Anchisa. 129) Exitiis, aerumnis. 130) C. 1, 6. *primum*. Mor. II. *limine*. Posterae lucis initio. 131) Burm. duo *habitant*. Goth. III. *grais*. 133) Puget. *notate*. Hic consecrari patrem a filio iam Lactantius animadvertit. 134) Ponite. 135) C. 8. *fatus*. C 7. *affatus*. Burm. tres *tem. lauro*. 136) Juxta Hesiodum post Chaos prima Deorum Terra genuit Coelum.

Tellurem, Nymphasque, et adhuc ignota precatur
Flumina; tum Noctem, Noctisque orientia Signa;
Idaeumque Jovem, Phrygiamque ex ordine Matrem,
Invocat; et duplices Coeloque Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens ter coelo clarus ab alto
Intonuit, radiisque ardentem lucis et auro,
Ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem.
Diditur hic subito Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem, quo debita moenia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras laeti statuunt, et vina coronant.
Postera quum prima lustrabat lampade terras
Orta dies, urbem et fines et litora gentis
Diversi explorant; haec fontis stagna Numici,
Hunc Thybrim fluvium, hic fortes habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad moenia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes;
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora; festinant jussi, rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat moenia fossa,
Moliturque locum; primasque in litore sedes,
Castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.

---

137) C. 7. *Nymphas, et.* 138) Rom. *noctique.* Parrh. *horrentia.* Nox prognata e Chao, et parens Diei atque Aetheris; noctu signa s. astra apparere incipiunt. 139) Jovem natum in Ida, Cretae monte, et educatum in Dictaeo eiusdem antro. Ex ordine, s. deinceps. Mater Cybele in Phrygia. 140) Duplices, sc. Venerem inter Deos, Anchisen inter Manes. 141) C. 1 *Sic pater.* Fulmen coelo sereno cadens, modo fausti, modo infausti ominis. 142) Goth. II. *et antro.* 143) *Manu quatiens* indicat fulmina, quae una cum tonitru emicuerunt e fulgente illa nube. 144) C. 1, 6, 7, 8. *Deditur.* Plures *ag. murmur.* Dido est spargo, distribuo. 145) C. 1. *condent.* 146) Zul. *ordine.* Bigot. *agmine.* 147) Coronatio vini innuitur, cum vel implentur vino pocula, vel reipsa cinguntur floribus. 148) Pier. *primo.* 149 C. 7. *orbem.* 150) C. 7. *hic.* Men. I. *Diversa*; sed euntes quisque in diversa. Fontem Numici fluvii inter Laurentum et Ardeam sacrum fuisse Annae Perennae, veteres aiunt. 151) Rott. I. *hinc.* 153) C. 8. *angusta.* 154) Heins. *ramos, ramo,* sc. olivae, Palladi sacrae. 155) Rott. I. *viros.* 157) Moenia, s. locum ad orientalem Tyberis ripam, paulo supra maris litus, cui nomen Trojae novae Virg. dedit ex Livio et Dionysio Hal. 158) Moliri, exstruere. 159 C. 6. *pennis* pro muris — aggere pro vallo, quod fossam ab interiori parte ambit.

Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri, et primaevo flore juventus,
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus;
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt:
Quum praevectus equo longaevi regis ad aures
Nuntius ingentes ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat, et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis et religione parentum.
Hic sceptra accipere, et primos attollere fasces
Regibus omen erat; hoc illis curia templum,
Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italusque, paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant; aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaque praeterea sacris in postibus arma,

---

160) C. 8. *latinum.* C. 7. *tecta Lavini.* Gud. *emensis.* Mentel. *Latini.* Ed. Ven. *tecta domorum.* 161) C. 1. *murosque.* Gud. *m. propinquant.* 162) Bigot. *primoque in fl.* 163) Gud. *Exercetur.* 165) C. 7. *cum torquent* sp., s. jacula. 167) C. 8. *ingentis.* Pluribus deest *in.* 168) Burm. duo *inter.* 169) Hamb. II. *medio.* 170) C. 7. *angustum.* 171) Plures *f. media.* Dorv. *mediae.* 172) C. 7. *signis.* Circa domum illam lucus erat more veterum in templis, et in principum aedibus. 173) C. 6. *Hinc* Fasces pro quibuslibet imperii insignibus. 174) C. 7. *haec.* Bigot. *templo.* Omen pro initio, quia veteres, gravissimarum rerum initio, captare omina et auspicia et auguria solebant. Curia est locus, ubi res publicae curantur. 175) Plures *Haec*; al. *sacrae.* Ed. Ven. *Hic.* Rott. III. *aedes.* 176) Mensis in longum porrectis, ubi continua serie sederent convivae. 178) C. 1, 7. deest e. Italum aiunt quidam fuisse Siculorum regem: hic et Sabinus hoc loco inter Latini majores memorantur, tanquam agnatione juncti. 179) Voſs. *curva.* 180) C. 7. *senes etc.* Plures *biformis.* 181) Allusum aliqui putant ad populos Aborigines, quibus tunc Latinus imperabat. 182) C. 1, 6, 7, 8. *Martia qui ob.*

Captivi pendent currus, curvaeque secures,
Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clipeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat
Picus, equûm domitor: quem capta cupidine conjunx
Aurea percussum virga, versumque venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divûm patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit;
Atque haec ingressis placido prior edidit ore:
Dicite, Dardanidae, neque enim nescimus et urbem,
Et genus, auditique advertitis aequore cursum,
Quid petitis? quae caussa rates, aut cujus egentes
Litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
Sive errore viae, seu tempestatibus acti,
(Qualia multa mari nautae patiuntur in alto)
Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis:
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,
Sponte sua veterisque dei se more tenentem.
Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes,
Threiciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur.

---

185) Oud. *ing. castra.* 186) Ven. *arreptaque.* 187) C. 6. *parvoque.* Lituus est baculus augurum, in summa parte incurvus, quo Romulus aliquando usus est. 188) Ven. *ferebat. Succinctus* ad trabeam pertinebat, quae erat toga communis, brevis atque angusta. 189) Rottend. II. *equis d.* Picus Saturni fuit filius, Italiae rex, forma oris conspicuus. 191) Hugen. *Fixit avem.* Heins. tres *Circae.* Purpureo et fulvo colore, quibus pici pennae distinctae sunt. 192) C 8. *Talis.* Excipi legatos in templis usitatissimum fuit. 194) Dorv. *hic.* Ven. *ingressus.* 198) C. 7. *Usonium.* Mor. III. *per v. fervida.* Med. *texit.* 201) Franc. *portusque.* 202) Med. *Nec f.* Sub Latinis indicatur aetas aurea, in qua homines sponte virtuti dediti erant. 203) Dorv. *aut v.* 204) Al. *ferentem*, *gerentem*, sc. moderate viventem. 206) C. 8. *hic.* C. 1. *in agris.* Goth. II. *et argis.* Auruncos, tanquam communis cum Aboriginibus stirpis homines. 207) C. 7. *penetravit.* Ida est mons Troadis in Phrygia, quae est ad incolendum idonea. 208) C. 7. *traiciamque Samum*, quae triplex est.

Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia coeli
Accipit, et numerum divorum altaribus addit.
    Dixerat. Et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiems vestris succedere terris,
Nec sidus regione viae litusve fefellit:
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Afferimur, pulsi regnis, quae maxima quondam
Extremo veniens Sol adspiciebat Olympo.
Ab Jove principium generis; Jove Dardana pubes
Gaudet avo. Rex ipse, Jovis de gente suprema,
Troïus Aeneas tua nos ad limina misit.
Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos; quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis;
Audiit, et si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, et si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti
Dîs sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum, et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores; nec vestra feretur
Fama levis, tantive abolescet gratia facti;
Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Aeneae juro, dextramque potentem,

---

209) Hamb. I. *Hunc*. Recte. 211) C. 8. *auget*. 212) Medic. *dictum*. Gud. *dicto*. Mor. II. *locutus*. 213) Latinus filius fuit Fauni. 214) Mor. II. *succumbere*. 215 Sidus pro tempestate. 217) Priamus maximae parti minoris Asiae imperabat. 219) C. 7. *quae Dardana*. 221) C. 7. *lumina*. Mor. I. *nunc ad*. Hamb. I. *mittit*. 222) Campi Troiani, ubi mons Ida — Mycenae urbs Peloponnesi, regia Agamemnonis. 223) C. 7, 8. *gerit campos*. C. 7. *utrique*. 224) Rom. *concurreret*. Graeci ex Europa, Troiani ex Asia — orbis, pro mundi parte. 225) Rom. *si quam — refuso*, s. late diffuso et extento. 226) Menag. I. *exemta*. Ven. *extrema*. 227) C. 8. *Quatuor interea*. Putabant veteres Zonam quintam, et mediam esse inhabitabilem propter immoderatum calorem. 228) C. 6. *Deluvio*. 229) C. 8. *Dis ad sedem*. Alludit ad partem illam Italiae littoriosam, ad quam primo Troiani appulsi. 230) C. 7. *auramque undamque*. 231) C. 6. *indecoris*. C. 7. *nostra*. Ven. *fatetur*. 232) C. 8. *abelescit*. C. 6. *abolescit*. 233) C. 7. *accepisse*.

Sive fide, seu quis bello est expertus et armis;
Multi nos populi, multae (ne temne, quod ultro
Praeferimus manibus vittas ac verba precantia)
Et petiere sibi et voluere adjungere gentes.
Sed nos fata deûm vestras exquirere terras
Imperiis egere suis. Hinc Dardanus ortus
Huc repetit, jussisque ingentibus urguet Apollo
Tyrrhenum ad Thybrim et fontis vada sacra Numicî.
Dat tibi praeterea Fortunae parva prioris
Munera, reliquias Troja ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras:
Hoc Priami gestamen erat, quum jura vocatis
More daret populis; sceptrumque, sacerque tiaras,
Iliadumque labor, vestes;

Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque immobilis haeret,
Intentos volvens oculos. Nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameïa tantum,
Quantum in connubio natae thalamoque moratur;
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externa ab sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis; huic progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quae viribus occupet orbem.
Tandem laetus ait: Dî nostra incepta secundent,

---

235) Fides ad foedera spectat. 236) Parrh. *et multae.* 237) C. 8. *proferimus.* C. 7, 8. *precantum.* Supplices tam apud Latinos, quam apud Graecos, solebant olivae ramum praeferre, revinctum laneis vittis, quae in eorum manus dependebant. 238) C. 7. *conjungere.* 239) Dorv. *Et nos.* 240) C. 6, 7. *hic.* 241) C. 7, 8. *Hunc*, sc. in hanc terram. 242) C. 7. *Nimici*, sc. fluvii ad designandam terram, ubi urbs Lavinium condenda est. 243) C. 7. *fortunae praeterea.* Dat sc. Aeneas. 244) C. 7. *Munera et.* 245) Rott. III. *Huc.* Plures *ad auras.* 246) Discrimen est inter jura dicere, et judicare: illud enim ad magistratum pertinuit, qui jurisdictioni praeerat. 247) Veteres reges jus dicturi sedebant cum sceptro. Tiaras est Phrygum pileus. 248) Vestes a Troianis mulieribus acu pictae. 249) C. 6. *latinis.* 250) C. 8. *obtuitu.* C. 8. sine *ora.* 254) C. 7. *volvet.* C. 6. *sortes* pro fato. 255) C. 6. *Nunc.* Fr. Vat. *Hinc.* 256) Non dubium, quin mentem adjiciat ad societates Romanorum. 257) Goth. III. *hunc.* 258) C. 1. *totum* sine *et.* Fr. Vat. *qui v.* 259) Men. *victus ait.* Burm. duo *Di vestra.*

Auguriumque suum! Dabitur, Trojane, quod optas.
Munera nec sperno. Non vobis, rege Latino,
Divitis uber agri Trojaeve opulentia deerit,
Ipse modo Aeneas, nostri si tanta cupido est,
Si jungi hospitio properat sociusque vocari,
Adveniat; vultus neve exhorrescat amicos.
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam jungere nostrae,
Non patrio ex adyto sortes, non plurima coelo
Monstra sinunt: generos externis affore ab oris,
(Hoc Latio restare,) canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata
Et reor, et, si quid veri mens augurat, opto.
Haec effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant ter centum nitidi in praesepibus altis.
Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent.
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Aeneae currum geminosque jugales,
Semine ab aetherio, spirantes naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos daedala Circe
Supposita de matre nothos furata creavit.

---

260) Menag. I. *Auspiciumque*, sc. Fauni oraculum. 261) C. 8. *nobis.* Parrh. *Nec.* 262) C. 1. *derit.* Uber agri, pro ubertate terrae. 264) C. 8. *sociosque.* C. 6, 7. *sociusve.* Oud. *properet.* 265) Witt. *abhorrescat.* 266) C. 6. *erat.* Ven. *Par.* Tyranni, sc. regis. 268) Rom. *qua.* 269) C. 7. *audito.* Burm. tres *patriae.* Goth. II. *nec pl.* 270) Leid. *sinant.* Parrh. *nam fore.* Menag. I. *affore regnis Hic L.* 271) Latinos manere hanc fortunam canunt, ut gener filiae meae advena sit. 272) Burm. duo *ferent.* Oud. *exposcere.* 274) C. 7. *affatus.* Hamb. II. *eligat.* 276) C. 7. *extimplo.* 277) C. 6. *tepetis.* Plures *Instructos.* Alipedes sunt equi veloces et quasi alatis pedibus. Ostro, s. purpura e sanguine ostrei expressa. Pictis tapetis, s. stragulis purpureis acu pictis. 278) Sub monilibus alii phaleras, alii scatula in fronte intelligunt. 279) Ven. et Parrh. *Strati auro.* 280) C. 8. *jugalis.* 281) Fr. Vat. *flagrantis.* 282) Plures *Circae.* Fingitur hic a Virgilio Circe, Solis filia, paternis equis equam clam supposuisse, quae hos Latini equos ex eorum semine pepererit: unde nothi dicuntur s. illegitimi Circe daedala s. ingeniosa.

Talibus Aeneadae donis dictisque Latini
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.
Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Saeva Jovis conjux, aurasque invecta tenebat;
Et laetum Aenean classemque ex aethere longo
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
Moliri jam tecta videt, jam fidere terrae,
Deseruisse rates. Stetit acri fixa dolore.
Tum, quassans caput, haec effundit pectore dicta:
Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris
Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuere capi? num incensa cremavit
Troja viros? medias acies mediosque per ignes
Invenere viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa jacent, odiis aut exsaturata quievi —
Quin etiam patria excussos infesta per undas
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto;
Absumtae in Teucros vires coelique marisque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Thybridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit; concessit in iras
Ipse deûm antiquam genitor Calydona Dianae;

---

284) C. 8. *latinis.* Rom. *Aeneades.* 285) C. 6. *sublimis.* 286) Goth. I. *ab agris* pro Argis Inachiis, urbe Peloponnesi, Iunoni cara. Inachii dicuntur vel ab Inacho Argivorum rege, vel ab Inacho fluvio. 287) Mentel. I. *invicta.* Franc. *curasque inventa.* 288) C. 1, 6, 7, 8. *longe.* 289) Pachynus est promontorium Siciliae. 290) C. 8. *eam.* Illud *fidere terrae* explico, non se gerentem ut hospitem, sed versantem ubi in terra propria, qua videlicet fiducia esse quis inter suos potest. 291) C. 7. *naves.* 292) Hamb. II. *Dum.* Illud *effudit* notat habitum effutientis omnia prae iracundia, quasi nihil retinuerit, sed omnia dixerit. 294) Plures *succumbere.* Goth. II. *occ. terris.* Sigeum est Troadis promontorium. 295) Goth. III. *Non capti.* Plures *Nunc.* Bigot. *aut inc.* 297) Men. II. *mea munera.* 298) C. 1, 6, 7, 8. *haud.* Parrh. *haud exsatiata quierunt.* Vrat. *Fessa i. odiis, aut.* 299) C. 8. *infessa.* Excussos, quasi procella abreptos. 300) Plures *exponere.* 301) C. 7. *marique.* 302) Pier. *dira ch.* 303) C. 7. *alvo.* 304) C. 1. *Securis.* C. 8. *pars.* Leid. *prendere.* 305) C. 7. *Lapidum.* Franc. *in iram.* 306 Oeneus, Calydonis rex, cum diis omnibus, omissa Diana primitias sacrificasset, irata Dea aprum immisit, a quo vastatus est late ager Calydonius, donec a Meleagro, Oenei filio, fera occideretur.

Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem?
Ast ego, magna Jovis conjux, nil linquere inausum
Quae potui infelix, quae memet in omnia verti,
Vincor ab Aenea. Quod si mea numina non sunt
Magna satis: dubitem haud equidem implorare quod usquam est.
Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia conjux:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus;
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener atque socer coëant mercede suorum.
Sanguine Trojano et Rutulo dotabere, virgo;
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
Cisseis praegnans ignes enixa jugales;
Quin idem Veneri partus suus, et Paris alter,
Funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae.

Haec ubi dicta dedit, terras horrenda petivit;
Luctificam Allecto Dirarum ab sede sororum
Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iraeque, insidiaeque, et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareae monstrum: tot sese vertit in ora,

---

307) C. 1, 6, 7, 8. *Lapitis.* C. 1, 8, 7. *Calidone.* C. 6, 8. *merente.* 308) C. 6. *nihil.* Menag. I. *nil vergere inc. Quod p.* 310) Med. Vincar. 311) Plures *aut equidem explorare.* 312) C. 7. *Acherunta*, numina inferorum. 313) Plures *esto regnis.* 314) Manent immota fata de Lavinia ab Aenea coniuge ducenda. 316) C. 8. *Et licet.* Burm. *Ac l.* C. 7. *excidere.* 317) C. 7. *At gener.* Bigot. *inde soc.* C. 7. *mihi caede.* Mercede, ironice pro damno populorum. 318) C. 7, 8. *Rutilo.* 319) Leid. *At Bellona*, Dea, bellorum praeses, Martis soror, quae eidem ad bellum eunti currum et equos parat. Pronubae dicebantur mulieres, quae nuptias conciliabant, eaque administrabant, quae pertinebant ad nuptias, et nuptam in lecto collocabant; eas oportebat uni viro nuptas fuisse ad bonum omen. 320) Hecuba, Priami uxor, Cissei Thraciae regis filia, antequam pareret Parin, visa est sibi facem utero gestare; Trojae incendium illius partus et conjugii fructus fuit: jugale enim dicitur, quidquid ad conjugium pertinet. 321) Aeneas, Veneris filius, erit alter Paris, altera ruina Trojae, quam a se excitatam in Italia iterum perdet. 324) Hamb. I. *Luctiferam.* Parrh. *Lethificam.* 328) In tot horrendos vultus.

Tam saevae facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem,
Hanc operam, ne noster honos infractave cedat
Fama loco; neu connubiis ambire Latinum
Aeneadae possint, Italosve obsidere fines.
Tu potes unanimos armare in proelia fratres,
Atque odiis versare domos; tu verbera tectis
Funereasque inferre faces; tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. Fecundum concute pectus,
Disjice compositam pacem, sere crimina belli;
Arma velit, poscatque simul, rapiatque juventus.
Exin Gorgoneis Allecto infecta venenis
Principio Latium et Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatae:
Quam super adventu Teucrûm Turnique hymenaeis
Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant.
Huic dea caeruleis unum de crinibus anguem
Conjicit, inque sinum praecordia ad intima subdit,
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille, inter vestes et laevia pectora lapsus,
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem,
Vipeream inspirans animam. Fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longae taenia vittae,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno

---

329) C. 8. *pollulat.* Vofs. I. *Quam saevae.* 330) C. 8. *at talia.* Plures *hic acuit dictis*, sc. hortatur. 331) Heins. duo *Nunc.* Virgo vocatur Furia, quia semper ultrix et incorrupta in puniendo. 332) C 6. *caedat.* 333) Ven. *non conn.* 334) C. 8. *Italosne.* C. 7. *Italos.* Med. *possent.* 335) C 7, 8. *unanimes.* 336) Versare, vexare, exagitare 337) C. 8. *ubi numina*; sed Gloss. potestates, facta, proprietates, pestes, ut Luctus, Pavor, Fames, Discordia etc. 338) Furiae malis sunt faecundissimae. 339) Crimina pro caussis 341) Gud. *infacta.* Men. I. *inf. medullis.* Gorgoneis, quia Medusa una e Gorgonibus caput habuit serpentibus horridum. 343) C. 1. *pectus Amatae.* Plures *obsidit.* Tacitum limen de solitudine est accipiendum. 345) Femineae, s. valde vehementes. 346) Ven. *Hinc* pro huic, in hanc. 347) C. 1. *subdens.* Men. I. *mittit.* 348) C. 7. *permiserat.* 349) Rott. III. *devia.* Plures *corpora.* 350) C. 7. *ac tactu*, sensibili, quem Amata perciperet. 351) Med. *spirans.* 352) C. 7. *colubris.* Taenia s. extrema pars vittae. 353) C. 8. *Innectatque.* Franc. *Annectitque.* 354) Plures *At dum.* Rom *uno.* Lues est halitus venenatus, quo afflatum Amatae pectus.

Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem,
Necdum animus toto percepit pectore flammam:
Mollius, et solito matrum de more, locuta est,
Multa super nata lacrimans Phrygiisque hymenaeis:
Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret nataeque tuique?
Nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet
Perfidus, alta petens abducta virgine, praedo?
At non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor,
Ledaeamque Helenam Troianas vexit ad urbes.
Quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum,
Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet, Faunique premunt te jussa parentis:
Omnem equidem sceptris terram, quae libera nostris
Dissidet, externam reor, et sic dicere divos.
Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres, mediaeque Mycenae.
His ubi nequidquam dictis experta Latinum
Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat:
Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,

---

355) C. 7. *sexus.* Zul. *Praetentat*; subit. 357) Med. *est* abest. 358) C. 1, 6. *natae.* C. 8. *lacrimas.* Ment. *lacrimis.* C. 8. *phrygeisque.* C. 7. *phrygiis.* 361) C. 1. *primum.* Aquilone, pro quolibet vento. 362) Parrh. *adducta.* Servius *abrepta.* 363) Plures *An non.* Hamb. II. *At num.* Med. *Phrygios.* Penetrat pro penetravit Spartam. 365) C. 1. *facta fides.* C. 1 *deorum.* 366) C. 6, 8, 7. *tociens.* Matrem habebat Veniliam, sororem Amatae. 367) Parrh. *genus.* Goth. I. *patitur.* Eludit oraculum Fauni, probatque illud in Turnum cadere. 369) Parrh. *quae subdita.* 370) C. 7, 8. *Desidet.* Med. *poscere.* C. 8. *reos.* 371) C. 8. *reputatur.* Parrh. *Aeterno si.* Servii cod. *domo.* 372) Inachus Argivorum rex fuit, qui nomen fluvio ibidem dedit; Acrisius ex eius fuit posteris. Urbes Argos et Mycenae commune inter utramque positum Junonis templum habebant. 373) C. 8 ut semper *nequicquam.* C. 1. ut semper *nequiquam.* C. 8. *exparte Latinum.* 374) C. 7. *penitus.* Burm. duo *lapsum est.* 376) Monstra sunt terrores et phanthasmata furenti animo objecta. 377) C. 6. *fuit.* Sine modo furiosa discurrit. 378) C. 8. *ubere.* Men. I. *toto.* Ed. Dan. Heinsii *sub verbera.*

Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena
Curvatis fertur spatiis; stupet inscia supra
Impubesque manus, mirata volubile buxum;
Dant animos plagae. Non cursu segnior illo
Per medias urbes agitur populosque feroces.
Quin etiam in silvas, simulato numine Bacchi,
Majus adorta nefas, majoremque orsa furorem,
Evolat, et natam frondosis montibus abdit;
Quo thalamum eripiat Teucris, taedasque moretur:
Evoe Bacche, fremens, solum te virgine dignum,
Vociferans; etenim molles tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat; Furiisque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit, nova quaerere tecta.
Deseruere domos; ventis dant colla comasque.
Ast aliae tremulis ululatibus aethera complent,
Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas.
Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet, ac natae Turnique canit hymenaeos,
Sanguineam torquens aciem; torvumque repente
Clamat: Io matres, audite ubi quaeque, Latinae:
Si qua piis animis manet infelicis Amatae
Gratia, si juris materni cura remordet;

---

379) C. 6. *in magno.* Hamb. II. *magni.* 380) Plures *habenis.* Goth. I. *habenas.* 381) C. 8. *Curvatus.* 382) Plures *Impubisque.* Buxum est lignum arboris, ex quo fit turbo, lusorium instrumentum versatile. 383) C. 8. *ille.* Parrh. *Nec.* Hamb. I. *ipso.* 385) C. 8. *lumine*; al. *nomine*, ut *in silvis.* Furorem mulierum Baccho sacrarum simulabat Amata. 386) C. 1, 6, 7, 8. *adorsa.* Rom. et Ed. Ven. *exorsa.* 387) C. 8. *vatem.* Mor. I. *Avolat.* Men. I. *montosis frondibus.* Goth. III. *addit.* 388) C. 8. *taedisque.* Hamb. II. *Qui* Mor. I. *thalamo.* 389) C. 1. 7. 8. *Euhoe*, quae est vox bacchantium. C. 1. *solumque.* Men. I. *furens.* 390) C. 1. *mollis.* Thyrsus est hasta aculeata, hederis et pampinis obtecta, quam Bacchus gestare solitus fuit. 391) C. 1, 8. *choros.* C. 7. *choris.* Mos fuit, capillos Diis sacrare duplici modo. 392) Heinsius *pectora.* 393) Nova tecta, silvarum recessus. 394) C. 6. *domus.* 395) C. 7. *At illae.* 396) Hastae pampinis tectae. 397) C. 8. *pirram.* Sustinet facem nuptialem, quae frequenter e pinu. 398) C. 8. *Sustentat, natae.* C. 8 *Turni.* 399) Plures *volvens.* 400) C. 8. *ubicumque.* Jo est vox affectus. 401) Piis animis pro vobis. 402) C. 8. *jures.* C. 7. *matrum si.*

Solvite crinales vittas, capite orgia mecum.
  Talem inter silvas, inter deserta ferarum,
Reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi.
Postquam visa satis primos acuisse furores,
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini:
Protenus hinc fuscis tristis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur urbem
Acrisioneis Danaë fundasse colonis,
Praecipiti delata Noto. Locus Ardea quondam
Dictus avis; et nunc magnum manet Ardea nomen;
Sed fortuna fuit. Tectis hic Turnus in altis
Jam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Allecto torvam faciem et furialia membra
Exuit; in vultus sese transformat aniles,
Et frontem obscenam rugis arat; induit albos
Cum vitta crines; tum ramum innectit olivae;
Fit Calybe Junonis anus templique sacerdos;
Et juveni ante oculos his se cum vocibus offert;
Turne, tot incassum fusos patiere labores,
Et tua Dardaniis transscribi sceptra colonis?
Rex tibi conjugium et quaesitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quaeritur heres.
I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis;

---

403) C. 1. *crinalis.* Vittae virginum et matronarum capillos coercebant; eas resolvere Baccharum mos fuit. 405) Goth. III. R. *alloquio* 406) Men. II. *Plusquam.* 407) Plures *Conciliumque — evertisse.* 408) C. 1, 6, 7, 8. *Protinus.* C. 8. *huc.* C. 7. *fussis.* C. 6. *detollitur.* Men I. *fulvis.* 409) C. 7. *quem.* Parrh. *qua.* 410) C. 1, 6, 8. *Dane*, Acrisii filia, cum Argivis fugae comitibus navi vecta ad Rutulorum litus adpulisse, et Ardeam exstruxisse dicitur. 411) Pier. aliqui *Locus Ardua quondam.* 412) C. 8. *tenet.* Goth. II. *D. anus.* 413) Fortuna fuit, vel ad anteriora, vel ad posteriora refertur. 414) C. 1, 6, 7. *media.* Goth. II. *med. magna.* Mor. II. *capiebat.* 416) C. 7, 8. *anilis.* Plures *Exit et in.* 417) Rugis arat, quod significat senectutem. 418) C. 8. *cum.* 419) Calyben poeta sacerdotem fingit templi Junonii, quod Ardeae fuisse indicat; unde favor Junonis in Turnum. Illa vittas s. infulam sacerdotalem gerebat. 420) Burm. duo *iuvenem.* 421) Incassum ducitur a carendo. 422) Hamb. II. *transcribis.* Coloniae numerantur in sacris. 424) Ven. *Denegat.* Dorv. *aeternusque.* Vratisl. *heros.* Caius definit extraneum haeredem, qui nullo propinquitatis gradu testatori jungitur, sed assumitur ad arbitrium. 425) C 8. *Et nunc.*

Tyrrhenas, i, sterne acies; tege pace Latinos.
Haec adeo tibi me, placida quum nocte jaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia jussit.
Quare age, et armari pubem portisque moveri
Laetus in arma para, et Phrygios, qui flumine pulchro
Consedere, duces pictasque exure carinas.
Coelestum vis magna jubet. Rex ipse Latinus,
Ni dare conjugium et dicto parere fatetur,
Sentiat, et tandem Turnum experiatur in armis.
    Hic juvenis, vatem irridens, sic orsa vicissim
Ore refert: Classes invectas Thybridis alveo,
Non, ut rere, meas effugit nuntius aures.
Ne tantos mihi finge metus; nec regia Juno
Immemor est nostri.
Sed te victa situ verique effeta senectus,
O mater, curis nequidquam exercet, et arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi, divûm effigies et templa tueri;
Bella viri pacemque gerent, [quîs bella gerenda.]
    Talibus Allecto dictis exarsit in iras.
At juveni oranti subitus tremor occupat artus;
Deriguere oculi; tot Erinnys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit. Tum flammea torquens
Lumina cunctantem et quaerentem dicere plura
Repulit, et geminos erexit crinibus angues,
Verberaque insonuit, rabidoque haec addidit ore:

---

426) Pace, sc. repellendo hostes. 428) C. 8. *fare.* C. 1. *misit.* 430) C 8. *Lenis.* C. 1. *pulcro.* 431) C. 7. *exuret.* 433) Plures *connubium — iubetur.* 434) Non dissidet hoc somnium, quo Turnus excitatur ad bellum, in quo periturus est. 435) Ven. *His* Sunt omnes enim juvenes superbi et audaces. 436) C. 8 *invectis.* C. 1, 6, 7, 8. *Thybridis undam.* Sprot. *ora.* 437) Principes fiant certiores omnium rerum, quae accidunt in regno. 438) Plures *Nec.* 439) Reges quippe sub cura numinis. 440) C. 8. *effata.* C. 7. *effecta.* Situs, est squalor ex senectute contractus. Effoeta veri dicitur mulier, quae cessavit parere s. dicere veritatem, quales vetulae 444) Heins. *gerant*; verba subsequentia ab aliena manu adposita esse videntur. 446) C. 8. *ornati.* 447) C. 1, 7, 8. *Diriguere.* Franc. *tot crinis.* Erynnis est communis Furiarum nomen; hydrus vel hydra serpentis genus in aquis degens. 448) C. 1. *Tum.* Tanta pro, talis. 451) C. 8. *edidit.* C. 7. *rapidique.* Montalb. *verbereque* concussit.

En, ego victa situ, quam veri effeta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit;
Respice ad haec: adsum dirarum ab sede sororum;
Bella manu letumque gero.
Sic effata facem juveni conjecit, et atro
Lumine fumantes fixit sub pectore taedas.
Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus
Perfundit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit.
Saevit amor ferri, et scelerata insania belli;
Ira super: magno veluti quum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aëni,
Exsultantque aestu latices; furit intus aquai
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis;
Nec jam se capit unda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem polluta pace Latinum
Indicit primis juvenum, et jubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem;
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Haec ubi dicta dedit, divosque in vota vocavit,
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formae movet atque juventae,
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
    Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet:
Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis;
Arte nova speculata locum, quo litore pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus.
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo

---

452) C. 8. *hem.* C. 7. *veri quam.* 453) Rom. *falso.* 454) Goth. II. *Aspice.* 456) Parrh. *alto* Facem injecit in juvenem. 457) Parrh. *flammantes.* Rott. III. *de p.* 458) C. 7, 8. *Illi.* Goth. I. *atris.* Mor. II. *ossaque ductus.* 459) C. 1, *praeruptus.* C. 8. *proruptus* C. 7. *prorutus.* C. 6. *perfudit,* al. *profundit* 460) Rott. II. *tectoque.* Spolia hostium ubique solebant appendi. 462) C. 8. *superis.* C. 7. *super modum.* Ira magis furit, quam amor. 463) C. 7. *subgeritur.* Costis, lateribus. 464) C. 1, 6, 8, 7. *aquae vis.* 465) Bigot. *spumans.* 466) C. 8. *undat.* C. 1. *altus.* C. 7. *alter.* 467) Violata pace a Latino, erepta sibi uxore sperata. 468) Ven. *Inducit.* 469) Men. II. *Italia.* 470) C. 8. *latinusque.* Venire, esse. 471) C. 7. *divos in.* 472) Franc. *Certanti.* 473) C. 6. *Forma movet atque juventa.* 475) C. 8. *audacia.* C. 1, 6. *animis Rutulos.* 476) C. 6. *Teucris.* 479) C. 8. *Cechicia.* C. 7. *subitum.*

Objicit, et noto nares contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent: quae prima laborum
Caussa fuit, belloque animos accendit agrestes.
Cervus erat forma praestanti et cornibus ingens,
Tyrrhidae pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrheusque pater, cui regia parent
Armenta, et late custodia credita campi.
Assuetum imperiis soror omni Silvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille, manum patiens, mensaeque assuetus herili,
Errabat silvis; rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidae venantis Iuli
Commovere canes, fluvio quum forte secundo
Deflueret, ripaque aestus viridante levaret.
Ipse etiam, eximiae laudis succensus amore,
Ascanius curvo direxit spicula cornu:
Nec dextrae erranti deus afuit: actaque multo
Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis, questuque cruentus
Atque imploranti similis tectum omne replebat.
Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, et duros conclamat agrestes.
Olli (pestis enim tacitis latet aspera silvis)

---

480) C. 8. *contigit.* 481) C. 8. *ternum.* Primum initium calamitatum, quae secutae sunt. 482) Rott. I. *animas.* Men. I. *incendit.* Bigot. *concendit.* 483) C. 6. *formae.* 484) Tyrrheus erat regii armenti magister, apud quem Lavinia Silviam enixa est. 485) C. 6, 1. *Tyriusque.* C. 7. *Tyriusque.* 486) C. 6. *lati.* 487 C. 7. *omnis.* Incertum est, num Silvia fuerit Tyrrhi soror, an filia. Soror dicitur cum respectu ad pueros Tyrrhidas. 488) Goth. III. *innectens.* 489) Pier. aliq. *Potabatque.* Sprot. *Sectabatque.* Natura ferum animal, cultu mansuetum. 491) C. 1. *moenia.* 493) Si sermo sit de generositate animalium, saepissime mares nominantur; si de feritate, foeminae. 494) C. 1. *rabidi.* 496) Dorv. *nimiae.* Gud. *accensus.* 497) Gud. *derexit.* 498) C. 7. *errante.* C. 7. *abfuit.* 499) Ilia, partes imi ventris, circa summas coxas. 500) C. 8. *Saucius aut.* Heins. *inter.* 501) C. 6. *stabilis.* 502) C. 1, 6, 8, 7. *replevit.* 503) Percussio corporis in doloris nota. 504) C. 7, 1. *agrestis.* Sub his sylvestres intelliguntur. 505) C 8. *Illi.* Pestis est Furia, quae latet in silva ad speculandam nocendi rationem.

Improvisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis: quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrheus,
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat, rapta spirans immane securi.
At saeva e speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit stabuli; et de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: qua protenus omne
Contremuit nemus, et silvae intonuere profundae.
Audiit et Triviae longe lacus; audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini;
Et trepidae matres pressere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolae; nec non et Troïa pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies. Non jam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur sudibusve praeustis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
Horrescit strictis seges ensibus, aeraque fulgent
Sole lacessita, et lucem sub nubila jactant;
Fluctus uti primo coepit quum albescere vento,
Paullatim sese tollit mare, et altius undas
Erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo.
Hic juvenis primam ante aciem stridente sagitta,

---

506) C. 6, 8. *abusto*. Gl. adusto. Sprot. *armatur*. 507) C. 1, 8. *repertum est*. Men. I. *hi*. Goth. II. *gravidis*. 508) C. 8, 1. *Tyrreus*. C. 6, 7. *Tyrrus*. 509) C. 7. *Quadrificam*. C. 7. *coactus*, Gl. *adactus*. Fissilem in quatuor s. multas partes. 510) C. 6. *Findebat*. Med. *Scindebant*. 511) C. 7. *spiculis*. 512) Stabulum, pastoris tugurium. 513) Signum s. instrumentum, quo conclamatum ad arma. 514) C. 1, 6, 8, 7. *protinus*. Rom. *incendit*. 516) C. 6. *audit et*. Lacus Dianae juxta Ariciam urbem. 517) C. 8. *Sulpherea*. Nar, nunc Nera, fluvius Umbriam Sabinumque agrum disterminans, et influens in Tybrim, significat sulfur, ob vim odoremque aquarum inde dictus. 518) C. 7. *pectore*. Men. *At*. Oudart. *ad ubera*. 519) C. 1. *celeris*. C. 8. *quae, quam*. Mor. I. *Quin vero*. 520) Pier. aliq. *occurrunt*. 521) C. 7. *ad Troïa*. Witt. *Troica* 523) Med. *Derexere*. Hamb. I. *Surrexere*. Parrh. *Nec iam*. 524) C. 7. *subdibusve*. 525) Mor. II. *utraque*. 526) Zul. *armaque*. 527) C. 6, 1, 7, 8. *lumine jactant*; al. *lumina, limine*. 528) Rom. *alb. ponto*. 530) C. 7. *cum surgit*. Franc. *uno*.

Natorum Tyrrhei fuerat qui maximus, Almo
Sternitur; haesit enim sub gutture vulnus, et udae
Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virum circa, seniorque Galaesus,
Dum paci medium se offert: justissimus unus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus arvis:
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, et terram centum vertebat aratris.

Atque ea per campos aequo dum Marte geruntur,
Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum
Imbuit, et primae commisit funera pugnae,
Deserit Hesperiam, et coeli connixa per auras
Junonem victrix affatur voce superba:
En, perfecta tibi bello discordia tristi;
Dic, in amicitiam coëant, et foedera jungant.
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros:
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas;
Finitimas in bella feram rumoribus urbes,
Accendamque animos insani Martis amore,
Undique ut auxilio veniant; spargam arma per agros.
Tum contra Juno: terrorum et fraudis abunde est.
Stant belli caussae; pugnatur comminus armis.
Quae fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma.
Talia connubia et tales celebrent hymenaeos
Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.

---

532) C. 7. *Almon.* 533) Plures *exit enim.* 535) Rom. *Gelaesus.* 536) C. 6. *sese.* Rott. II. *Cum p.* Parrh. *pacis m.* 537) Plures *agris*, *armis.* 538) Redibant e pastu in stabula. 540) C. 8. *Marcho feruntur*; sed pari utrinque belli fortuna. 541) C. 8, 6. *Promissa.* Compos facta rei, quam Junoni effecturam se promiserat. 542) C. 8. *Incubuit*; sed initiavit. 543) C. 6, 7. *convexa.* Al. *evecta.* 545) C. 8. *belli discordia tristis.* 546) Sprot. *Sic.* Fac, si potes, ut in amicitiam redeant. Ita vocat Virg. affinitatem, quae contrahenda nuptiis Aeneae, et Laviniae 547) C. 8. *resparsi.* Rom. *Quando equidem* tam feliciter Trojanos Rutulis commisi, permitte mihi, ut alias etiam gentes huic bello admisceam. 548) C. 1. *voluptas.* Hamb. II. *tunc si.* Men. *sit mihi.* 551) C. 8 *et auxilio.* Sprot. *ut a. coeant.* 553) C. 6. *comminus.* Dorv. *pugnantur.* Stant, certae sunt belli caussae. Plurimum tela sunt, quibus eminus pugnatur, arma, quibus cominus. 554) Parrh. *imbuet.* 555) C. 1, 6, 7, 8. *conjugia.* C. 7. *celebrant.*

Te super aetherias errare licentius auras,
Haud Pater ille velit, summi regnator Olympi.
Cede locis. Ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Tales dederat Saturnia voces.
Illa autem attollit stridentes anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus Italiae medio sub montibus altis
Nobilis, et fama multis memoratus in oris,
Amsancti valles. Densis hunc frondibus atrum
Urguet utrinque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis et torto vertice torrens.
Hic specus horrendum, saevi spiracula Ditis,
Monstratur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces: quîs condita Erinnys,
Invisum numen, terras coelumque levabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. Ruit omnis in urbem
Pastorum ex acie numerus, caesosque reportant,
Almonem puerum, foedatique ora Galaesi;
Implorantque deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest, medioque in crimine caedis et ignis
Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari;
Stirpem admisceri Phrygiam; se limine pelli.
Tum, quorum attonitae Baccho nemora avia matres
Insultant thiasis, neque enim leve nomen Amatae,
Undique collecti coëunt, Martemque fatigant.

---

557) C. 8. *aethereas.* 558) C. 8. *ipse.* C. 6. *Olymphi.* 559) Hamb. II. *si qua modo.* 560) C. 1, 7. *talis.* Hamb. I. *geram*, qui locus de ductu bellorum capiendus, ita ut non solum auspicia sua, sed ductum promittat. 561) C. 6. *Ille autem.* Parrh, *extollit.* 562) C. 7. *Cochitique.* Franc. *petens* 563) Plures *in medio.* 564) C. 1, 7. *forma.* Dorv. *memoratur.* 565) C. 1. *arctum.* Amsancti valles Apuliam ab oriente, Campaniam ab occidente habent. Amsanctus significat apud veteres circum sanctus. 566) C. 7, 8. *utrumque.* C. 7. *fragrosis.* Collis nemorosus, qui tanquam latus lacus facit. 567) Torrens e Velino lacu maximo impetu in profundam convallem emittitur 568) C. 1, 7. *et saevi.* C. 8, 1. *et saeva.* Goth. I. *saevum.* 569) C. 1, 6, 8, 7. *monstrantur* C. 7. *rapidoque.* 570) C. 1. *condit.* 571) C. 6. *levabit.* Pier. *levavit*, pro relinquebat. 573) Gud. *Imposuit.* Goth. I. *in urbe.* 575) Franc. et Sprot. *foedataque*, caesa, vulnerata. 577) C. 6. *igne.* Caesis cadaveribus, quorum caedem Turnus crimini vertebat Trojanis. 579) C 7. *lumine.* Parrh. *limite*, domo, regno. 581) Menag. I. *thyrsis.*

Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deûm, perverso numine poscunt,
Certatim regis circumstant tecta Latini.
Ille, velut pelagi rupes immota, resistit,
[Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,]
Quae sese, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet; scopuli uequidquam et spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.
Verum, ubi nulla datur caecum exsuperarc potestas
Consilium, et saevae nutu Junonis eunt res:
Multa deos aurasque pater testatus inanes,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella!
Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas,
O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium; votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus;
Funere felici spolior. Nec plura locutus
Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas.

Mos erat Hesperio in Latio, quem protenus urbes
Albanae coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, quum prima movent in proelia Martem,
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum,
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos,

---

583) Goth. III. *Illic.* Contra omina respectu ad apes et ardentes Laviniae comas. 584) Contra Fauni oraculum, conturbata Deorum voluntate. 585) Ed. Ven. *circum dant.* Med. *tecta tyranni.* 586) C. 7. *pelagi moles.* 588) Hamb. II. *vallantibus undis.* 590) Al. *infusa*, *aspersa.* Hamb. II. *infunditur.* 591) C. 8. *rerum.* 592) Caecum consilium, s. temerarium furorem. 593) C. 8. *testatur.* C. 7, 1. *inanis.* C. 8. *in auras*, s. coelum. Indicatur inane studium Latini, et nihil proficiens opera. 594) Med. *procellas.* Pier. aliq. *procellis.* 595) C. 8 *pendentis.* Sacr. sang., quatenus ipsi Aborigines impii habendi sunt, qui contra voluntatem Deorum bellum suscipiunt. 597) Poenitentia post incepta consilia. 598) C. 6. *vortos.* Hamb. II. *in lumine.* 599) Mor. II. *Munere*; sed felix moriar. 600) Men. *relinquit.* 601) Thuan. *pr. una.* Unus idemque Hesperus Hispaniae et Italiae nomen dedit. 604) Heins. tres *manum.* Getis pro populis ad Danubium, de quibus triumphaverat paulo ante Virg. tempora N. Licinius Crassus proconsul, Augusti auspiciis a. V. C. 726. 605 C. 8. *Hyrcanisne Arabisne.* C. 6. *Arabis seu.* Hyrcania fuit Parthiae pars. Augustus eo tempore in animo habuit, Arabiae bellum inferre.

Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.
Sunt geminae Belli portae (sic nomine dicunt),
Religione sacrae et saevi formidine Martis;
Centum aerei claudunt vectes, aeternaque ferri
Robora; nec custos absistit limine Janus.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae,
Ipse, Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul;
Ipse vocat pugnas; sequitur tum cetera pubes;
Aereaque adsensu conspirant cornua rauco.
Hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, tristesque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, aversusque refugit
Foeda ministeria, et caecis se condidit umbris.
Tum Regina deûm coelo delapsa morantes
Impulit ipsa manu portas, et cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.
Ardet inexcita Ausonia, atque, immobilis ante,
Pars pedes ire parat campis; pars arduus altis
Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt.
Pars laeves clipeos, et spicula lucida tergunt
Arvina pingui, subiguntque in cote secures;
Signaque ferre juvat, sonitusque audire tubarum.

---

606) C. 8. *partesque.* Burm. duo *Parthisque.* Zul. *Parthosve.* Quasi Augustus non tam Orientales populos, quam ipsam auroram vellet persequi. 607) Est aedes belli binis portis instructa, perpetuo clausis, nec apertis, nisi instante bello. 609) Parrh. *externaque.* Vectis, a vehendo, est instrumentum ex aere, ferro, ligno in modum trabis crassioris, quo vel januae adversus vim muniuntur, vel promoventur moles onerum, vel diruuntur muri. 610) C. 6. *adsistit.* Custos, vel quia statua ejus erat in limine bifrons, vel quia praeerat omnibus januis, quae ab ipso sic dictae sunt. 611) C. 8. *Ast ubi.* 612) Mentel I. *cinctoque.* Goth. III. *cinctusque.* Jam Romulo trabeae usus fuerat. Cinctus a Gabiis translatus et sacris servatus erat. 613) C. 7. *strindentia.* 614) Burm. duo *cum.* 615) Men. *accensu.* 616) C. 7, 8. *Latinis.* C. 7. *hoc tum.* 617) C. 8. *videbatur.* C. 1. *tristisque.* C. 7. *reducere.* Ed. Mediol. *excludere.* 618) C. 7, 8. *adversusque.* 619) Dorv. *antris.* 620) Ven. *dilapsa.* 622) C. 1, 7. *rumpit*, al. *rumpunt.* C. 1. *postis.* 625) C. 8. *equus.* C. 6. *omnis.* C. 7. *omnesque.* Dorv. *fugit.* 626) C. 6, 7. *laevis.* Goth. *tergent* Parrh. *torquent.* Vratisl. *lutea.* 627) Rom. *Subjiciuntque.* Arvina est pinguedo illa, quae inter carnem et cutem animalium est. Cos foemini generis lapis est, quo cultri acuuntur. 628) Rom. *iuvant.*

Quinque adeo magnae positis incudibus urbes
Tela novant, Atina potens, Tiburque superbum,
Ardea, Crustumerîque, et turrigerae Antemnae.
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas
Umbonum crates; alii thoracas aënos,
Aut laeves ocreas lento ducunt argento.
Vomeris huc, et falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor; recoquunt patrios fornacibus enses.
Classica jamque sonant; it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit; ille frementes
Ad juga cogit equos; clipeumque, auroque trilicem
Loricam induitur; fidoque accingitur ense.
    Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete,
Qui bello exciti reges, quae quemque secutae
Complerint campos acies; quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.
Et meministis enim, divae, et memorare potestis:
Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.
    Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemtor divûm Mezentius, agminaque armat.
Filius huic juxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus, equûm domitor debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequidquam ex urbe secutos

---

630) C. 7. *Atrina.* Attina, urbs in Appenini jugo. Tibur sup. a magnificentia partim ex opibus et cultu, partim ex situ in edito loco. 631) Men. I. *Crustumenumque.* Ardea Rutulorum caput. Crustumerium non longe ab urbe Roma. Antemnae, nunc dirutum oppidum, ad confluentiam Anienis in Tyberim, sicut interamnia dicta, sc. inter duos amnes. 632) Men. II. *Tegmine.* Umbo, media pars est scuti eminentior. Crates sunt scutorum fulcra e salice, quae deinde corio vestiebant. 633) C. 1. *thoracas aenus.* Med. *aeneos.* C. 7. *hinc cmnis.* 634) C. 8. *levis.* Lentum hic est, molle, cedens. 636) Al. *recoquent*, *recudent.* Goth. I. *primos.* 637) C. 6. *sonat.* It, s. distribuitur. Tessera erat signum vocale. 638) C. 1. *frequentis.* Med. *rapidus.* Men. II. *capit.* Gud. *trementes.* Erf. *frequentes.* 639) Tunc viri principes e curru pugnabant. 640) C. 8 *fideque.* Rom. *Lorica.* 641) Helicon est mons Boeotiae, Musis sacer, Parnasso vicinus. 646) Plures *At.* Zul. *dilabitur.* 647) Ab oris Hetruriae. 648) Al. *Mezzentius*, *Mesentius.* 649) Plures *hunc.* 650) Turni pro Turno est graecismus. 652) Al. *Agelina*, *Agellina.* Agylla est urbs Hetruriae, fere in confinio Latii.

Mille viros; dignus, patriis qui laetior esset
Imperiis, et cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem palma per gramina currum,
Victoresque ostentat equos, satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus; clipeoque insigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus Hydram;
Collis Aventini silva quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit oras,
Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor,
Geryone exstincto, Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu saevosque gerunt in bella dolones,
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.
Ipse pedes, tegumen torquens immane leonis,
Terribili impexum seta, cum dentibus albis,
Indutus capiti, sic regia tecta subibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiva juventus;
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur,
Ceu duo nubigenae quum vertice montis ab alto

---

654) Leid. *sed cui,* 655) Palma pro victoria. 656) C. 7. *ostendat.* Pier. aliq. *ostendit.* 657) Insigne ad memoriam paternae victoriae compositum, sc. debellatae hydrae in angues innumeros pullulantis. 658) C. 8. *tinctumque.* 659) C. 6. *quam.* Plures *in silva.* Unius e collibus, quibus insidet Roma, circa quem Rhea Sylvia Vestalis fuit. 660) Pier. aliq. *Fortivo.* Leid. *Furtivo.* 662) Geryon, rex Hispaniae tria habuisse dicitur corpora. Tirynthius est nomen Herculis, quia ibi Hercules educatus est. 663) C. 7. *Hyberas*; al. *Hiberos, Iberos.* Gud. *in flumina,* Tiberi sc., qui Etruriam a Latio dividit. Iberia est nomen Hispaniae ab Ibero fluvio, s. Ebro. 664) C. 7. *bello.* Pila sunt tanquam tela. Dolon est contus ingens cum ferro brevissimo. 665) Mucronem teretem pro gladio exiguo sumi notum est, ut Sabellum veru s. verutum, qui teli missilis genus. 666) C. 6, 7, 8, 1. *tegimen.* Pelles ferarum pro armatura. 667) Plur. *implexum.* Rom. *implexu.* 668) Sprot. *tunc r. t. tenebat.* Rom. *subibant.* Non minus galeae e tegminibus ferarum, quam thoraces. 669) Rom. et Burm. duo *innixus.* Bigot *indutus.* Hercules indutus fuit pelle Nemaei leonis a se occisi. 670) Plur. *T. limina.* Fratres Catilus et Coros, relicto Tibure majore fratre ad urbis Tibur custodiam, ad bellum venere. Al. *Tyburni,* vel *Tyburti.* 671) Rom. *Tyburni* urbem. 672) Goth. II. *Choras*; al. *Corax.* Juventus sc. bellis gerendis aptissima. 673) Goth. *inter bella.* 674) Ixione et nube geniti.

Descendunt Centauri, Homolen Othrymque nivalem
Linquentes cursu rapido: dat euntibus ingens
Silva locum, et magno cedunt virgulta fragore.
Nec Praenestinae fundator defuit urbis,
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem
Inventumque focis omnis quem credidit aetas,
Caeculus. Hunc legio late comitatur agrestis:
Quique altum Praeneste viri, quique arva Gabinae
Junonis, gelidumque Anienem, et roscida rivis
Hernica saxa colunt; quos, dives Anagnia, pascis,
Quos, Amasene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clipei currusve sonant. Pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit; pars spicula gestat
Bina manu, fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti; vestigia nuda sinistri
Instituere pedis; crudus tegit altera pero.
At Messapus, equûm domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro,
Jam pridem resides populos, desuetaque bello
Agmina, in arma vocat subito, ferrumque retractat.
Hi Fescenninas acies Aequosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.

---

675) C. 6. *Othrinque.* Med. *Othrumque*, sc. montes Thessaliae. 677) C. 6. *caedunt.* 678) Burm. *Non.* Rom. *deficit.* Praeneste fuit antiqui Latii urbs. 679) C. 7. *pectora inter.* Regem, sc. regnantem. 681) Respectum procul dubio ad natales hujus urbis. 682) Gabiis Juno religiose colebatur. 683) Anio est fluvius determinans vetus Latium a Sabinis. 684) C. 1. *Henica*; al. *Hernea.* C. 1, 6, 7, 8. *pascit.* Ven. *Anagria.* Hernici populi fuerunt novi Latii ad orientem. 685) C. 6. *Amasaene*, qui fluvius circa Circeum promontorium in mare volvitur. 686) C. 8. *cursus*, al. *currusque.* C. 8. *gaudes.* Glans plumbea est telum, quod e funda rotabatur. 687) Mor. I. *Viventts.* Ment. III. *Liventes.* Leid. *Linquentes.* Ven. *spargunt — gestant.* Rott. II. *gessit.* 688) Ven. *fulvoque.* 689) Al. *habet.* Gud. *Tegmina habent.* Med. *capitis.* Instituere s. statuere—pero s. corium. 690) Rom. *cero.* 691) C. 1. *Et Messapus*, graecus ex Anthedonia, putatus filius Neptuni. 692) C. 7. *est nefas.* Pier. aliq. *sistere.* 693) C. 8. *resides animos.* 694) Leid *retractant.* Oudart. *retorquent.* 695) Fescennium erat oppidum Etruriae, infra quod Falisci habitabant Aequi dicti, quia legum XII tabul. aliqua supplementa Romani ab iis acceperant. 696) C. 7. *Soratis.* Plur. *Flamminiaque.* Franc. *arma.* 697) Vulgo *Cymini.* Rom. *Calenos.*

Ibant aequati numero, regemque canebant:
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni.
Quam sese e pastu referunt, et longa canoros
Dant per colla modos; sonat amnis, et Asia longe
Pulsa palus.
Nec quisquam aeratas acies ex agmine tanto
Misceri putet; aëriam sed gurgite ab alto
Urgueri volucrum raucarum ad litora nubem.
　　Ecce, Sabinorum prisco de sanguine, magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Una ingens Amiterna cohors, priscique Quirites,
Ereti manus omnis, oliviferaeque Mutuscae;
Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricae horrentes rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Forulosque, et flumen Himellae;
Qui Thybrim Fabarimque bibunt, quos frigida misit
Nursia, et Hortinae classes, populique Latini;
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen:

---

698) Aequalibus ordinibus. 699) C. 8. *nebula inter nubila.* Gud. *inter flumina.* Parrh. *int. aera.* 700) Al. *a pastu.* 701) C. 1. *sonat omnis.* Gud. *longae.* Ven. *longa.* 703) Ven. *exactas.* Hamb. II. *examine.* 704) C. 7 *aeream.* Med. *putat.* 705) C. 6, 7. *urgeri.* 706) Gud. *Sabinarum.* Goth. III. *de nomine.* Sabini habitabant ad septentrionem Latii. 707) C. 1. *Lausus.* Montalb *Clusus.* Gud. *ipsi.* Clausus e majoribus Claudii fuisse fingitur. 708) C. 7. *tr. ingens.* Med. *e quo* 709) Pier. *postq. pars est d.* Id contigit in Clauso, qui post expulsos reges admissus est. 710) C. 6. *Una gens.* Pier. *ipsaque Quir.* Amiternum fuit urbs in latere orientali. Quirites sunt hic Curenses, Curites. 711) C. 8. *Mutuscae*, et *Mutescae.* C. 7. *Erecti.* Pier. *Heriti*, quod est vicus vicinus illo Mutuscae et Nomento. 712) C. 1, 6, 7, 8. *roscida*, quae sunt pars agri Reatini ad fluvium Velinum. 713) C. 1. *Tericae*, montis. C. 1, 8. *horrentes.* Severus est mons incerti situs, ut Tetrica. 714) C. 1, 8. *Ferulesque.* Al. *Casperulam*, oppidum paulo supra Cures. Foruli vicus circa Amiternum. Himella fluvius prope Casperiam nascens. 715) C. 1, 6, 7, 8. *Tyberim.* C. 1. *Fabrimque*, s Farfarum in orientalem Tiberis ripam influentem. 716) C. 7. *Horsia*, al. *Nyrsia*, *Nosia*, ultima Sabinarum urbium ad septentrionem. Horta, urbs apud confluentes Naris ac Tiberis, Sabinis contermina. 717) Witt. *Q. sequens.* Men. I. *interfluit.* Allia fluvius in orientalem Tiberis ripam irrumpens, ubi Romani a Gallis Senonensibus graviter caesi sunt.

Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Saevus ubi Orion hibernis conditur undis;
Vel quum sole novo densae torrentur aristae,
Aut Hermi campo, aut Lyciae flaventibus arvis.
Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.
    Hinc Agamemnonius, Trojani nominis hostis,
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris, et quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta
Aequora, quique Cales linquunt, amnisque vadosi
Accola Vulturni, pariterque Saticulus asper,
Oscorumque manûs. Teretes sunt aclides illis
Tela; sed haec lento mos est aptare flagello.
Laevas cetra tegit; falcati cominus enses.
    Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Oebale, quem generasse Telon Sebethide nympha
Fertur, Teleboûm Capreas quum regna teneret
Jam senior; patriis sed non et filius arvis
Contentus, late jam tum ditione premebat
Sarrastes populos, et quae rigat aequora Sarnus,

---

718) C. 6. *litore fluctus*. 719) C. 1. *cum sole* 8. *quot sole*. Sprot. *cond. annis*. Orion, astrum formidabile ortu et occasu. 720) Al. *quam*. Per solem novum aestas prima intelligitur, qua maturescunt aristae. 721) Goth III. *in campo*. Hermus est fluvius Phrygiae — Lycia regio Asiae minoris, ferax frumenti. 722) C. 1, 6, 8. *pedum conterrita*. Med. *cursuque pedum*. 723) C. 6. *Troja*. Agamemnonis filius aliquis nothus. 724) Halesus abducit populos e priscis Auruncorum et Oscorum sedibus. 725) Rom. *veniunt* 726) Massicus mons juxta mare ad occidentem agri Falerni. 727) C. 7. *Fidicinaque*. Burm. aliq. *Arunci*, reliquiae Ausonum in Italia, inter Campaniam et Volscos. — Sidicini, pars eorundem Ausonum alia, in mediterraneis finibus. 728) Cales, oppidum supra Massicum. 729) C. 8. *Aquila*. C. 1. *Satilicus*; al. *Satelicus*, *Sapticulus* Vulturnus est fluvius Campaniae; ad ejus et Capuae orientem est urbs Saticula. 730) C. 7. *Teretesque sunt aclides*, vel exigua missilia, vel clavae breves. Osci, nomen diminutum ab Opicis, gente Ausonia, et huius regionis indigena. 731) Men. I. *hic*. 732) C. 6. *comminus*, sc. ipsis sunt. 734) C. 1, 6, 8. *Sebethride nympha*, filia Sebethi, fluvii ad Neapolim et Vesuvium. 735) C. 1. *Teleboum*. Dorv. *Capras*, insula contra Surrentinum promontorium, deliciae olim Caesaris, quam tenuerunt Teleboae, ex Acarnania, Epiri regione, profecti. 736) Reg. *patris*. Pier. *non iam*. 737) C. 8. *tenebat*, et *premebat*. Witt. *iam dum*. 738) C. 1. *Sarrastris*, popp. Sarni fl accolas. C. 8. et *qua*. Sarrastes sunt populi Campaniae, a Sarno fl.

Quique Rufras Batulumque tenent atque arva Celennae,
Et quos maliferae despectant moenia Abellae:
Teutonico ritu soliti torquere catejas;
Tegmina quîs capitum raptus de subere cortex,
Aerataeque micant peltae, micat aereus ensis.
Et te montosae misere in proelia Nersae,
Ufens, insignem fama et felicibus armis:
Horrida praecipue cui gens, assuetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicula glebis.
Armati terram exercent, semperque recentes
Convectare juvat praedas, et vivere rapto.
Quin et Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici comtus oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro:
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras, et morsus arte levabat.
Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum
Evaluit; neque eum juvere in vulnera cantus
Somniferi, et Marsis quaesitae montibus herbae.
Te nemus Anguitiae, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.
Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius, insignem quem mater Aricia misit,

---

739) C. 7. *Rufas*, castrum. C. 6. *Calemnae.* Al. *Butulum*, *Baculum*, castellum Campaniae. 740) C. 1, 6, 8, 7. *Bellae*; al. *Auellae*, urbs ad septentrionem Sarni. 741) C. 8. *solutos.* C. 1. *catesas.* 7. *catelas.* Med. *catellas.* Witt. *catheyas*, teli genus. 742) Witt. *rapta.* Suberis cortex, recens detractus in galeam formari debuit. 743) C. 6. *paltae.* Ed. Ven. *Aurataeque.* 744) C. 1, 8. *Nursae.* Rom. *Nyrsae*; al. *Narsae*, *Nirsae.* 745) Men. I. *Uffens.* 747) C. 1, 8. *Equicola.* 750) C. 6, 1. *Marruvia.* Marsi, ad orientem ac septentrionem Aequorum, inter continua Apennini juga, quorum urbs praecipua juxta fontes Liris fluvii. 751) C. 8. *et contemptus.* Rott. III. *galea*, quae sortem respicit, ut oliva sacerdotem. 752) C. 1. *jussu.* 8. *missu.* Goth. III. *Umbo.* 755) Sprot. *feras* Montalb. *et mortes.* 756) C. 7. *Dardanidae.* 757) C. 8. *enim.* C. 8. *vulnere.* 759) C. 6, 1. *Argitiae.* C. 8. *Facinus.* C. 7. *Focinus.* 760) Plures *lacus nemorosaque Tempe.* 761) Hippolytus est Thesei Athenarum regis filius. 762) C. 8. *Arecia*, quae est vel urbs Latii, vel nympha quaedam. Serv. ait: Mater Aricia propter Augustum dicit, qui fuerat ex Aricina matre progenitus.

Eductum Egeriae lucis, humentia circum
Litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianae.
Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte novercae
Occiderit, patriasque explerit sanguine poenas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Aetheria et superas coeli venisse sub auras,
Paeoniis revocatum herbis et amore Dianae.
Tum Pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitae,
Ipse repertorem medicinae talis et artis
Flumine Phoebigenam Stygias detrusit in undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, et nymphae Egeriae nemorique relegat:
Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.
Unde etiam templo Triviae lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi; quod litore currum
Et juvenem monstris pavidi effudere marinis.
Filius ardentes haud secius aequore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
    Ipse inter primos praestanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est.
Cui triplici crinita juba galea alta Chimaeram

---

763) C. 1, 8. *hymetia.* C. 7. *rimentia.* Circa Ariciam nemus ingens fuit dictum Dianae, vel Egeriae. 764) In Taurica Chersoneso colebatur Diana sanguine exterorum hominum, quotquot illuc appellebant. 765) Dolo novercae Phaedrae. 766) Hamb. I. *Deciderit.* Witt. *explevit.* 768) C. 7. *Aetherea.* 769) Paeon, ab Apolline medicorum Deo deductum, videtur nomen commune medicorum rerumque med. fuisse. 771) C. 7. 8. *limina.* 772) Aesculapium, Phoebi filium, mortales in vitam restituisse notum est. 773) C. 6, 7. *Fulmine.* C. 7. *destruxit.* Rom. *Poenigenam.* 775) C. 6. *Egeri.* 776) Al. *ibi.* Med. *ignorabilis*, pro ignoto. 777) C. 8. *numine.* Gud. *Verbius* 778) C. 8. *et jam.* Dorv. *sacratas.* Antiqua religione equi ab hoc loco arcebantur. 779) Ven *littora.* Non solum arcentur, sed tanquam auctores mali Hippolytus viginti equos mactandos dedicavit Aesculapio. 780) C. 1. *effundere.* Dorv. *in armis.* Gud. *pavide.* 781) Plur. *segnius.* Etsi equi a luco parentis arcebantur, haud minus tamen filius eos agitabat. 784) Agit se, et rotat furentem ad bellum. 785) C. 6. *Cimeram.* Ven. *crinata.*

ustinet, Aetnaeos efflantem faucibus ignes;
Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.
At laevem clipeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam setis obsita, jam bos,
Argumentum ingens, et custos virginis Argus,
Caelataque amnem fundens pater Inachus urna.
Insequitur nimbus peditum, clipeataque totis
Agmina densentur campis, Argivaque pubes,
Auruncaeque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranae acies, et picti scuta Labici:
Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numicî
Litus arant, Rutulosque exercent vomere colles,
Circaeumque jugum, quìs Jupiter Anxurus arvis
Praesidet, et viridi gaudens Feronia luco;
Qua Saturae jacet atra palus, gelidusque per imas
Quaerit iter valles atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum et florentes aere catervas,
Bellatrix: non illa colo calathisve Minervae
Femineas assueta manus, sed proelia virgo
Dura pati, cursuque pedum praevertere ventos.
Illa vel intactae segetis per summa volaret

---

786) C. 7. *Substinet.* Plur. *afflantem.* 787) Al. *Jam, Tum, Quo m.* 789) Gud. *Ad.* Sprot. *Et.* Fluvii Inachi filia *Jo* cum amaretur a Jove, ab eodem in juvencam est conversa, ne a Junone agnosceretur. 790) Dorv. *insignabat.* Rom. *obstita..* Men. II. *iam bis.* 791) C. 6. *Argos.* 792) Urna est insigne fluviorum. 793) Al. *pilataq.* 794) C. 6, 1, 7. *densantur.* Pertinet ad originem Turni et colonos Argivos, qui cum Danae ad Italiam venerant. 795) Auruncae h. l. sunt, qui cis Lirim habitabant. Sicani sunt reliquiae ex iis, quae ad Tiberim in Rutulorum finibus consedisse videntur. 796) Al. *Sarranae, Saranae*, cuius agminis obscura est memoria. 797) C. 8. *inimici.* Leid. *Munici*, pro ipso Numicio amne sacro. 799) C. 1. *anxeris.* C. 6. *Anxiris.* Anxur Volscorum nomine Juppiter appellatus, cum colebatur ut puer et imberbis. 800) In C. 8. hic vers. priori antepositus est. Parrh. *Foronia*, quam Deam Servius Junonem vult intelligi. 801) C 6. *Satureia et.* 802) C. 6. *atque mare.* Leid. *volvitur.* Ven. *Uffens.* Conjunxit poeta loca inter se vicina. 803) Hamb. I. *Volcsa*, gens bellicosa. 804) C. 8. *florentis*, sed fulgentes, quia ignes dicuntur florere. 805) De calathis, canistris, ubi fila et lanae et alia reponuntur, Minervae tribuuntur, quia lanificii textiliumque operum habetur praeses. 808) Burm. *volasset.*

Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas;
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingueret aequore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa juventus
Turbaque miratur matrum, et prospectat euntem,
Attonitis inhians animis: ut regius ostro
Velet honos laeves humeros, ut fibula crinem
Auro internectat; Lyciam ut gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem praefixa cuspide myrtum.

---

809) Hamb. II. *arenas*. 810) Pier. aliq. *fluctus* sus. tumentes. 811) C. 8. *celeris*. C. 8. *tingeret*. 814) Gud. *A. haesere an*. Purpura ex ostrei s. muricis sanguine expressa. 815) C. 8. *honus*. C. 1, 8. *levis*. Goth. II. *letos hum. et fib.* Ven. *humerosque leves*. 816) Burm. duo *aut g.* Al. *ferat illa*. Fibula de acu sumenda est. 817) Oudart. *Ut pastoralem* appellat, quia vita sylvestri ac pastorali instituta a Metabo fuerat Camilla.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER OCTAVUS.

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, et rauco strepuerunt cornua cantu,
Utque acres concussit equos, utque impulit arma:
Extemplo turbati animi, simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, saevitque juventus
Effera. Ductores primi Messapus et Ufens,
Contemtorque deûm Mezentius, undique cogunt
Auxilia, et latos vastant cultoribus agros.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, et, Latio consistere Teucros,
Advectum Aenean classi, victosque Penates
Inferre, et fatis regem se dicere posci,

LIBER OCTAVUS.

1) Zul. *At.* Laurentum Turnus belli sedem fecerat. 2) Leid. *crepuerunt.* Goth. II. *stupuerunt.* Cornua, s. tubas aereas. 3) C. 1, 8. *acres.* Goth. III. *Atque.* Goth. I. *concessit*; sed potius concitavit et movit. 4) C. 7. *extimplo.* 8) C. 7. *Auxiliaque et.* Quemadmodum dicitur, vomeres mutari in gladios instante bello, ita agricolas in milites. 9) Urbs Diomedis est Argyripa, in Apulia Daunia. 10) Aux., sc. a Graecis, qui diversi a Latinis genere et moribus. 11) C. 7, 8. *Aeneam.* C. 6. *Adventum.* Ed. Ven. *classe.* 12) Goth. III. *Auferre.* Goth. II. *se ducere.*

Edoceat, multasque viro se adjungere gentes
Dardanio, et late Latio increbrescere nomen.
Quid struat his coeptis, quem, si Fortuna sequatur,
Eventum pugnae cupiat, manifestius ipsi,
Quam Turno regi, aut regi apparere Latino.
Talia per Latium: quae Laomedontius heros
Cuncta videns magno curarum fluctuat aestu;
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Sicut aquae tremulum labris ubi lumen aënis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunae,
Omnia pervolitat late loca, jamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.
Nox erat, et terras animalia fessa per omnes
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:
Quum pater in ripa gelidique sub aetheris axe
Aeneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus. Eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo.
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
O sate gente deûm, Trojanam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, aeternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis;
Hic tibi certa domus; certi, ne absiste, Penates;

---

13) C. 7. *Edocet.* Hamb. I. *se jungere.* 14) C. 6. *increbrescere.* 15) Oud. *str. inceptis.* Goth. II. *studeat coeptis.* Rott. III. *quae si.* 16) C. 8. *cupiunt*; al. *cupiet*, *cupiant*, *capiat.* 17) C. 7. *ac regi.* 18) Aeneas ex eadem familia, qua Laomedon, rex Trojanus. 21) C. 1. *partisque.* C. 1. *per quae.* 23) Imago Lunae in aquae superficiem incidit, ab eaque redditur. 25) Laquearia dicuntur summa aedium a variis laqueis et scalpturis, quibus polita esse solent. 26) C. 7, 1. *omnis.* Goth. II. *an. versa.* 27) C. 6. *Alitum.* 28) Burm. duo *Tum.* Sub aperto aere. 30) Natura ipsa vicit Aeneam vigilantem, et veluti obluctantem somno. 33) Plures *cum.* Glauca palla carbasina humeris vel femori fluviorum injecta insignis veterum. 34) C. 8. *crinit.* Arundine fluvii coronati. 35) Mor. II. *Cum.* Dorv. *adfatur.* 36) Gens Trojana per Dardanum ex Italia olim profecta erat; Aeneas a Diis ortum habet. 37) C. 8. *Quin.* 38) Med. *loco.* 39) C. 7. *obsiste*; al. *adsiste.*

Neu belli terrere minis. Tumor omnis et irae
Concessere deûm.
Jamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum,
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, jacebit;
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc qua ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, adverte, docebo.
Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui regem Evandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum, et posuere in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.
Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina;
Hos castris adhibe socios, et foedera junge.
Ipse ego te ripis et recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate dea; primisque cadentibus astris
Junoni fer rite preces, iramque minasque
Supplicibus supera votis. Mihi victor honorem
Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, et pinguia culta secantem,
Caeruleus Thybris, coelo gratissimus amnis.
Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus, exit.

---

40) C. 1, 7, 8. *timor.* 41) C. 6, 7. *Concessere Deum profugis nova moenia theucris.* C. 8. *pr. nobis m.* Conc. s. resederunt. 42) Rom. *nec v.* Gud. *ni v. putas.* 43) Rom. *sub ilice buxus.* 44) C. 8. *vetus enixa.* C. 7. *enisa.* 45) Med. *recubant a — nati.* 47) Plur. *tridenis.* 48) C. 6. *condit claro.* Hamb. II. *condens* Albam, vulgo Longam, ob situm inter lacum et montem inde Albanum appellatum. 56) Med. *Expediam.* Goth. II. *Expedies.* 51) Arcadia regio est Peloponnesi media. 54) Evander, pronepos Pallantis regis Arcadum, patrem suum occidit. 55) Hamb. II. *ducent.* 57) Men. I. *tecto*, pro recto fluminis itinere, absque errore. 58) C. 7. *in amnem.* 59) C. 7. *aie.* C. 7. *primis cad. astr.*, sub primam diei lucem. 60) C. 1, 6, 8, 7. *irasque.* Ferre s. fundere preces. 61) C. 1, 6, 8. *supera donis.* 62) Witt. *Persolvis.* Plenum flumen est, cum aqua attingit et lambit summas ripas, quam gloriam dant Itali suo Tyberi, ut pleno semper sit alveo. 63) Mor. II. *ruentem*, loca culta et pinguia. 64) Tiberis flavus est. 65) C. 7. *Haec.* Gud. *certa dom.* Med. *caesis.* Roma surget.

Dixit, deinde lacu Fluvius se condidit alto,
Ima petens. Nox Aenean somnusque reliquit.
Surgit, et, aetherii spectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effundit ad aethera voces:
Nymphae, Laurentes Nymphae, genus amnibus unde est,
Tuque, o Thybri tuo genitor cum flumine sancto,
Accipite Aenean, et tandem arcete periclis.
Quo te cunque lacus, miserantem incommoda nostra,
Fonte tenet, quocunque solo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.
Adsis o tantum, et propius tua numina firmes.
Sic memorat, geminasque legit de classe biremes,
Remigioque aptat; socios simul instruit armis.
Ecce autem, subitum atque oculis mirabile monstrum,
Candida per silvam cum fetu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conspicitur sus;
Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxima Juno,
Mactat, sacra ferens, et cum grege sistit ad aram.
Thybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit, et tacita refluens ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis
Sterneret aequor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celerant; rumore secundo

---

66) C. 7. *Fluminis.* Heins. coni. *lacu et fluvio.* 67) Rom. *relinquit.* 68) C. 6, 7. *aetherei.* 69) C. 6. *undante.* Undam ad lavandas manus ante preces fluviali aqua. 70) C. 1. *talis.* Multi *sustinet.* Ed. Ven. *diffudit.* 71) C 6. *undae.* Nymphae sunt fontium praesides, ex quorum colluvie fluvii fiunt. 72) Burm. duo *Tu quoque Tybri.* 74) Lacus pro ipso amne. 75) Rom. *tenent.* Dubitat Aeneas de loco, unde exeat Tyberis, vel quia peregrinus ipse, vel quia caput Tyberis extra Latium est. 77) Rex ital. aquarum ob magnitudinem urbis Romae, quam praeterfluit. 78) C. 1. 6, 8, 7. *tandem.* C. 7. *placidus tua.* Pier. aliq. *Adsis et.*— Tuum monitum per somnum firmes. 79) C. 1. *biremis.* Parrh. *memorans geminas legit.* 80) Sprot. *soc. atque instr.* Remigio, sc. remigibus — armis, sc. armamentis nauticis. 82) Sprot. *foeta.* 83) C. 7. *cum color.* 85) C. 6. *aras.* 87) Goth. III. *sustulit.* 88) C. 6. *ut morem.* Men. II. *et in m.* 89) Witt. *et l.* Ed Ven. *abiret.* C. Rom. *abisset.* 90) C. 1, 8. *celebrant*; al. *peragunt*, *peragrant*, *accelerant.*

Labitur uncta vadis abies; mirantur et undae,
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virûm, fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur
Arboribus, viridesque secant placido aequore silvas.
Sol medium coeli conscenderat igneus orbem,
Quum muros arcemque procul ac rara domorum
Tecta vident; quae nunc Romana potentia coelo
Aequavit; tum res inopes Evandrus habebat.
Ocius advertunt proras, urbique propinquant.
Forte die solemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadae magno divisque ferebat
Ante urbem in luco. Pallas huic filius una,
Una omnes juvenum primi, pauperque senatus,
Thura dabant; tepidusque cruor fumabat ad aras.
Ut celsas videre rates, atque inter opacum
Allabi nemus, et tacitis incumbere remis:
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse;
Et procul e tumulo: Juvenes, quae caussa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferaeque manu ramum praetendit olivae:
Trojugenas ac tela vides inimica Latinis;

---

92) Plures *Mirantur*. 93) C. 7. *pictas*. Ed. Ven. p. *fluvioque*. 94) Ven. *navigio*. Poetae tempori tribuunt tanquam actum ab eo, quod in eo fit. Fatigare est proprie fatim agere, valo tractare. 96) C. 7. *virides*. C. 6. *virisque*. Plac. fluvii alveo navigant inter ripas silvis consitas. 97) C. 6. *urbem*. Sprot. *medio*. Franc. *considerat*. 98) C. 8, 7. *et rara*. 100) C. 7, 8. *tunc*. C. 1, 6, 8, 7. *Evander*. 101) Burm. duo *avertunt*. Goth. II. *et ubique*. 102) Dorv. *diem*. Mediol. *solemne*. 103) C. 1. *Amphitryonidae*; Hercules filius uxoris Amphitryonis. 104) Oudart *hinc*. Parrh. *quem*. 105) Concilium senum a Romanis vocatum est senatus 106) Gud. *dabat*. Zul. *trepidus*. Mor. I. *ad auras*. Fuit solemne in conviviis et sacris heroum tauros mactari. 107) C. 8. *utque inter o*. 108) C. 6. *tacitos*, Gl. nullum strepitum moventes. 110) Med. *quod*. Mensis, ubi vescebantur sacris carnibus, et postea sacrificio vacabant 111) Goth. III. *ille*. 112) Plures *quae cura*. 114) C. 6, 7. *Quid genus*. Rom. *in arma*. 115) Puppis est locus principis. 116) Witt *tetendit*.

Quos illi bello profugos egere superbo.
Evandrum petimus. Ferte haec, et dicite lectos
Dardaniae venisse duces, socia arma rogantes.
Obstupuit tanto percussus nomine Pallas:
Egredere o, quicunque es, ait, coramque parentem
Alloquere, ac nostris succede penatibus hospes.
Excepitque manu, dextramque amplexus inhaesit.
Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt.
    Tum regem Aeneas dictis affatur amicis:
Optime Grajugenûm, cui me Fortuna precari.
Et vitta comtos voluit praetendere ramos;
Non equidem extimui, Danaûm quod ductor, et Arcas,
Quodque ab stirpe fores geminis conjunctus Atridis;
Sed mea me virtus, et sancta oracula divûm,
Cognatique patres, tua terris didita fama,
Conjunxere tibi, et fatis egere volentem.
Dardanus, Iliacae primus pater urbis et auctor,
Electra, ut Graji perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros; Electram maximus Atlas
Edidit, aetherios humero qui sustinet orbes.
Vobis Mercurius pater est; quem candida Maja
Cyllenae gelido conceptum vertice fudit;
At Majam, auditis si quidquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, coeli qui sidera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
His fretus non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi; me, me ipse, meumque

---

118) Rom. *ille*. 119) C. 7. *letos*. Dorv. *hoc*. 120) C. 1, 8, 7. *venisse viros*. 121) C. 6. *obstipuit*. 122) C. 1. *parente*. C. 7. Egredere, sine *o*. 124) Hugen. *manum*. 125) Franc. *lucum*. Gud. *fluvioque*. 128) C. 6. *volunt* Comtos, s. ornatos. 129) Burm. duo *timui*. Rom. *aries*. 130) C. 1, 6, 8, 7. *a st.*, a sororibus Atlantis filiabus cognationem inter Evandrum et Aeneam repetunt. 131) Conscientia virtutis meae, qua nihil mihi videbar commisisse, quod odio tuo dignum esset. 132) C 1, 7, 8. *dedita*, al. *debita*. 134) C. 1. *auctor et urbis*. 135) C 6. *cretos*. 136) C 7. *Athlas*. Rom. *Atlans*. 138) Vel vobis Arcadibus, quia natus ille in Arcadia, vel vobis Evandro et Pallanti, quia Mercurius habetur pater Evandri. Cand. s. pulchra Maja. 139) C. 7. *Cyleni*. Dorv. *Cilleni*; ed. pl. *Cylenes*. 140) C. 1. *Athlas*. C. 7. *candidus*. 142) Dorv. *findit*. Goth II. *ab imo*. 144) C. 7. *memet ipse*. Pangere est figere, constituere; ex eo, quod figi dicuntur ea, quae decreta sunt, etiam sunt pacta.

Objeci caput, et supplex ad limina veni.
Gens eadem, quae te, crudeli Daunia bello
Insequitur; nos si pellant, nihil afore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub juga mittant,
Et mare, quod supra, teneant, quodque alluit infra.
Accipe daque fidem. Sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi, et rebus spectata juventus.
 Dixerat Aeneas. Ille os, oculosque loquentis
Jam dudum, et totum lustrabat lumine corpus.
Tum sic pauca refert: Ut te, fortissime Teucrûm,
Accipio agnoscoque libens! ut verba parentis
Et vocem Anchisae magni vultumque recordor!
Nam memini Hesionae visentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protenus Arcadiae gelidos invisere fines.
Tum mihi prima genas vestibat flore juventa;
Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden; sed cunctis altior ibat
Anchises. Mihi mens juvenali ardebat amore
Compellare virum, et dextrae conjungere dextram:
Accessi, et cupidus Phenei sub moenia duxi.
Ille mihi insignem pharetram Lyciasque sagittas
Discedens chlamydemque auro dedit intertextam,
Frenaque bina, meus quae nunc habet, aurea, Pallas.
Ergo et, quam petitis, juncta est mihi foedere dextra;
Et, lux quum primum terris se crastina reddet,
Auxilio laetos dimittam, opibusque juvabo.

---

145) C. 8. *moenia.* C. 7. *lumina.* 146) C. 8. *belle.* Taunus rex fuit pater Turni. 147) C. 7, 8. *abfore, obfore.* Med. *adfore.* 148) C. 7. *sub sua juga*, sc. militaria. 149) C. 7. *supra est.* Plures *abluit.* Supra sive Adriaticum, infra s. Tyrrhenum. 150) Credibile hoc puncto temporis datas dexteras ab Evandro et Aenea: erat enim symbolum acceptae et datae fidei duarum manuum innexio. 151) C. 1. *exspectata.* 155) C. 8. *sic verba.* C. 6. *ut libens.* Plures *Aspicio.* 157) C. 7. *viscentem.* Rom. *Hisionae*, Laomedontis filia, uxor Telamonis. 158) C. 7. *et Salamina.* 159) C. 1, 8. *Protinus.* 160) C. 1. *juventus.* C 6. *juventas.* 163) C. 1, 7, 8. *juvenili.* 164) C. 1. *dextram conjungere dextrae.* 165) Pheneum Arcadiae urbs et lacus. 166) Hospitalia munera in omnium gentium usu erant 167) C. 8. *intertextam*, Gl. intertexto. 169) Leid. *Et nunc quam.* Mont. *quae.* 170) Bigot. *lux quam.* 171) Pier. *tutos.* Ed. Junt. *demittam.* Opibus, quibus Trojani ad bellum instrui poterant.

Interea sacra haec, quando huc venistis amici,
Annua, quae differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, et jam nunc sociorum assuescite mensis.
Haec ubi dicta, dapes jubet et sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili;
Praecipuumque toro et villosi pelle leonis
Accipit Aenean, solioque invitat acerno.
Tum lecti juvenes certatim araeque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratae Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Aeneas, simul et Trojana juventus,
Perpetui tergo bovis, et lustralibulis extis.
Postquam exemta fames, et amor compressus edendi,
Rex Evandrus ait: Non haec solemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio veterumque ignara deorum
Imposuit: saevis, hospes Trojane, periclis
Servati facimus, meritosque novamus honores.
Jam primum saxis suspensam hanc adspice rupem;
Disjectae procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, et scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit, vasto submota recessu,
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inaccessam radiis; semperque recenti
Caede tepebat humus; foribusque affixa superbis

---

172) Men. I. *sacra, huc q. v.* 173) C. 7. *defferre.* Hamb. II. *Annue.* Men. II. *celebrare.* 175) Pocula metu navium adventantium sublata. Gram. sed, suppetente quippe hanc materiam agro ipso. 177) Men. I. *Principioque.* In conviviis maxime sedes spectabatur, qua quis accipiebatur. 178) C. 6. *lacti.* 179) Ara, non templum, erat Herculis. 180) Ment. I. *ferant.* In conviviis veterum viscera prae aliis animalium partibus in honore fuerunt. 181) Ed. Ven. *frequentant.* Labore confecti panis. 183 — 186 versus desunt C. 1. Constat boves integros ad ignem et epulas apponi solitos. 184) Rom. *comprensus.* 185) C. 6, 8, 7. *Evander.* Burm. duo *Evandros.* 186) Cerda *nominis.* 187) C. 1, 6, 8, 7. *veterumve.* Non colimus Herculem, recentiorem Deum, contemptu antiquiorum. 189) Men. I. *Serv. colimus.* Dorv. *meritos sacramus.* Mor. I. *renovamus.* 190) C. 6. *aspide* 192) Burm. duo *texere.* 193) Mor. qu. *Haec.* Ven. *huic.* 194) C. 8. *tegebat.* Cacus media parte ferus, media homo fuisse dicitur. 196) Superbis s. atrocibus.

Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes magna se mole ferebat.
Attulit et nobis aliquando optantibus aetas
Auxilium adventumque dei. Nam maximus ultor,
Tergemini nece Geryonae spoliisque superbus,
Alcides aderat, taurosque hac victor agebat
Ingentes; vallemque boves amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,
Quatuor a stabulis praestanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante juvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos, versisque viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.
Quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea, quum jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,
Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, et colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem, vastoque sub antro
Mugiit, et Caci spem custodita fefellit.
Hic fero Alcidae furiis exarserat atro
Felle dolor; rapit arma manu nodisque gravatum
Robur, et aetherii cursu petit ardua montis.

---

197) Med. *squallida.* 198) Quippe filius Vulcani flammas paternas ejectabat. 199) C. 1, 7. *ignis.* C. 7. *movens.* Magna corporis mole incedebat. 202) C. 1, 6, 8, 7. *Geryonis.* Rom. *Geryoni.* Tergem s. triplex. Spoliis s. bobus. 203) C. 1. *huc* (6, 7, 8. *ac*). Herculis Victoris aedes hic subintelliguntur. 204) C. 1. *Ingentis.* C. 7. *vallem.* 205) C. 1, 8, 6 *furis.* Non describitur iratus homo, sed moribus perditissimus. 206) C. 1, 6, 8, 7. *intemptatum.* 207) Qu. a pascuis, in quibus procubuerant. 208) C. 7. *advertit.* 209) Ven. *Atque has.* Mor. I. *ferent.* 210) Versa viarum indicia sunt vestigia pedum. 211) C. 7. *raptas.* 212) C. 1. *Quaerenti.* C. 7. *Quaerentis.* Med. *Quaerente.* 213) Ven. *movebat.* 214) Burm. duo *habitumque.* Med *parabat.* Mor. qu. *pararat.* Rom. *pararent.* 215) Gud. *Discessum.* 216) Goth. III. *relinquit.* G. II. *reliquit*, sc. a bubus. 218) Plures *Mugiit.* 219) C. 8. *exarserit.* Ven. *Alcides.* Rom. *antro.* Furiis s. per iram. 220) Felle pro bile, in qua poeta videtur iracundiam ponere. 221) C. 1, 6, 8. *aerei*, quasi per aerem iter caperet.

Tum primum nostri Cacum videre timentem
Turbatumque oculis Fugit ilicet ocior Euro,
Speluncamque petit; pedibus timor addidit alas.
Ut sese inclusit, ruptisque immane catenis
Dejecit saxum, ferro quod et arte paterna
Pendebat, fultosque emuniit objice postes:
Ecce furens animis aderat Tirynthius; omnemque
Accessum lustrans huc ora ferebat et illuc,
Dentibus infrendens. Ter totum fervidus ira
Lustrat Aventini montem; ter saxea tentat
Limina nequidquam; ter fessus valle resedit.
Stabat acuta silex, praecisis undique saxis,
Speluncae dorso insurgens altissima visu;
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona jugo laevum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, et imis
Avulsam solvit radicibus; inde repente
Impulit: impulsu quo maximus insonat aether;
Dissultant ripae, refluitque exterritus amnis.
At specus et Caci detecta apparuit ingens
Regia, et umbrosae penitus patuere cavernae:
Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, et regna recludat
Pallida, dis invisa; superque immane barathrum

---

222) Burm. tres *trementem*. 223) Gud. *oculos*. Montalb. *fugit*, *illico*. 224) C. 8. *Speluncam p*. 225) Goth. II. *includit*. 226) C. 7. *quod arte*. Leid. *Objecit*. Cyclopes, ministri Vulcani, artem reperisse dicuntur muniendarum urbium. 227) C. 7. *fultos*. C. 6. *muniit*. C. 7. *emunit*. C. 7. *obice*. 228) Leid. *animi*. Terynthius dictus Hercules ab oppido Peloponn., ubi Herculem educatum fuisse traditur. 230) Men. I. *Tunc tot*. Rom. *frendens*, nota irati hominis. 234) Plures *incumbens*. Dorsum de montibus. 235) Dir. vol., sc. bubonum, corvorum etc. rapacium. 236) Rott. III. *impendebat*. In ripa fluvii ita situm, ut ad laevam ei amnis esset. 237) Hamb. II. *Dextera*. 238) C. 7. *resolvit*. Goth. II. *convulsit*. 239) C. 8. *insonat*, Gl. *intonat*. Ment. II. *impulso*. Ven. *aer*. 240) Heins. aliquot deest *que*. 241) Ven. *Ac*. Mor. II. *ut*. Goth. III. *dejecta*. Post avulsum scopulum, qui tegebat speluncam, apparuit specus et Caci regia, atque etiam cavernae illae, qua secretissimae et penitissimae. 242) Goth. II. *catervae*. Al. *late* pro *penitus*. 243) Goth. III. *Nec s*. 244) C. 7. *reserat s*., *ac regna recludit*. Hamb. II. *recludant*. 245) C. 1, 6, 8, 7. *Diis*. Al. *super*, *superest*, *superne*.

Cernatur, trepidentque immisso lumine Manes.
Ergo insperata deprensum in luce repente,
Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem,
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat, et ramis vastisque molaribus instat.
Ille autem, neque enim fuga jam super ulla pericli,
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit, involvitque domum caligine caeca,
Prospectum eripiens oculis; glomeratque sub antro
Fumiferam noctem commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem
Praecipiti injecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens specus aestuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, et angit inhaerens
Elisos oculos, et siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revulsis;
Abstractaeque boves abjurataeque rapinae
Coelo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, vultum, villosaque setis
Pectora semiferi, atque exstinctos faucibus ignes.
Ex illo celebratus honos, laetique minores
Servavere diem, primusque Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri
Hanc aram luco statuit, quae Maxima semper

---

246) C. 6, 1, 7. abest *que*. Dorv. *admisso*. Manes timent coeli lumen. 248) Rom. *saxoque insueta*, insolito more vociferantem. 250) Saxis grandibus, quae molarum instar essent. Ramus hoc loco est clava Herculea. 251) C. 1. *pericli est*. 255) Multi *Fumigeram*. Ed. Ven. *Flammiferam*. 257) C 1. *jecit*. C. 7. *ejecit*. Vaporem in modum undae erumpentem. 258) C. 8. *speco*. 259) Burm. duo *Sic*. Inc. vana, quia in quibus fumi multum, ignis parum est. 260) Bigot. *in medium*; sed potius ligat complexu, et nodo brachiorum. Angit sc. gutture. 261) El. oculos, sc. ab arctissimo complexu. 262) C. 7. *extimplo*, ut semper. Gud. *interea*. 263) Ed. Ven. *Abstractique b. obj*. 264) Goth. III. *immane cad*. 266) C. 7. *Terribilesque*. Dorv. *pilosa*. 267) C. 1. *ignis*. Goth. III. *semifera*. 268) C. 6, 7. *celebratur*, ut Heins. aliq. 269) C. 7. *primus*. Potitius auctor fuit arae huius, atque Pinarius, ad cujus postea domum et familiam pertinuit custodia Sacrorum Herculis. 270) Rom. *sacris*. 271) C. 7. *loco*. Ara illa in foro boario fuit, quod est inter montes Aventinum, Palatinum et Capitolinum.

Dicetur nobis, et erit quae maxima semper.
Quare agite, o juvenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris,
Communemque vocate deum, et date vina volentes.
Dixerat: Herculea bicolor quum populus umbra
Velavitque comas foliisque innexa pependit;
Et sacer implevit dextram scyphus. Ocius omnes
In mensam laeti libant, divosque precantur.
  Devexo interea propior fit Vesper Olympo:
Jamque sacerdotes primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
Instaurant epulas, et mensae grata secundae
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis;
Hic juvenum chorus, ille senum: qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt: ut prima novercae
Monstra manu geminosque premens eliserit angues;
Ut bello egregias idem disjecerit urbes,
Trojamque Oechaliamque; ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquae,
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembres

---

272) C. 8. deest hic vers. Maxima in honorem Herculis exstructa fuit. 273) Maximae celebritates munera dicebantur. 274) Burm. duo *fronte*. Leid. II. *comam*. Plures *spargite*. 275) Hercules communis Deus ob humanitatem et bonitatem. 276) Hamb. I. *Herculeae umbrae*. Bicolor populus extrorsum et introrsum, licet alba. 277) C. 7. *velavit*. Gud. *nexa*. 278) C. 7 *ciphus*. Bigot. *implerat*. Hamb. II. *dextras*. Scyphus affertur. quia vas capacissimum. 279) Plures *In mensa*. Lib., sc. effusa aliqua parte vini e patera in mensam. 281) Rott. III. *ibat*. 282) In morem Herculis, qui pelle leonis indutus erat. 283) Gud. *Instaurantque*, sc. integrant et renovant. 284) Cerda onus ad turis copiam refert. 285) Rom. *Tunc*. Salii a Numa instituti sunt in honorem Martis ad cantus ea fortasse forma, qua servi ad pedes. 286) Plures *et vincti*. Populeis, sc. arbore Herculea. 287) C. 8. *Nec juvenum*. Pier. aliq. *atque senum*. In his choris Virg. potuit alludere ad varios ritus; illi sc. aderant post epulas. 288) C. 8. *ferunt*. Burm. duo *fata*. Hercules Jovis filius et Alcmenae odio Junonis novercae multis laboribus expositus est. 290) Ven. *Et b. — devicerit*. 291) C. 1, 7. *Oethaliamque*. Oechalia erat Euryti regia in tractu Messeniaco. 292) Fatis, quae Junonis odium fecerat. 293) C. 1. *bimembris*. Nubigenas, centauros.

Hylaeumque, Pholumque manu, tu Cresia mactas
Prodigia, et vastum Nemeae sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te janitor Orci
Ossa super recubans antro semesa cruento;
Nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoëus
Arduus, arma tenens; non te rationis egentem
Lernaeus turba capitum circumstetit anguis.
Salve, vera Jovis proles, decus addite divis:
Et nos, et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant: super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus aevo,
Et comitem Aenean juxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone levabat.
Miratur, facilesque oculos fert omnia circum
Aeneas, rapiturque locis; et singula laetus
Exquiritque auditque virûm monumenta priorum.
Tum rex Evandrus Romanae conditor arcis:
Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant,
Gensque virûm truncis et duro robore nata;
Quîs neque mos neque cultus erat; nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto:

---

294) Dorv. *Crescia.* Goth. II. *metas.* Alluditur ad res Cretensium, quia ferax monstrorum Creta fuit. 296) Oudart. *flevere* Ferunt fabulae, latissime leonem hunc in antro rupis. 297) C. 8 *antro semisso.* 298) Parrh. *Non te.* Goth. III. *Te nullae.* Al. *nec terr.* Facies, i. e. formae et species malorum. 299) Al. *nec te.* 301) Salve, quia verus filius, neque supposititius. 302) Dexter, propitius. 303) C. 7. *omina.* C. 6. *Cacci.* 304) C. 6. *spirantem* Cerda credit, Virg. adjecisse animum ad veterum Comicorum choros, a quibus pars fabulae praecipua saepius repetebatur. 307) Obsitus, gravis aevo. 309) Rom. *lavabat.* *Ingrediens* pertinet ad incessum heroum. 310) C. 1. *facilisque,* mobiles oculos hospitis, qui omnia avide lustrat. 312) C. 6, 1, 7. *monimenta.* 313) Cond. oppiduli in Palatino monte. 314) C. 8. *indigne* Indigenae, aborigines, primi incolae. 315) C. 7. *Gens quoque.* Rott. III. *et rupto.* Robore nati, quia in cavis arborum truncis primo habitabant, et inde nati putabantur. 316) Mos, lex quaedam vivendi.

Sed rami atque asper victu venatus alebat.
Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo;
Arma Jovis fugiens, et regnis exsul ademtis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aurea quae perhibent, illo sub rege fuerunt
Saecula; sic placida populos in pace regebat:
Deterior donec paullatim ac decolor aetas,
Et belli rabies, et amor successit habendi.
Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanae;
Saepius et nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, asperque immani corpore Thybris:
A quo post Itali fluvium cognomine Thybrim
Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem,
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuere locis; matrisque egere tremenda
Carmentis Nymphae monita, et deus auctor Apollo.
Vix ea dicta: dehinc progressus monstrat et aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam
Quam memorant, Nymphae priscum Carmentis honorem,
Vatis fatidicae: cecinit quae prima futuros
Aeneadas magnos et nobile Pallanteum.

---

318) C. 7. *victus.* Rami, fructus arborum. Non minus cibo hoc, quam superiore, explicata est aevi illius ruditas. 319) Saturnus Cretensis rex, a Jove filio primum liberatus e manibus Titanum. 320) C 7. *adeptis.* 321) Gens indocilu rudis aevi, cui nulla justitiae ratio, nulla legis norma. Mortales ante urbes conditas in montibus vivebant. 322) Latium appellavit Italiam, quod in ea contra filii insidias latuisset. 323) C. I. *totus.* Goth. II. *in hortis.* 324) C. 7, 8. *Aureaque ut.* C. 1, 7, 8. *fuere.* Per aurum indicantur aevi hujus virtutes. 326) Aetas argentea, ab aureo colore deficiens, detrito colore. 328) C. 8. *Ausoniae.* Ausones Livius et alii vulgo Aborigines appellant. Siculos, Sicanos, primos Latii et Sabinae regionis incolas fuisse constat. 330) C. 7 *tibris.* Rex Tuscorum, qui occisus juxta fluvium Albulam, huic nomen reliquit suum. 335) C 6. *matris.* 336) C. 8. *monitu.* C. 7. *monita deus.* Carmenta, mater Evandri, Graecis dicta Themis. Monita sunt fata, aut responsa. 337) Med. *et arma.* Arae dicuntur altaria, templa, sepulcra. 338) Haec porta fuit Romae ad ima Capitolini montis versus Tiberim. 339) Ob retentum Carmentae nomen 341) C. 1 *Aeneades.* C. 7. *Aeneados.*

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Retulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.
Nec non et sacri monstrat nemus Argileti,
Testaturque locum, et letum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpejam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.
Jam tum religio pavidos terrebat agrestes
Dira loci; jam tum silvam saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
Quis deus incertum est, habitat deus; Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem, quum saepe nigrantem
Aegida concuteret, dextra nimbosque cieret.
Haec duo praeterea disjectis oppida muris,
Reliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Evandri, passimque armenta videbant
Romanoque foro et lautis mugire Carinis.

---

342) Asylum, locum a Romulo constitutum inter querceta duo, quo quicunque confugerent, salvi ac securi essent. 343) C. 7. *ripe.* Retulit, appellavit. Lupercal, locum in Palatino monte, ubi Arcades Evandro auctore templum exstruxerant Pani Arcadiae Deo. 344) C. 7. *Pannos.* Rom. *Parnasio de more*; intellige ceremoniam quampiam, qua templa apud Arcades sacrarentur. 345) C. 1, 6. *Argiloeti.* C. 7. *Argilleetis*, locum inter Aventinum et Capitolinum circa forum boarium. 346) C. 7. *et dudum.* Virg. conjunxit carmine superiore, quod in hoc dissolvit, sc. lethum hosp. Argi. 347) Mons Saturnius appellatus Tarpeius, dein Capitolinus, ab humano capite ibidem invento. 348) C. 8. *silvestris.* Nihil magis ad admirationem, quam moles Capitolina ex humili exordio. 349) C. 1. *agrestis.* 350) C. 1. *timebant.* Mont. *saltumque.* Med. *tenebant.* Dira, admirabilis; fors diritas pertinet ad horrorem, quem religio incutit. 352) Evander hic Deum ignorat, tametsi ex opinione Arcadum Jovem putet. 353) Credunt, quasi non certo sciant. 354) Hugen. *crearet.* Clypeum Jupiter sibi finxisse dicitur ex pelle Amaltheae caprae, nutricis suae. 355) Men. I. *defectis*; al. *dejectis.* 357) C. 1, 8. *condidit urbem.* C. 7. *addidit urb.* 358) Mons Janiculus ad occidentalem Tybris ripam, Saturnius ad orientalem, Capitolinus deinde dictus. 359) Tecta, ad Evandri paupertatem. 361) Rom. *cavernis.* Forum fuit, ubi postea Rostra. Pars Romae dicta est Carinae, quod ibi aedificia in modum carinarum; et lautae, quia speciosa ista aedificia.

Ut ventum ad sedes: Haec, inquit, limina victor
Alcides subiit; haec illum regia cepit.
Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge deo; rebusque veni non asper egenis.
Dixit, et angusti subter fastigia tecti
Ingentem Aenean duxit, stratisque locavit
Effultum foliis et pelle Libystidis ursae.
Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequidquam exterrita mater,
Laurentumque minis et duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur, thalamoque haec conjugis aureo
Incipit, et dictis divinum adspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita casurasque inimicis ignibus arces,
Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis opisque tuae; nec te, carissime conjunx,
Incassumve tuos volui exercere labores:
Quamvis et Priami deberem plurima natis,
Et durum Aeneae flevissem saepe laborem.
Nunc Jovis imperiis Rutulorum constitit oris.
Ergo eadem supplex venio, et sanctum mihi numen
Arma rogo, genetrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lacrimis Tithonia flectere conjunx.
Adspice, qui coëant populi, quae moenia clausis
Ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.

---

362) C. 8. *hoc inquit.* 363) Casulae pastorum regiae dictae sunt. 364) Goth. II. *contingere.* 366) C. 1. *augusti.* Pier. aliq. *subeunt.* Burm. duo *vestigia.* 367) Ingens hospes Aeneas succedit subter angustum tectum. 368) Rott. I. *effectum.* Goth. III. *spoliis.* Ven. *Libistridis*; al. Libyssidis. 369) Alae nocti dantur. 371) C. 8. *duro*, Gl. diro. 372) C. 6. *thalamo haec*; sc. in thalamo. 373) Hamb. II. *honorem.* Voſs. I. *odorem.* 374) Mor. II. *Cum.* Franc. *Tum.* De Argis, qua urbe regia Agamemnonis, et de Pergamis, qua arce Trojae jam Ae. 1, 288 et 470 disseruimus. 375) Oudart. *urbes.* Debita s. fataliter ad exitium destinata. 377) C. 1, 6, 8. *opisve*, ut multi. 378) Med. *incassumque.* 379) Priami natis, sc. Paridi, a quo pulchritudinis praemium tulerat, pomum aureum. 380) C. 8. *dolorem.* 381) C. 1, 8. *imperio.* Mor. II *arvis.* 382) Leid, *nomen.* 383) C. 6. *Neri*, Thetis, de qua pro filio Achille arma a Vulcano impetravit. 384) Parrh. *Tritonia.* Aurora, Tithonis uxor, pro Memnone filio ad Troianum bellum proficiscente. 385) Al. *quo*, *quos*, *qua.* 386) C. 7. *acuunt.*

Dixerat; et niveis hinc atque hinc diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. Ille repente
Accepit solitam flammam; notusque medullas
Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit:
Non secus atque olim, tonitru quum rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit laeta dolis, et formae conscia conjunx.
Tum pater aeterno fatur devinctus amore:
Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit
Quo tibi, diva, mei? similis si cura fuisset,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset;
Nec Pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras, atque haec tibi mens est:
Quidquid in arte mea possum promittere curae,
Quod fieri ferro liquidove potest electro,
Quantum ignes animaeque valent; absiste precando
Viribus indubitare tuis. Fa verba locutus
Optatos dedit amplexus placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.
  Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactae
Curriculo expulerat somnum; quum femina primum,
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Impositum, cinerem et sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi; famulasque ad lumina longo
Exercet penso; castum ut servare cubile
Conjugis, et possit parvos educere natos:

---

389) Plures *solidam famam*; *notasque medullis*. Deus ignis fingitur conjux Veneris, quia res hujus calore consistunt. 390) C. 1, 7. *calefacta* per ossa in quibus medulla consumta est. 391 Burm. tres *rapta*. 392) Virg. maluit nimbos proprie, quia fulmina generantur in nubibus. 394) C. 6, 8 *fertur devictus*. 396) Pier. aliq. *Quid t.* Rom. *Quod t.* Med. *Quae t.* 397) C 8. *Tunc*. C. 7. *Tu*. 398) Fata a Diis non immutari, sed differri censebantur posse. 401) C. 7, 8. *possunt*. 402) C. 1, 8. *potestur*. C. 7. *liquidone*. Electrum, qua exquisitius metalli genus. 403) Al. *assiste*, *obsiste*. Animae sunt hic spiramenta. 404) C. 7, 1. *meis*. 405) Bigot. *Oblatos*. 406) Zul. *in gremio fusus*. Pier. aliq. *infusum*. 407) C. 7. *ut*. Mont *abacto*. Prima quies vocatur somnus usque ad mediam noctem. 409) C. 1. *calathisve Minerva*; lanificio tenuem victum praebente 410) Suscitat impositum cinerem, sc. dimovendo; et dimoto cinere sequitur, ut suscitentur ignes. 412) C. 8. *et servare*. Med. *Exercens*. Ut otia vitet, infesta pudicitiae.

Haud secus Ignipotens, nec tempore segnior illo
Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.
Insula Sicanium juxta latus Aeoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis:
Quam subter specus et Cyclopum exesa caminis
Antra Aetnaea tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis
Stricturae Chalybum, et fornacibus ignis anhelat;
Vulcani domus, et Vulcania nomine tellus.
Hoc tunc Ignipotens coelo descendit ab alto.
Ferrrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus jam parte polita
Fulmen erat; toto genitor quae plurima coelo
Dejicit in terras; pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti radios, tres nubis aquosae
Addiderant, rutuli tres ignis et alitis Austri.
Fulgores nunc horrificos, sonitumque, metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque rotasque volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes;
Aegidaque horriferam, turbatae Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,

---

414) Igni debentur artificiata omnia; ignipotens a domando ferro. 416) C. 8. *Sicanum.* 417) C. I. *Liparem.* Rom. *Lipare.* 418 Pier. aliq. *subtus.* Goth. II. *exosa.* 419) Antra Aetnaea, pro ignivomis, tonant, quia ictus malleorum in incudibus instar tonitru. 420) Med. *gemitus.* Parrh. *sonitum*, sc. resonant per antra ictus incudum. 421) Stricturae, ferrum, ut e fodinis extrahitur, in massas quasi terreas stipatum. Chalybes, populi vel Ponti vel Hispaniae, ferrariis fodinis et operibus insignes. 423) C. 6. *tum.* Al. *Huc*, quod significetur. Sedes Vulcani in coelo erat, ferraria illius in terra, inde necessarius descensus. 424) Hamb. I. *vasti.* 425) C. I. *Pyrathmon.* Brontes etc. sunt nomina Cyclopum e Graecis poetis repetita. 427) C. 8. *et toto.* 428) C. 7. *Dejecit.* Ment. II. *manebant.* 429) C. 8. *Iris.* Ven. *tortc.* Goth. III. *rapidos* Fulmina duodecim radiis effinguntur in circulum dispositis. *Imbris torti* accipi de graudine ait Servius. 430) C. I. *rutili.* C. 8, I. *tris.* C. 7. *alatis.* 431) C. 6, 8. *terrificos.* C. I. *horrisonos*, *sonitusque*; sc. ob tonitru, quod comitatur fulmina. 433) Marti currus bellicus tribuitur; et nulla in re magis necessaria celeritas, quam in bello. 434) Parrh. *Instaurant.* Ven. *excitet.* 435) Palladis ad bellum concitatae.

Connexosque angues, ipsamque in pectore divae
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte labores,
Aetnaei Cyclopes, et huc advertite mentem.
Arma acri facienda viro. Nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Praecipitate moras. Nec plura effatus; et illi
Ocius incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti. Fluit aes rivis, aurique metallum;
Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clipeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum; septenosque orbibus orbes
Impediunt. Alii ventosis follibus auras
Accipiunt redduntque; alii stridentia tinguunt
Aera lacu. Gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.

Haec pater Aeoliis properat dum Lemnius oris,
Evandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Consurgit senior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.
Tum lateri atque humeris Tegeaeum subligat ensem,
Demissa ab laeva pantherae terga retorquens.
Nec non et gemini custodes limine ab alto

---

438) C. 8. *disjecto.* Rom. *dejecto.* Pier. aliq. *dissecto.* Gorgona sunt terriculamenta tragica — Lumina vero oculi. 439) Pier. aliq. *certosque.* 440) Plur. *avertite.* 441) Usus, sc. sit pro, utimini viribus vestris. 443) C. 1. *et illi.* Pier. aliq. *moram.* 444) C 7. *occubuere.* 445) In officina Vulcani non omnis materia ferrea; et hic aurum admixtum aeri, et ferro. 446) Chalybs est genus ferri densissimi. 450) C. 1, 6, 8, 7. *tingunt.* 451) C. 7. *Aerea* (?) *lacu.* 452) Erf. *magna vi.* Rott. II. *tendunt.* 453) C. 7. *ferrum.* Rom. *innumerant.* In numerum, celeriter. 454) C. 7. *hic pater — Lemnius*, sc. Vulcanus ob deformitatem a Junone matre e coelo dejectus est in insulam Lemnum. Properat, active. 455) Antequam Aeneas e lecto surgat, Evander surgit, qui senior. 456) Plures *sub culmina.* Men. I *sub tegmine.* Volucrum, s. gallorum. 457) C. 8. *inducitur.* C. 7. *per artus.* Parrh. *Confestim surgit.* 458) Calceamenta Tyrrheno more. 459) C. 1, 8 *taegaeum*, a Tegea urbe Arcadiae, ubi Pan colebatur. 460) C. 1. *Dimissa.* C. 7. *a laeva.* Amictus pelle, ex dextro humero retorta in laevum latus. 461) C. 7. *lumine*, quia epitheton *altum* ineptum foret ad casam exiguam.

Praecedunt gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Aeneae sedem et secreta petebat,
Sermonum memor et promissi muneris, heros.
Nec minus Aeneas se matutinus agebat
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congressi jungunt dextras, mediisque residunt
Aedibus, et licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior haec:
Maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunqnam
Res equidem Trojae victas aut regna fatebor;
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguae vires. Hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis.
Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis
Jungere castra paro: quam fors inopina salutem
Ostentat. Fatis huc te poscentibus affers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Urbis Agyllinae sedes: ubi Lydia quondam
Gens, bello praeclara, jugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio et saevis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni
Effera? dî capiti ipsius generique reservent!
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus, et sanie taboque fluentes

---

462) C. 7. *Procedunt.* Goth. II. *gressusque — heriles.* 463) C. 7. *patebat.* Sprot. *secura.* 464) C. 8. *numinis.* 465) C. 6. *sese matutinis.* Agere se, incedere. 467) Parrh. *resistunt.* 468) *Med. Aedibus* declarandum est ex forma aedium heroici aevi; pars media est secretior, et ab omni parte remotior ab auscultatoribus. Licebat Evandro secreta animi patefacere. 469) Burm. duo *haec ait.* 471) Goth. II. *v. an bella f.* 472) C. 8 *tantae.* Plures *Nobis auxilium belli.* Pro tanta causa, sc. tanto bello 473) C. 7, *amne.* 474) C. 8 *muros.* 475) C. 1. *ingentis.* C. 7. *ego tibi.* C. 7. *populosque.* C. 7. *regis.* 476) C. 7. *paro castra.* 477) Ven. et Goth. III. *offers.* 478) Burm. aliq. *colitur.* Goth. II. *in saxo coluit.* 479) Agylla urbs Etruriae Graecis ob commercia innotuit; etiam Ceretana dicitur. 480) Rom. *luctis ins.* 481) Goth. III. *multis — annis.* 482) Mezentius rex Caeretanorum. 484) C. 7. *Effeta.* Sprot. *reservant.* 486) C. 7. *manibus manus.* 487) C. 1. *fluentis.* C. 8. *fluenti.*

Complexu in misero longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives infanda furentem
Armati circumsistunt ipsumque domumque;
Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant.
Ille inter caedes Rutulorum elapsus in agros
Confugere, et Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis;
Regem ad supplicium praesenti Marte reposcunt.
His ego te, Aenea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condensae litore puppes,
Signaque ferre jubent; retinet longaevus haruspex
Fata canens: *O Maeoniae delecta juventus,*
Flos veterum virtusque virûm, quos justus in hostem
Fert dolor, et merita accendit Mezentius ira;
Nulli fas Italo tantam subjungere gentem;
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita divûm.
Ipse oratores ad me regnique coronam
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarcho,
Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu saeclisque effeta senectus
Invidet imperium, seraeque ad fortia vires.

---

488) C. 8. *vocabat.* C. 6. *et longa.* Burm. duo *necabant.* 489) Fessi cives acerbitate suppliciorum. 490) Goth. III. *circumsidunt.* 491) C. 7. *fastidia vocant.* 492) C. 1. *caedem.* 493) C. 6. *Consurgere.* Defendier s. defendebatur. 495) Pr. M., *in armis sunt*, et classem pararunt, qua bellum inferant Turno, ni Mezentium ad supplicium dediderit. 496) C. 7. *Aeneam.* 497) C. 7. *cum densae.* Gud. *frement.* Hamb. II. *in littore.* 498) Ven. *ferre iuvat*; sed *iubent* est ad Agyllaeos referendum. 499) Gud. *Facta c.* Burm. duo *dilecta.* Lydi, qui Hetruriam tenuerunt, ex Maeonia et aliis provinciis conflati sunt. 500) Robur populi, qui antiquam originem habet. 501) C. 7. *Ferre.* 502) Ed. Ven. *summittere.* Subjungere est locutio ducta a bobus. 503) C. 7. *optare.* Resedit; sc. ut pugnatura et parata ad bellum. 504) C. 7. *haec — monitus.* 505) Coronam pro diademate. 506) C. 6, 7. *Tarchon*, nomen apud Tyrrhenos insigne: fuerat enim alter ejus nominis praefectus Tyrrheni regis, qui eo usus est ad condendas in ea regione urbes duodecim. Heins. *Tachon.* Insignia, sc. regni. 507) C. 7. *capescam.* 508) Parrh. *serisque*; sed saeclis pro annis. Gelu innuit senectutem — saeculum vero spatium triginta annorum.

Natum exhortarer, ni, mixtus matre Sabella,
Hinc partem patriae traheret. Tu, cujus et annis
Et generi fata indulgent, quem numina poscunt,
Ingredere, o Teucrûm atque Italûm fortissime ductor.
Hunc tibi praeterea, spes et solatia nostri,
Pallanta adjungam; sub te tolerare magistro
Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis et te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo; totidemque suo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat; defixique ora tenebant
Aeneas Anchisiades et fidus Achates,
Multaque dura suo tristi cum corde putabant:
Ni signum coelo Cytherea dedisset aperto.
Namque improviso vibratus ab aethere fulgor
Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.
Suspiciunt: iterum atque iterum fragor increpat ingens.
Arma inter nubem, coeli in regione serena,
Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare.
Obstupuere animis alii; sed Troïus heros
Agnovit sonitum et divae promissa parentis.
Tum memorat: Ne vero, hospes, ne quaere profecto,
Quem casum portenta ferant; ego poscor Olympo.
Hoc signum cecinit missuram diva creatrix,
Si bellum ingrueret; Vulcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.

---

510) Matre vel Sabino vel Samnitico genere, quod ambiguum est; et Sabellam gentem Italiae indigenam fuisse, non exteram, probat hic locus. 512) C. 1, 6, 8, 7. *fatum indulget.* Reg. *fatis.* Ven. *poscant.* Numina s. vaticinia. 513) Zul. *et Teucrum.* Ingredere, s. suscipe rem. 514) C. 1. *Nunc tibi.* Liberi vocantur spes, quia propagaturi genus; solatia vero genitorum jucunditas. 515) C. 7. *Pallantam.* 516) Dorv. *fata,* 518) C. 6, 7. *Arcades.* C. 7. *hinc.* 519) C. 7. *munere.* Al. *sibi.* 520) C. 6. *defexique.* C. 7. *tenebat.* Pier. aliq. *intenti.* 522) C. 6. *Multa.* Goth. III. *Mistaque.* Rott. II. *tum.* Goth. II. *tristes.* G. III. *sub corde.* 523) Mont. *e coelo.* Plures *d. ab alto*; sed sereno. 526) Tuba a Tyrrhenis inventa indicatur, Aeneam ad regnum a Tyrrhenis vocari. 527) C. 7. *Suspiciunt.* Fragor, quia frangit se nubes in fulmine. 529) C. 8. *sonare.* 532) C. 7. *Tum vero memorat, ne hospes.* Oud. *nec q.* 533) C. 6. *ferat.* Parrh. *ferunt.* Me poscit Olympus. 534) Creatrix, genitrix.

Heu quantae miseris caedes Laurentibus instant!
Quas poenas mihi, Turne, dabis! quam multa sub undas
Scuta virûm galeasque et fortia corpora volves,
Thybri pater! Poscant acies, et foedera rumpant.

Haec ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto;
Et primam Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat, hesternumque Larem parvosque Penates
Laetus adit; mactant lectas de more bidentes
Evandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Post hinc ad naves graditur, sociosque revisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Praestantes virtute legit; pars cetera prona
Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva:
Ducunt exsortem Aeneae; quem fulva leonis
Pellis obit totum, praefulgens unguibus aureis.

Fama volat parvam subito vulgata per urbem,
Ocius ire equites Tyrrheni ad limina regis.
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, et major Martis jam apparet imago.
Tum pater Evandrus dextram complexus euntis
Haeret, inexpletum lacrimans, ac talia fatur:
O mihi praeteritos referat si Jupiter annos!

---

537) Laur., Latini regis populis. 538) C. 7. *unda.* Ven. *sed multa.* Mor. II. *sub undis.* 539) Rom. *volvens.* 540) C. 6. *erumpant.* Goth. III. *et sidera.* Eant nunc, et flagitent bellum. 541) Solium pro sede principum. 542) C. 7. *primum.* Hercules fuit Evandro Penatium loco, et Lar domesticus. 543) C. 1, 8. *Suscitat.* C. 7. *externumque*; sed hest., sc. ut qui pridie cultus ab iis fuerat, antequam decumberent; vel quem Aeneas ab hesterna die modo noverat. 544) C. 1, 8. *mactat lectas.* 545) C. 1. *Evander.* 546) C. 8. *Post hunc.* 547) Franc. *sequuntur.* Hamb. II. *sequentur.* 548) C 1. *Praestantis.* Rott. I. *Praestanti.* Praestantes, sc. eligendi ad bellum. 549) C. 8. *signisque,* sed segnis, sc. sine remigio. C. 1. *amne.* 550) C. 7. *Nontio.* 551) Ven. *arma.* 552) Zul. *ingentem* pro, exsortem, egregium, qui sc. datus est extra omnem sortem. 554) C. 8. *orbem.* Hamb. I. *parvas per urbes.* 555) C. 8, 7, 1. *littora.* 556) Appropinquante periculo metus augetur. Matribus odio est bellum propter metum liberorum. 557) Rom. *Et timor.* 558) C. 7. *compressus.* 559) C. 7. *inexpletus.* 560) C. 7. *referet.*

Qualis eram, quum primam aciem Praeneste sub ipsa
Stravi scutorumque incendi victor acervos;
Et regem hac Herilum dextra sub Tartara misi:
Nascenti cui tres animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat, terna arma movenda;
Ter leto sternendus erat: cui tunc tamen omnes
Abstulit haec animas dextra, et totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo; neque finitimus Mezentius usquam
Huic capiti insultans, tot ferro saeva dedisset
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.
At vos, o superi, et divûm tu maxime rector
Jupiter, Arcadii, quaeso, miserescite regis,
Et patrias audite preces: Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant,
Si visurus eum vivo, et venturus in unum:
Vitam oro; patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris:
Nunc, o nunc liceat crudelem abrumpere vitam,
Dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri,
Dum te, care puer, mea sera et sola voluptas,
Complexu teneo; gravior ne nuntius aures
Vulneret. Haec genitor digressu dicta supremo
Fundebat; famuli collapsum in tecta ferebant.
    Jamque adeo exierat portis equitatus apertis;
Aeneas inter primos et fidus Achates;
Inde alii Trojae proceres; ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis:

---

561) Praeneste modo neutrius, modo foeminini generis est. 562) Al. *sacrorumque accendi.* 563) C 7, 1. *Erylum* Herilus hic tricorpor, ad similitudinem Geryonis, fingitur. 564) C. 1. *tris.* 565) C. 7. *et terna*, sed contra metrum; ut ter reviriscens ter rebellaret, adeoque ter esset vincendus. 566) Oud. *Terque solo.* 568) C. 1. *devellerer.* C. 6. *divellere.* C. 7. *dividerer.* 569) C. 1, 6, 8, 7. *finitimo.* C. 1, 6, 8, 7. *umquam.* 571) C. 7. *non viduasset.* Goth. III. *vidisset.* 573) Pier. aliq. reminiscere Regis, Exaudique prec. patr. 575) C. 8. *reservent.* 576) C. 7. *vivum.* Iterum revisurus et conventurus. 577) C. 1, 7. *patior.* 579) C. 6, 1, 8. *nunc o* Zul. *rumpere.* 580) Parrh. *D spes amb. c., d. i. f.* Ambiguae, sc. fatis. 581) C 7, 1. *sola et sera*, sc. in senectute patris natus. Goth. III. *et certa.* 582) Rom. *Complexus.* Markland. *nec—Vulnerat.* 583) Goth. III. *Verberet.* 585) Hug. *portas—apertas.* 587) In medio agmine Arcadum. 588) Markland. *It medio.* Arma auro argentoque distincta sunt picta.

Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum coelo, tenebrasque resolvit.
Stant pavidae in muris matres, oculisque sequuntur
Pulveream nubem et fulgentes aere catervas.
Olli per dumos, qua proxima meta viarum,
Armati tendunt. It clamor, et agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
Religione patrum late sacer; undique colles
Inclusere cavi, et nigra nemus abjete cingunt.
Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque,
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis, celsoque omnis de colle videri
Jam poterat legio, et latis tendebat in arvis.
Huc pater Aeneas et bello lecta juventus
Succedunt, fessique et equos et corpora curant.
At Venus aetherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat; natumque in valle reducta
Ut procul egelido secretum flumine vidit,
Talibus affata est dictis, seque obtulit ultro:
En, perfecta mei promissa conjugis arte
Munera: ne mox aut Laurentes, nate, superbos,

---

589) Ment. II. *profusus.* Lucifer est stella Veneris, quae mane ante Solis ortum ultima videtur in coelo, unde praeire Solem dicitur. Oriri videtur ex mari, hinc perfusus etc. 591) Goth. III. *removit.* 592) C. 7. *secuntur.* 593) C. 1. *fulgenti.* 594) C. 7. *proxima est.* Goth. I. *quam pr.* 595) C. 6. *intendunt.* 596) Putrem, in pulverem facile solubilem; numeroso equorum quadr. incessu. 597) C. 1, 8, 6. *Ceretis.* Caere est urbs Agylla, et qui eam incolit, Caeres; hinc Caeritis urbis, et fluvii, qui ipsi proximus est, accipi potest. 599) C. 1. *ilice cingit.* Colles, qui cavam vallem efficiunt, quam includunt. 601) Al. *Agrorum*, vel *Silvarum.* Gentiles suis Diis dies sacrabant ad illorum celebritates. 602) Primi post Siculos indigenas, et advenas Aborigines, venere Pelasgi, deinde Tyrrheni, postea Arcades, tum Trojani. 603) C. 1, 8. *Tarchon.* C. 7. sine *et.* Goth. II. *Tyrrhenus.* Pier. aliq. *cuncta ten.* 605) Castra metabatur, figebat tentoria. 606) C. 1. *delecta.* C. 7. *electa.* Goth. III. *belloclara.* 608) Nimbos pro aere. 610) Egelydum fl. potest esse vel frigidum vel tepidum. Cod. Rom. *Ut procul, et gelido secr. fl., vidit.* Secretum, sc. solum, in secreto loco. 612) Sprot. *arce.* 613) C. 7, 1. *Laurentis.* Ed. ven. *nec mox his.*

Aut acrem dubites in proelia poscere Turnum.
Dixit, et amplexus nati Cytherea petivit;
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille, deae donis et tanto laetus honore,
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit,
Miraturque, interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem,
Fatiferumque ensem, loricam ex aere rigentem,
Sanguineam, ingentem, qualis, quum caerula nubes
Solis inardescit radiis, longeque refulget;
Tum laeves ocreas electro auroque recocto,
Hastamque, et clipei non enarrabile textum.
Illic res Italas Romanorumque triumphos,
Haud vatum ignarus venturique inscius aevi,
Fecerat Ignipotens; illic genus omne futurae
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella.
Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, et lambere matrem
Impavidos; illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, et corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam, et raptas sine more Sabinas
Consessu caveae, magnis Circensibus actis,
Addiderat, subitoque novum consurgere bellum

---

614) Reg. *dubitas*. Goth. II. *arcum*. 616) Leid. *auersa*. Sub adversa quercu fors imago quaedam trophaei repraesentata est. 618) Mor. II. *versat*. 619) Ald. I. *Miratur* sine *que*. Parrh. *man. sua br*. 620) Hamb. II. *flammamque*. Parrh. *flammisque*. Heins. *tonantem*. Cristis, sc. pennis avium, aut jubis equinis, igneo colore tinctis, e cono seu apice galeae, in modum flammarum erumpentibus. 621) Bigot. *et loricam*. In eo ense fata Turni sita erant. 622) Sang., rutilam. 623) Goth. II. *refulsit*. 624) C. I. *levis*. Goth. II. *lentas*. 625) Clypei e multis coriis, aut laminis compacti erant 627) C. 8. *fatum*. Bigot. *fati*. Non ignarus praedictionum, quas a vatibus Aeneas acceperat. 628) C. 7. *ulluc*. 630) Feta, enixa. 631) Lupa Romulum et Remum, Martis filios uno partu editos lactans. 632) C. 1. *pendentis*. 633) Plures *reflexa*. 635) Al. *de more*, sed sine lege, i. e. temere. Romulus, cum urbe condita deesse suis civibus foeminas videret, ludos indixit, qui Consuales, dein Circenses dicti sunt. Ad eos cum convenissent vicini, praecipue ex urbe Sabina *Curibus*, eorum foeminae raptae sunt a Romanis, unde grave bellum ortum est. 636) C. 6, 7. *Consensu*; al. *Concessu*. 637) C. 6. *Addiderat*, Gl. *Addiderant*.

Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.
Post idem, inter se posito certamine, reges
Armati Jovis ante aram, paterasque tenentes,
Stabant, et caesa jungebant foedera porca.
Haud procul inde citae Metium in diversa quadrigae
Distulerant (at tu dictis, Albane, maneres!)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per silvam, et sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat
Accipere, ingentique urbem obsidione premebat;
Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti
Adspiceres; pontem auderet quod vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.
In summo custos Tarpejae Manlius arcis
Stabat pro templo, et Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse, canebat;
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris et dono noctis opacae:
Aurea caesaries ollis, atque aurea vestis;
Virgatis lucent sagulis; tum lactea colla

638) C. 7. *Romulisque.* Men. I. *Romulidi.* Bellum inter Tatium Sabinorum regem, et Romulum ea lege compositum est, ut par Sabinorum Romanam in urbem Curibus commigrarent, in ea Tatius ac Romulus regnarent, urbs quidem ab hoc Roma, populus vero a Curibus *Curites* seu *Quirites* dicerentur. 640) C 1. *aras.* C. 7. *deas.* 641) Al. *caeso — porco*, quae forma jungendi foederis, juxta Livium I. 24, antiquior est Hostilio Tullo tertio Romanorum rege. 642) C. 1. *motum.* C. 6. *Metum*, al. *metium.* Metius Suffetus, Albanorum dictator, Romanos in pugna deseruit; quare Tullus victor eum duobus curribus per quadrigas in diversa raptis illigari ac discerpi jussit, Albanam urbem dirui, cives Romam traduci. 643) *At tu dictis* est inversa oratio pro, quod in fide non manserat. 644) C. 7. *Raptatque.* Mendacis s. perfidi. 646) C. 7. *videbat.* 650) C. 1, 8. *quia vellere.* Rom. *auderetque avellere.* 651 C. 6, 8, 7. *Coelia.* Leid. *At.* 652) C. 1, 8. *Mallius.* Rom. *Malius.* Historia Manlii sequitur. 653) Goth. III. *pro templis.* 654) C. 7. Gl. *rigebat.* 655) Plur. *hinc.* Argenteus, vel quia candidus, vel quia ex argento. 656) Rom. *abesse.* 658) C. 7. *tenebras.* Graeci saepe somnum dicebant donum noctis. 659) C. 6. *illas.* Pier. *illis.* Gallorum comae promissae et rutilatae sunt, colli candido colore insignes. Auream vestem, sc. interiorem, multi pro barba sumunt. 660) Virgata sagula sunt sc. virgis, s. segmentis distincta.

Auro innectuntur; duo quisque Alpina coruscant
Gaesa manu, scutis protecti corpora longis.
Hic exsultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et lapsa ancilia coelo
Extuderat; castae ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis;
Et scelerum poenas, et te, Catilina, minaci
Pendentem scopulo, Furiarumque ora trementem;
Secretosque pios; his dantem jura Catonem.
Haec inter tumidi late maris ibat imago
Aurea; sed fluctu spumabant caerula cano;
Et circum argento clari delphines in orbem
Aequora verrebant caudis, aestumque secabant.
In medio classes aeratas, Actia bella,
Cernere erat; totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
Cum Patribus, Populoque, Penatibus et magnis dis,
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas

---

661) C. 6, 7, 8. *coruscat.* Oud. *immiscentur.* Parrh. *duo cuique.* 662) Gaesa, hastae longiores, Alpina dicuntur, vel quia e ligno Alpinarum arborum, vel quia Gallorum propria, qui circa Alpinos montes habitabant Scutum longius est, quam latius. 663) C. 1. *exultantis.* 664) C. 1. *Lanigeros laries.* Ancilia sunt scuta brevia ovali figura absque angulis. 665) C. 7. *Extulerat.* Rom. *Extuderant*; al. *Excuderat*, *Exciderat* 666) C. 1, 8. *hinc procul.* 669) Oud. *in scop.* Rott. I. *frementem.* Goth. III. *timentem.* Sententia est, Catilinam pendere in ipso scopulo. 670) C. 7. *Secretusque.* Goth. III. *pilos.* Catonem, sc. minorem. 671) Franc. *Hoc inter.* 672) Plur. *spumabat*, sc. imago. Zul. *aequora c.* 673) C. 7. *orbe.* Heins. *in orbes, in orbe.* Ven. *c. arcano clari.* 674) C. 7. *siccabant.* Burm. duo *Aeq. vertebant.* Sprot. *aestuque.* 675) C. 6. *Acia*, al. *Accia.* Ed. Ven. *classes auratas.* Pugnam Actiacam ad promontorium Epiri. 676) C. 7. *a Marte.* Pier. aliq. *exstructo*; al. *instructum.* Mont. *videre* classe instr. 677) Leucate est mons et insula. 678) Franc. *Hic* Aug. Octavianus caussam reipublicae a Senatu populoque Rom. commissam tueri videtur. 679) C. 1, 6, 8, 7. *Diis.* Ven. *populis.* Goth. II. *populo patribusque* Augusti partes Senatus et populus Rom. sequebantur. Penates, et Dii Magni, diversi sunt. 680) C. 7. *Celsa puppi.* Multi *Stat.* *Temp fl. vom.* referunt alii ad galeam, cuius conus cristas habebat flammivomas; al. ad diadema rutilis gemmis hinc inde distinctum; al. ad Augusti oculos, quos acres et igneos fuisse testatur Suetonius.

Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.
Parte alia ventis et dîs Agrippa secundis
Arduus agmen agens: cui, belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata corona.
Hinc ope barbarica variisque Antonius armis,
Victor ab Aurorae populis et litore rubro,
Aegyptum, viresque Orientis, et ultima secum
Bactra vehit; sequiturque, nefas! Aegyptia conjunx.
Una omnes ruere, ac totum spumare, reductis
Convulsum remis rostrisque tridentibus, aequor.
Alta petunt; pelago credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant.
Stuppea flamma manu, telisque volatile ferrum
Spargitur; arva nova Neptunia caede rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro;
Necdum etiam geminos a tergo respicit angues.
Omnigenûmque deûm monstra, et latrator Anubis,
Contra Neptunum, et Venerem; contraque Minervam
Tela tenent. Saevit medio in certamine Mavors

---

681) C. 8. *patrumque.* Med. *volunt.* Sprot. *movent.* Goth. II. *aperit se* stella Julia, Caesaris capiti appingi solita. 682) C. 7. *diis et.* M. Agrippa, omn. Augusti operum et victoriarum administer, praecipue Actiaco bello, ter consul fuit, consors Tribunitiae potestatis cum Augusto, gener eiusdem, et adoptione filius. 684) Goth. I. *lustrata.* Corona nav. aurea, in speciem rostrorum nav. conformata, data M. Agrippae, bellis Siculis adversus Sextum Pompejum, quae ille confecit extrema ad fretum Siculum pugna. 685) C. 1. *Phariis.* Barbari, qui in comitatu Antonii erant. 686) Aurorae populi sunt orientales ad mare rubrum. 687) C. 1. *Seresque.* Ultima non orbis, sed Antoniani in oriente imperii. 688) Bactra est urbs praecipua Bactrianae regionis, inter Parthiam ab occidente, Indiam ab oriente, Sogdianam a septentrione, et Asiam a meridie. Nefas, quia Rom. civis Aegyptiam conjugem duxerat. 690) C. 1, 6, 8, 7. *stridentibus*, sed male. Al. *rudentibus.* 691) Gud. *credes.* Naves Antonii, magnitudine conspicuas, comparat cum insulis maris Aegaei Cycladibus. 692) C. 1. *montis.* Innuit, utriusque exercitus naves mole ac turribus fuisse insignes. 696) Rom. *Reginam — agmine.* Franc. *in medio.* Sistrum, aereum crepitaculum, Aegyptiorum proprium. 697) C. 1. *anguis.* Necdum mortem futuram admota sibi aspide cogitat. Incertum est, an Cleopatra morsu anguium, an alio veneno interierit. 698) Pier. aliq. *natator.* Praelium deorum artifex effinxerat in aere, ab una parte pugnabant dii Aegyptii, ab altera Romani. Anubis celebratur canino capite. 700) Saevit pro utraque acie.

Caelatus ferro, tristesque ex aethere Dirae;
Et scissa gaudens vadit Discordia palla,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Aegyptus, et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, et laxos jam jamque immittere funes.
Illam inter caedes pallentem morte futura
Fecerat Ignipotens undis et Iapyge ferri;
Contra autem magno moerentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, et tota veste vocantem
Caeruleum in gremium, latebrosaque flumina, victos.
At Caesar, triplici invectus Romana triumpho
Moenia, dîs Italis votum immortale sacrabat,
Maxima tercentum totam delubra per Urbem.
Laetitia ludisque viae plausuque fremebant;
Omnibus in templis matrum chorus; omnibus arae;
Ante aras terram caesi stravere juvenci.
Ipse, sedens niveo candentis limine Phoebi,

---

701) C. 8. *ex aequore.* C. 7. *Divae.* Goth. III. *Velatus.* Furiae, quae apud superos dicuntur dirae, et volantes illic exsculptae erant. 702) Goth. II. *Exscissa — Disc. p.*, ut ipso habitu vim exprimat suam, qua dividit animos, foedera disrumpit. Palla est pallium muliebre. 703) Goth. I. *Quin.* 704) C. 6, 8. *tendebat.* C. 7. *Acrius*; sed Actia mater Augusti erat, qui creditus est Phoebi filius. 705) Vofs. I. *Protinus omnis.* Vel veri Indi Asiae, siquidem posuit Bactrianos in auxiliis Antonii; vel Aethiopes, Aegyptiis vicini, quos ab veteribus Indos etiam dictos fuisse notum est. 706) Arabes, ad orientem Aegypti — Sabaei, Arabes ad meridiem Arabiae felicis. 708) Al. *lapsos.* 709) Oud. *caede — futura.* Obiit veneno, quod pallorem inducit. 710) C. 7. *apige.* Japyge, vento, qui ab Apulia, Italiae maxime orientali parte, flat recta in orientem, ideoque in Aegyptum. 711) Fuga petitur Nilus, qui fugientes excipit. In triumphis ducebantur imagines fluviorum. 712) *Pand. s.* alludit ad septem Nili ostia. 713) Flumina, quae pro latebris nunc erant. 714) In trinis diebus fuit Augusti triumphus, sc. Dalmaticus, Actiacus, Alexandrinus. 715) C. 1. *Moenia cunctorum late comitantibus armis.* 716) Parrh. *de turba.* Multa templa, quae belli tempore voverat, variis Diis deinde consecravit. Omnia, quae per reliquam Augusti vitam facta sunt, Virg. sub unum tempus revocavit. 717) Burm. duo *laudisque.* Dorv. *plausumque*, sc. triumphi. Populus procedebat ad vias extra urbem, excepturus triumphatorem. 720) C. 7. *lumine.* Templum Apollinis, quod e candido marmore Pari insulae jam diu inchoatum in palatio fuit, nondum perfectum erat tempore triumphi, sed tandem A. V. C. 726; ast Virg. ob vicinitatem temporum utrumque conjungit.

Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus; incedunt victae longo ordine gentes,
Quam variae linguis, habitu tam vestis et armis.
Hic Nomadum genus, et discinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis;
Indomitique Dahae, et pontem indignatus Araxes.
Talia, per clipeum Vulcani, dona parentis
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet;
Attollens humero famamque et fata nepotum.

---

721) Dorv. *actatque.* Coronas aureas, quas victoribus Romanis imperatoribus et sociae et vectigales provinciae gratulationis ergo mittebant. 722) C. 8. *victo.* Pier. *ord. matres.* 724) C. 6, 8, 7. *Numadum*, Africana gens. C. 8. 7. *Mulcifer.* C. 6. *distinctos*; sed discincti sunt ignavi et labori minime assueti. Vulcanus Mulciber dictus a mulcendo ac temperando ferro. 725) C. 8. *Gelones.* C. 6. *Caresque.* Rom. *Hinc relegas.* Leleges sunt vagi Asiae minoris populi. Cares regionem occupant Asiae, ad meridiem Joniae, ad occidentem Lyciae, ad septentrionem Doridis. 726) C. 8. *melior.* Rom. *Tinxerat*; al. *Fixerat*; *Pinxerat.* Euphrates etc. populos accolas victos et subjectos significat. 727) C. 7. *bicornus.* Parrh. *Norini* Morini, populi in ea parte Belgicae Galliae, qua ad Britanniam magnam accedit. 728) C. 1, *Dacae.* C. 7. *Dadae*, Dahae, Scythicum genus ad orientale Caspii maris litus. Araxes, ex Armeniae montibus per Mediam in mare Caspium influens, feritatem Armenorum declarat. 731) Parrh. *humeris.* Med. *flammamque.* Multi *facta.* Famam, sc. illustr. factorum sculpturam in clipeo.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER NONUS.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Irim de coelo misit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus, sacrata valle, sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti divûm promittere nemo
Auderet, volvenda dies, en, attulit ultro.
Aeneas, urbe et sociis et classe relicta,
Sceptra Palatini sedemque petit Evandri.
Nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes;
Lydorumque manum, collectos armat agrestes.

LIBER NONUS.

1) Div. parte, in Etruria, apud urbem Caere. 3) C. 1. *tum.* C. 8 *dum.* Franc. *in luco.* Parentis s. abavi. 4) Sedebat, vel feriabatur ad eius tumulum. Pilumnus fuit commune familiae cognomen. 5) C. 1. *est* abest. Zul. *Teumantias.* 7) Dies, quae volvitur. 8) C. 1. *recepta.* 9) C. 6, 8. *Palantini.* C. 6, 1, 7. *petivit*, sc. regna. Evander fuit incola montis Pal. 10) Cortona, Corythum est urbs Tusciae, a Corito rege fundata. 11) C. 7, 1. *et collectos.* Lyd s. Etruscorum. Rustici valde opportuni sunt rei in bello gerendae.

Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe moras omnes, et turbata arripe castra.
Dixit, et in coelum paribus se sustulit alis;
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Agnovit juvenis, duplicesque ad sidera palmas
Sustulit, et tali fugientem est voce secutus:
Iri, decus coeli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde haec tam clara repente
Tempestas? medium video discedere coelum,
Palantesque polo stellas. Sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas. Et sic effatus ad undam
Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,
Multa deos orans, oneravitque aethera votis.
Jamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equûm, dives pictai vestis et auri.
Messapus primas acies, postrema coërcent
Tyrrhidae juvenes; medio dux agmine Turnus
[Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est.]
Ceu septem surgens sedatis amnibus, altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Quum refluit campis, et jam se condidit alveo.
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.
Primus ab adversa conclamat mole Caicus:
Quis globus, o cives, caligine volvitur atra!

---

12) Dorv. *non posc.* Multi *currum.* Rott. II. *cursus*; sed currus, quibus equi juncti sunt. 13) Oud. *eripe*; al. *arripe.* Castra, novam Trojam, tumultuario opere munitam ab Aenea. Qui festinant e portu egredi, rumpunt funem. 14) Pier. aliq. *pariter se.* 15) Meavit per arcum coeli. 17) C. 1. *ac.* C. 8. *locutus.* 18) Dorv. *aptam.* Goth. I. *hastam.* 19) C. 7. *dira.* Mont. *haec tibi.* 20) C. 1, 6, 8, 7. *discindere.* 21) C. 1, 8. *omnia.* Plur. *Pallentisq.—Sequar.* 22) C. 7. *affatus.* Pier. aliq. *vocat.* 23) Leid. *Praecessit*, sum. hausit etc., ut lotis manibus purius precaretur. 26) Mos fuit, ut vestibus variegatis colore et textura uterentur. 27) Ald. *Mesapus.* 29) C. 6. hic vers. deest. 30) C. 1. deest hic vers C. 8. *altis.* Plures explicant *septem* de numero incerto, et *surgit* de fluviis pluribus, qui in Gangem influunt, et quorum societate intumescit. 31) Pingui s. foecundo. 32) C. 7. *alvo.* 32) Parrh. *subito.* Gud. *magno gl.* Oud. *in pulu.* 34) Hamb. I. *Conspiciunt.* Bigot. *Aspiciunt.* 35) Ab adv. mole, turri in munitione Troianorum ab ea parte, qua Latini accedebant.

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros,
Hostis adest, eja. Ingenti clamore per omnes
Condunt se Teucri portas, et moenia complent.
Namque ita discedens praeceperat optimus armis
Aeneas: si qua interea Fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo;
Castra modo et tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
Objiciunt portas tamen, et praecepta facessunt,
Armatique cavis exspectant turribus hostem.
Turnus, ut ante volans tardum praecesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus, et urbi
Improvisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.
Ecquis erit mecum, juvenes? qui primus in hostem?
En, ait. Et jaculum attorquens emittit in auras,
Principium pugnae, et campo sese arduus infért.
Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur
Horrisono; Teucrûm mirantur inertia corda;
Non aequo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. Huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quaerit.
Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,
Quum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres,
Nocte super media; tuti sub matribus agni

---

37) C. 7, 1. *et scandite.* 38) Trojani se recipiunt intra vallum et muros. 39) Moenia pro turribus et propugnaculis, quae in muro erant. 42) C. 1, 8. *Ne.* C. 6, 8, 7. *acies.* Ven. *nec cr.* 43) Multi *tuto.* Hamb I. *servassent.* 44) C. 7. *monstrat*; al. *monstrant*, pro impellit, suadet. Pudor est magnus stimulus ad gloriam. 45) C. 7. *facescunt.* 46) Sprot. *A. suis.* Med. *urbibus.* 47) C 7. *Turnus etc.* Bigot. *rapidum pr.* Mor. II. *processerat.* 49) Equi Thracii in pretio erant, cum albis maculis distincti essent. 50) Cristae erant non solum ornamenta galeae, sed ferocitati ostendendae in bello. 51) C. 1, 7, 8. *Et quis.* C. 7. *juvenis.* Men. II. *cui.* 52) C. 1. *emittat.* Pier aliq. *evertit.* 53) C. 1, 8. *campis.* C. 1. *effert.* Pier. *aliq. affert.* 54) C. 6, 8, 7. *clamorem.* C. 6, 1, 7. *secuntur.* Mont. *accipiunt.* 55) Goth. II. *Horrifico.* Dorv. *in hercia.* 56) Nihil frequentius, quam aequa loca pro campestribus et planis. 57) C. 6. *foveret.* Zul. *viro.* Fovere hoc loco ad contumeliam dictum est. 58) Hamb. II. *per atria.* 59) Burm. *insidiatur.* 60) C. 8. *perpensus.* Caula est stabulum ovium. 61) Goth. II. *tutis.* Lupi dant se in viam ad praedandum post mediam noctem.

Balatum exercent: ille asper et improbus ira
Saevit in absentes; collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, et siccae sanguine fauces:
Haud aliter Rutulo, muros et castra tuenti,
Ignescunt irae; duris dolor ossibus ardet;
Qua tentet ratione aditus, et qua via clausos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in aequor.
Classem, quae lateri castrorum adjuncta latebat,
Aggeribus septam circum et fluvialibus undis,
Invadit, sociosque incendia poscit ovantes,
Atque manum pinu flagranti fervidus implet.
Tum vero incumbunt; urguet praesentia Turni;
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuere focos; piceum fert fumida lumen
Taeda, et commixtam Vulcanus ad astra favillam.

Quis deus, o Musae, tum saeva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. Prisca fides facto, sed fama perennis.
Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Aeneas classem, et pelagi petere alta parabat,
Ipsa deûm fertur genetrix Berecyntia magnum
Vocibus his affata Jovem: Da, nate, petenti,
Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.
Pinea silva mihi, multos dilecta per annos,

---

62) C. 7. *Balantum*; al. *belatum*. Asperitas, et de irato, et de sitibundo. 63) C. 1. *absentis*, de inclusis ovibus. 64) Fames et sitis excruciat eum. 65) Parrh. *petenti*. 66) Gud. *durus*. Plur. *oss. haeret* Ignis in ira frequentissimus. 67) C. 8. *tenet*. C. 6. *temptat*. C. 8. *qua*, sc. qui aditus ad muros facultatem et modum suppeditet eliciendi eos. 68) Burm. duo *Excutiet*. Ven. *v.*, *Teucrosque eff.* Plur. *in aequum*, pro aequore camporum. 70) C. 1. *septam*. C. 6. *septem*. Rom. *clausam*; al. *cinctam*. Virg. describit situm novae Troiae. 71) C. 1. sine *que*. 72) Med. *fragranti*. Dorv. *manu*. 73) C. 1, 8. *urget*. Ducis praesentia est stimulus militibus. 74) Fac. armatur. 75) Sprot. *p. infert*. Hamb. II. *f. f. fumum*. Focos, quos excitaverant ad accendendas arbores pinguis naturae, quales sunt pinus, taeda etc. 76) Vulc. pro igne. 77) Gud. *Qui*. 78) C. 7. *Advertit*. Reg. *tantis*. Ven. *qui*. Men. I. *detulit*. 79 Fides narrationis pro hac ipsa; apud veteres perennitas dicebatur de rebus sacris. 80) Ida est mons Troadis. 82) C. 1, 7. *genitrix fertur*. C. 6. *Berecinthia*, mons Phrygiae. 83) Goth. III. *parenti*. 84) Ven. *iam poscit*. Victores sunt indulgentissimi. 85) Plur. *delecta*. Pinus quippe sacra fuit Cybeli.

Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis:
Has ego Dardanio juveni, quum classis egeret,
Laeta dedi; nunc sollicitam timor anxius urguet.
Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem,
Ne cursu quassatae ullo neu turbine venti
Vincantur. Prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui sidera mundi:
O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?
Mortaline manu factae immortale carinae
Fas habeant; certusque incerta pericula lustret
Aeneas? cui tanta deo permissa potestas?
Imo, ubi defunctae finem portusque tenebunt
Ausonios, olim quaecunque evaserit undis,
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo
Aequoris esse deas: qualis Nereïa Doto
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat; idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atraque voragine ripas,
Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
 Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcae
Debita complerant: quum Turni injuria Matrem
Admonuit ratibus sacris depellere taedas.
Hic primum nova lux oculis offulsit, et ingens
Visus ab Aurora coelum transcurrere nimbus,

---

86) C. 8. *ferebat.* C. 6. *qua.* Gud. *tenebant.* Zul. *parabant.* Arx pro montis cacumine. 87) C. 7. *acervis.* Picea est arbor resinam ferens. 89) C. 1, 6, 8, 7. *angit.* 90) Burm. tres *haec.* 91) C. 6, 7. *Neu*; al. *Nec*, *Non.* 92) Nihil majore pertinacia defendebant Dii gentium, quam lucos suos. 93) Leid. *s. coeli.* 94) C. 7. *genitrix.* Dorv. *facta.* Al *q. f. trahis?* Sprot. *an quid.* Reg. *aut qui.* Vocas s. mutas. 95) Mor. II. *fictae.* 96) Zul. *lustrat.* Fas pro conditione — certus et incolumis in instantibus perioulis. 97) C. 8. *potesta.* C. 7. *deo est.* C. 7. *promissa.* 98) Burm. tres *fines.* 99) Al. *ad — et — in Laur.* Med. *vexerat.* Ven. *duxerit.* 100) C. 7. *aura.* 102) Plur *quales.* Magnum aequor est Mediterraneum. 103) Rom. *Aut G.*, nymphae marinae, Nerei filiae. 104) Burm *atque r.* 105) C. 1, 8 *torrentis.* Goth. II. *Perspice*, amnes sc. rapidos. Pix sumitur de infernis aquis. 108) C. 1. *explerant.* Zul. *complerunt.* Dorv. *complerent.* Leid. *compulerant.* Bellum commotum est a Turno contra rationem foederis initi jam a Latino et Aenea. 111) Goth. II. *nimbos.* Sprot. *nubes.* Nimbus sc. Deorum.

Idaeique chori; tum vox horrenda per auras
Excidit, et Troum Rutulorumque agmina complet:
Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves,
Neve armate manus; maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus. Vos ite solutae,
Ite, deae pelagi; Genetrix jubet. Et, sua quaeque,
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinumque modo demersis aequora rostris
Ima petunt. Hinc virgineae, mirabile monstrum,
[Quot prius aeratae steterant ad litora prorae]
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.

Obstupuere animi Rutulis; conterritus ipse
Turbatis Messapus equis; cunctatur et amnis
Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto.
At non audaci cessit fiducia Turno;
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
Trojanos haec monstra petunt; his Jupiter ipse
Auxilium solitum eripuit; non tela, nec ignes
Exspectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugae; rerum pars altera ademta est:
Terra autem in nostris manibus; tot millia, gentes
Arma ferunt Italae. Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges prae se jactant, responsa deorum:
Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva

---

112) Zul. *Idaeumque chorum*, qui matrem deorum comitari solebat. 113) C. 7. *Rutulorum* loca, in quibus illa agmina habentur 114) C. 1. *navis.* Tum dea Teucros vetat laborare, et navibus defendendis operam dare. *Trepidare* non semper metum significat, sed festinationem ac tumultuationem. 115) C. 7. *excurrere.* 118) Puppes sunt ad litus versae. 119) Zul. *diversis.* Mor. II. *dimersis.* Ven. *aequore.* 121) C. 1, 7, 8. Hic versus post alterum sequitur. 122) Pier. aliq. *Redduntur t.* Rott. I. *ferentur.* 123) C. 7. *animi Rutulis.* 124) Rom. *Turbatus Messapus*, qui inter primos infesti Rutulorum exercitus duces erat. 126) C. 1, 8, 6, 7. *Turno fiducia cessit.* C. 7. *At nova.* 127) C. 8. *quae.* 128) C. 7. *hic Jup.* Hamb. II. *petant.* 129) *Non tela, nec ignes* etc, quo argumento magni duces milites suos ad bellum exhortantur. 131) Multi *demta est*, pars sc. inferioris orbis, qui ex aqua et terra conglobatur. 132) C. 1, 6, 8. *manibus nostris.* C. 1, 6, 8, 7. *gentis.* 133) Rott. II. *Itali.* 134) Mor. II. *pro se.* Phryges sunt Troiani, qui ob illorum mollitiem per contemptum sic appellabantur.

Fertilis Ausoniae Troes; sunt et mea contra
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Conjuge praerepta; nec solos tangit Atridas
Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.
Sed periisse semel satis est. Peccare fuisset
Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Femineum: quibus haec medii fiducia valli,
Fossarumque morae, leti discrimina parva,
Dant animos. At non viderunt moenia Trojae
Neptuni fabricata manu considere in ignes?
Sed vos, o lecti, ferro qui scindere vallum
Apparat, et mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Est opus in Teucros. Addant se protenus omnes
Etrusci socios. Tenebras et inertia furta
[Palladii, caesis summae custodibus arcis.]
Ne timeant; nec equi caeca condemur in alvo;
Luce, palam, certum est igni circumdare muros.
Haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga
Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum.
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod superest, laeti bene gestis corpora rebus
Procurate, viri; et pugnam sperate parati.

---

137) C. 1. *excidere.* C. 8. *accingere.* Mor. *scindere.* 138) C. 7. *praerapta.* Atridas, Atrei, Mycenarum regis, filios. 139) Mycenis, Peloponnesi urbe. 140) C. 1, 8, 7. *Si periisse.* 141) C. 1, 8, 6, 7. *perosum.* Pier. aliq. *modo nec.* 142) Hamb. II. *f. belli.* Vallum est munimentum; vallus vero est, quo terra aggesta cohibetur. 143) Rom. *mora et.* Quantum murus habet latitudinis, tantum a morte est discriminis. 144) Al. *An n.* 146) C. 1, 7, 8. *quis.* Pier. aliq. *Sed vos electi.* Ment. I. *selecti.* Al. *At v.* 147) Pier. aliq. *Apparet, et mecum* etc., dux sc. est exemplum militibus. 148) Duo videtur dicere: et se non egere armis a Vulcano fabricatis, qualia Achilles habuit, nec se usurum proprio ense, quem habuit ipse Turnus, a Vulcano item conflatum. Mille carinis, sc. Graecorum. 149) C. 1, 6, 8, 7. *protinus.* 151) De noct. furto palladii Troiani, facto ab Ulysse et Diomede, Aen. 2, 166. 152) C. 8. *caeco.* Burm. *Nec.* Bigot. *claudemur.* 154) Danais, Graeci sc. imbelles habiti ad bellum. 155) C. 8. *decimum.* C. 6. *detulit.* Burm. tres *putant.* Quorum conatus per decem annos repressit. 156) C. 7, 8. *diei est.* Vat, fr. *ideo.* 157) C. 7 *lecti.* 158) C. 1, 6, 8, 7. *parari.* *Procurate* hic pertinet ad militum cibum ante pugnam.

Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, et moenia cingere flammis.
Bis septem, Rutulo muros qui milite servent,
Delecti; ast illos centeni quemque sequuntur
Purpurei cristis juvenes auroque corusci
Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam
Indulgent vino, et vertunt crateras aënos.
Collucent ignes; noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Haec super e vallo prospectant Troës, et armis
Alta tenent; nec non trepidi formidine portas
Explorant, pontesque et propugnacula jungunt;
Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus:
Quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent,
Rectores juvenum et rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio, sortita periclum,
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est.
Nisus erat portae custos, acerrimus armis,
Hyrtacides; comitem Aeneae quem miserat Ida
Venatrix, jaculo celerem levibusque sagittis;
Et juxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Aeneadum, Trojana neque induit arma;
Ora puer prima signans intonsa juventa.
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant;
Tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait, dîne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido?

159) Excubiae fortasse pro vigiliis. 161) C. 8, 6, 7, *Rutuli.* 162) C. 1. *secuntur.* C. 6, 7 *Rutuli.* Rom. *secuti.* 163) C. 1. *chorusci.* C. 7, 8. *purpureis.* 165) Leid. *evertunt*, inclinant vinum in pocula infundendo. 166) Goth. III. *ducunt.* Custodia dicitur tum de carcere, ubi vincti; tum de custodibus ipsis. 168) Ven. *Despectant.* 169) Vallum et turres armati occupant. 170) C. 7, 1. *pontique.* Pontes et scalas, quibus turres et munimenta inter se committebantur, ut possent obsessi discurrere. 171) Heins. *Instat.* 173) Magistri sunt duces militum, quos designaverat Aeneas. 175) C. 7. *timendum est.* 176) Nisus Hyrtaci filius. 177) Ida vel mons, vel mater Nisi; ille venatoribus frequens. 178) Vratisl. *laculis.* 179) C. 1, 8. *comes.* 180) C. 1, 6, 8. *nec.* Ed. Ven. *Troianaque ind.* 181) Lanugine, quae primae juventutis indicium est. 184) Zul. *addant.* Ethnici putabant vehementissimas quasque cupiditates a Diis ortas esse. 185) Dira s. vehemens. An unusquisque id, quod valde vult, div. impulso se sibi fingit velle?

Aut pugnam, aut aliquid jam dudum invadere magnum
Mens agitat mihi; nec placida contenta quiete est.
Cernis, quae Rutulos habeat fiducia rerum.
Lumina rara micant; somno vinoque sepulti
Procubuere; silent late loca. Percipe porro,
Quid dubitem, et quae nunc animo sententia surgat.
Aenean acciri omnes, populusque patresque,
Exposcunt; mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi, quae posco, promittunt, — nam mihi facti
Fama sat est, – tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros et moenia Pallantea.
Obstupuit magno laudum percussus amore
Euryalus; simul his ardentem affatur amicum:
Mene igitur socium summis adjungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor, bellis assuetus, Opheltes,
Argolicum terrorem inter Trojaeque labores
Sublatum erudiit; nec tecum talia gessi,
Magnanimum Aenean et fata extrema secutus.
Est hic, est animus lucis contemtor, et istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Nisus ad haec: Equidem de te nil tale verebar;
Nec fas; non. Ita me referat tibi magnus ovantem
Jupiter, aut quicunque oculis haec adspicit aequis.
Sed si quis, (quae multa vides discrimine tali,)
Si quis in adversum rapiat, casusve, deusve,
Te superesse velim; tua vita dignior aetas.

---

187) C. 1. *quiete* sine *est.* 188) Hamb. II. *qua.* 189) Men. I. *L. vera.* Al. *soluti.* 190) C. 8, 7. *pro vice*; al. *perspice.* 191) C. 1, 6, 8, 7. *aut quae.* Burm. duo *surgit* Dubitare est animo volvere. 192) Burm. duo *Aeneam accirique.* Dorv. *populique* Multum interest rerum gerendarum praesentia ducis. 193) Oud. *cepta.* Hamb. I. *reportant.* 194) Goth. I. *Sic tibi* 195) Al. *F. satis cumulo.* Rott. II. *video.* Bigot. *sub alto.* 196) C. 8. *et m. ad moen.* Pallantea, urbe Evandri regia. 197) C. 6, 1. *obstipuit.* C. 8. *perculsus.* 198) Sprot. *adfatus.* 200) Refugis. 201) C. 7. *feltes.* Non—Sublatum, educatum se in bello ad Troiam gesto innuit. 202) *Arg.*, ab urbe Argis. 203) Talia gessi, ut tu refugere possis. 204) Fata extr., errores, fuga ex urbe Troiae. 206) Mor. II. *credit.* 207) C. 1. *nichil.* 209) Oculis propitiis. 210) C. 7. *Si qui.* *Sed multa.*

Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemtum,
Mandet humo solita; aut, si qua id Fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decoretque sepulcro.
Neu matri miserae tanti sim caussa doloris:
Quae te sola, puer, multis e matribus ausa,
Persequitur, magni nec moenia curat Acestae.
Ille autem: Caussas nequidquam nectis inanes,
Nec mea jam mutata loco sententia cedit.
Acceleremus, ait. Vigiles simul excitat. Illi
Succedunt, servantque vices; statione relicta
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.
Cetera per terras omnes animalia somno
Laxabant curas et corda oblita laborum:
Ductores Teucrûm primi, delecta juventus,
Consilium summis regni de rebus habebant,
Quid facerent, quisve Aeneae jam nuntius esset;
Stant longis adnixi hastis, et scuta tenentes,
Castrorum et campi medio. Tum Nisus et una
Euryalus confestim alacres admittier orant;
Rem magnam, pretiumque morae fore. Primus Iulus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere jussit.
Tum sic Hyrtacides: Audite o mentibus aequis,
Aeneadae, neve haec nostris spectentur ab annis,
Quae ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
Conticuere. Locum insidiis conspeximus ipsi,

---

213) C. 1. *Sic, qui.* Hamb. II. *pugnae.* Burm. duo *pretioque.* Corpus raptum, s. subductum e pugna — rapi dicuntur etiam, qui moriuntur. 214) C. 7. *vetavit.* 215) Si cadaver meum haberi non possit, saltem honorarium mihi sepulchrum struat. Absenti, s. mortuo. 217) Rom. *multis a m.* Pier. aliq. *m. e m. una.* 218) C. 8. *Prosequitur.* C. 6. *cura.* Vrbem Segestam apud Siculos conditam Trojanis mulieribus, et regi Siciliae Acestae commendatam. 219) C. 7. *inanis.* 220) C. 7. *me jam.* Vat. Pr. *Nec me immut.* 222) Vigiliae fiunt mutuis vicibus. 223) Men. II. *Nisus.* Pier. aliq. *revisunt.* Ond. *requirit*, sc. reg. Ascanium. Graditur est verbum militare. 225) Somni vis et virtus innuitur. 226) C. 6. *et delecta.* 227) Al. *summi-agebant.* 228) C. 8. esset. N. isset. 229) Gud. *obnixi.* 230) C. 8. *cum.* C. 7. *tunc.* Multi *campi in med.*; castra, quae in campi planitie erant. 232) Mora pro tempore, quod nuntio audiendo impensuri sint. 233) C. 1, 7. *ducere.* Trepidos s. festinantes. 234) C. 7, 8. *Tunc.* Mentibus secundis 235) C. 7. *neu.* Ad bellum non spectandi anni, sed virtus animi. 236) Al. *sepulti.* 237) C. 7. *Procubuere.* Insidiae ad clandestinum egressum referendae sunt.

Qui patet in bivio portae, quae proxima ponto,
Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur. Si Fortuna permittitis uti,
Quaesitum Aenean ad moenia Pallantea
Mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta,
Affore cernetis. Nec nos via fallit euntes:
Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem,
Venatu assiduo et totum cognovimus amnem.
Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:
Dî patrii, quorum semper sub numine Troja est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Quum tales animos juvenum et tam certa tulistis
Pectora. Sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, et vultum lacrimis atque ora rigabat:
Quae vobis, quae digna, viri, pro laudibus istis,
Praemia posse rear solvi? pulcherrima primum
Dî moresque dabunt vestri: tum cetera reddet
Actutum pius Aeneas, atque integer aevi
Ascanius, meriti tanti non immemor unquam.
Imo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penates,
Assaracique Larem, et canae penetralia Vestae,
Obtestor: (quaecunque mihi fortuna fidesque est,
In vestris pono gremiis:) revocate parentem;
Reddite conspectum. Nihil illo triste recepto.

---

238) C. 7, 8. *vonto est.* Leid. *Quod p.* 239) Goth. III. *ac tendit ad aeth.* Interrupti ignes, sc. vigilum. 240) Fortuna, occasione: nam duce inconsulto nihil conandum militi. 241) C. 6, 7. *et moenia.* 242) C. 7. *his.* 243) C. 1. *euntis.* Med. *fallet.* 244) Al. *primum.* Vicinas urbis Pallanteae valles, qui primi sunt urbis veluti aditus; urbs enim ipsa erat in monte. Cerda intelligit frontem aedificiorum sub voce *primam.* 245) Rott. II. *tutum.* 246) Mont. *Hinc.* Plures *animis, animo.* 247) C. 1, 8. *Dum.* Franc. *nomine.* 248) Goth. II. *parastis.* 250) Hamb. I. *dextramque.* Rom. *tenebant.* Hamb. II. *ferebat* vel *terebat.* 251) C. 7. *rigabant.* Oud. *multum.* 252) C. 1, 6, 8, 7. *talibus ausis.* Ed. Ven. *digna viris.* Laudes pro factis strenuis. 253) C. 7. *reor.* 254) Burm. duo *reddat.* Conscientia recte factorum sibi ipsa praemium est. 257) Multi *gen. recepto.* 259) Vesta est Dea igni inextincto praesidens. Assaracus familiae caput, Trois filius, Aeneae proavus. 260) C. 7. *obtector.* Ven. *est* abest. Fides pro spe et voto, quia omnis fortuna in parentis reditu posita erat. 262) Mor. duo *reducto.*

Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quae cepit Arisba;
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta;
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam sceptrisque potiri
Contigerit victori, et praedae ducere sortem:
Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus; ipsum illum, clipeum cristasque rubentes,
Excipiam sorti, jam nunc tua praemia, Nise.
Praeterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma;
Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.
Te vero, mea quem spatiis propioribus aetas
Insequitur, venerande puer, jam pectore toto
Accipio, et comitem casus complector in omnes.
Nulla meis sine te quaeretur gloria rebus,
Seu pacem seu bella geram; tibi maxima rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit; tantum! fortuna secunda
Aut adversa cadat. Sed te super omnia dona
Unum oro: genetrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non moenia regis Acestae.
Hanc ego nunc ignaram hujus quodcunque pericli est
Inque salutatam linquo; Nox, et tua testis
Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem, et succurre relictae.
Hanc sine me spem ferre tui; audentior ibo

---

263) Miles praemiis excitandus est. 264) C. 7. *de vita.* Arisba urbs Troadis, a Troianis expugnata paulo ante bellum Graecum. 266) C. 7. *dedit.* 267) C. 7. *carpere.* Hamb. I. *Cum vero.* 269) C. 8. *vidistis.* C. 6. *equum.* 270) C. 1. *rubentis.* 271) C. 8. *tunc.* Dorv. *nunc iam.* Excipiam ab omni sorte. 272) Burm. aliq. *laetissima.* Matres pro foeminis. 273) C. 1. *sua quae.* 274) C. 8. *campos quos.* C. 7. *Insuper id.* Non totum quidem Latini regnum, sed agros, qui erant in privatis Latini bonis. 277) C. 7. *omnis.* Leid. *amplector.* 278) C. 7. *quaeritur.* 280) Rott. I. *Contra quae.* Tecum omnia consilia mea et gerendas res communicabo. 281) C. 7. *ne.* 282) Tantum, sc. profiteor de me. 283) Parrh. *Tantum super.* Heins. *Haud adversa.* 285) C. 1. *qua.* 290) C. 7. *Hanc tu.* Zul. *Hunc te oro.* Goth. III. *Tu vero s.*

In casus omnes. Percussa mente dederunt
Dardanidae lacrimas; ante omnes pulcher Iulus;
Atque animum patriae strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur;
Spondeo digna tuis ingentibus omnia coeptis.
Namque erit ista mihi genetrix, nomenque Creusae
Solum defuerit, nec partum gratia talem
Parva manet. Casus factum quicunque sequuntur:
Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat:
Quae tibi polliceor reduci, rebusque secundis,
Haec eadem matrique tuae generique manebunt.
Sic ait illacrimans; humero simul exuit ensem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius, atque habilem vagina aptarat eburna.
Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
Exuvias; galeam fidus permutat Aletes.
Protenus armati incedunt: quos omnis euntes
Primorum manus ad portas juvenumque senumque
Prosequitur votis. Nec non et pulcher Iulus,
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri portanda dabat mandata. Sed aurae
Omnia discerpunt, et nubibus irrita donant.
Egressi superant fossas, noctisque per umbram
Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri
Exitio. Passim somno vinoque per herbam
Corpora fusa vident, arrectos litore currus,

---

292) Al. *Perculsum.* Med. *dedere.* 294) Recordatio amoris sui in Ascanium. 295) C. 7, 6. *Tunc sic adfatur.* 297) Mor. I. *Jamque erit.* Creusa, mater Ascanii. 298) Meretur magnam gratiam, quae talem filium peperit. Hamb. I. *nec p. gloria.* 299) C. 7, 8. *sequentur.* C. 1. *secuntur.* 300) Caput intelligit suum, quod ut sibi carissimum attestari solebat Aeneas ante, sc. vel olim Troiae, cum Ascanius puer esset, vel priusquam abiret ad Evandrum. 303) Plures *Haec ait.* 304) Lycaon Gn, artifex nobilis ex urbe Gnosso in Creta insula, ubi arma singulari arte fabricabantur. 308) C. 1, 8. *Protinus.* C. 1, 8. *euntis.* 310) Goth. III. *Insequitur.* Ut Virg. in Aenea Augustum, ita in Julo Julium repraesentat. 311) C 7. *annos, allios.* 312) C. 1, 6, 8, 7. *dabat mandata portanda.* 313) C. 7. *discrepunt.* Hamb. II. *decerpunt.* Goth. III. *discernunt.* *Nub. irr.* innuit ipsos esse morituros, antequam ad Aeneam perveniant. 317) *Arrectos currus* sublato in altum jugo, et depressa in terram parte currus extrema, si binis rotis currum instructum eogites.

Inter lora rotasque viros, simul arma jacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus:
Euryale, audendum dextra. Nunc ipsa vocat res.
Hac iter est. Tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi et consule longe.
Haec ego vasta dabo, et lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemque premit; simul ense superbum
Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis
Exstructus toto proflabat pectore somnum;
Rex idem, et regi Turno gratissimus augur;
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Tres juxta famulos temere inter tela jacentes;
Armigerumque remi premit, aurigamque sub ipsis
Nactus equis, ferroque secat pendentia colla.
Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit
Sanguine singultantem; atro tepefacta cruore
Terra torique madent. Nec non Lamyrumque Lamumque,
Et juvenem Sarranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque jacebat
Membra deo victus; felix, si protenus illum
Aequasset nocti ludum in lucemque tulisset.
Impastus ceu plena leo per ovilia turbans,
Suadet enim vesana fames, manditque trahitque
Molle pecus mutumque metu; fremit ore cruento.
Nec minor Euryali caedes. Incensus et ipse

---

318) Pier. aliq. *Inter tela.* 319) Vina, vasa vini. 320) Plur. *aud. est.* 323) C. 6, 1. *vastabo.* C. 7. *de limite.* Vasta dare, s. vastare. 325) C. 7. *Rannentemque.* 326) Ment III. *Exstratus.* Multi *perflabat.* Vox *exstructus* apparatum significat. 327) *Rex idem* praeludit ad morem Rom, ut e Patriciis eligeretur sacrorum rex, vel rex sacrificulus; subditus tamen is erat pontifici maximo, et ab auguribus et pontificibus eligebatur. Talis Rhamnes augur videtur fuisse. 328) Aug., arte divinandi pestem, sc. rem quamcunque exitialem, hic mortem — alibi incendium, non potuit depellere. 329) C. 1. *jacentis.* Rom. *inter lora.* 331) Ment. I. *Nanctus.* Dorv. *Natus.* 332) C. 1, 8. *reliquit.* 333) C. 7. *sulcantem* — truncum, qui collo reciso sanguinem emittit ebulientem. 335) C. 1. *Serranum.* Plurima, neutrum pro adverbio *plurimum.* 336) Multi *insigni f.* — *jacebant Membra* multo Deo, vel Somno vel Baccho, gravata. 337) Rott. II. *invinctus.* R. III. *vinctus.* 338) In, s. ad lucem. 339) Gud. *In pastum.* Turbans s. tumultuans. 340) C. 1. *mandatque.* Med. *vaesana.* Fames agit in furias. 341) Rom. *multumque.* 342) Parrh. *et illa.*

Perfurit; ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque, Herbesumque subit, Rhoetumque, Abarimque,
Ignaros; Rhoetum vigilantem, et cuncta videntem;
Sed magnum metuens se post cratera tegebat:
Pectore in adverso totum cui cominus ensem
Condidit assurgenti, et multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam, et cum sanguine mixta
Vina refert moriens. Hic furto fervidus instat.
Jamque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem
Deficere extremum, et religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breviter quum talia Nisus,
Sensit enim nimia caede atque cupidine ferri,
Absistamus, ait; nam lux inimica propinquat.
Poenarum exhaustum satis est; via facta per hostes.
Multa virûm solido argento perfecta relinquunt
Armaque, craterasque simul, pulchrosque tapetas,
Euryalus phaleras Rhamnetis, et aurea bullis
Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim
Quae mittit dona, hospitio quum jungeret absens,
Caedicus; ille suo moriens dat habere nepoti;
Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti:
Haec rapit, atque humeris nequidquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
Induit. Excedunt castris, et tuta capessunt.
Interea praemissi equites ex urbe Latina,
Cetera dum legio campis instructa moratur,

---

343) C. 8. *Perf.*, *ac sternit multam sine nomine plebem*, quod nomen saepe pro nobilitate sumitur. C. 1. *caedem*. 344) C. 1. *Phiadumque*. C. 1, 6. *Haberimque*. 345) C. 8. *Ignarus*. 347) C. 6. *comminus*. 348) Vel eduxit ensem multo cruore stillantem, vel non eduxit nisi post certam mortem. 349) C. 7. *a. c. s. mixtam*, ut multi. Cum sanguine vitali ipsa vita efflatur. 350) C. 7. *extat*. Furtiva caede. 352) Goth. III. *forte*. Rott. *videbant*. 353) Ven. *br. tum*. 355) Leid. *jam*. 356) Men. 1. *exhausti satis est*. Caedes ad ulciscendum hostem satis multae factae sunt. 357) Ven. *relinquit*. 358) C. 1. *tapetes*. 359) Phalerae equorum ornamenta — bullae clavorum aureorum quaedam capita, cingulis affixa; ob similitudinem ita dicta a bullis, quae in aquis ebullientibus excitantur. 361) C. 7. *misit*. Veteres hospitii jura mutuis muneribus colebant, absentes praesentesve. 364) Al. *Nequicquam*. Quia mox occidendus erat, et haec ipsa spolia amissurus. 365) C. 1. *Tunc*. C. 1. *tristisque*. Hamb. II. *cristamque*. Habilem s. aptam capiti. 366) Goth. III. *et scuta c*. 367) C. 8. *promissi*. 368) Caet. legio, sc. pedites.

Ibant, et Turno regis responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.
Jamque propinquabant castris, murosque subibant,
Quum procul hos laevo flectentes limite cernunt;
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit immemorem, radiisque adversa refulsit.
Haud temere est visum. Conclamat ab agmine Volscens:
State viri; quae caussa viae? quive estis in armis?
Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra;
Sed celerare fugam in silvas, et fidere nocti.
Objiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant.
Silva fuit, late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam densi complerant undique sentes;
Rara per occultos lucebat semita calles.
Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda
Impediunt, fallitque timor regione viarum.
Nisus abit, jamque imprudens evaserat hostes,
Atque lacus, qui post Albae de nomine dicti
Albani: tum rex stabula alta Latinus habebat.
Ut stetit, et frustra absentem respexit amicum:
Euryale, infelix qua te regione reliqui?
Quave sequar. Rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis silvae, simul et vestigia retro
Observata legit, dumisque silentibus errat.

---

369) C. 6, 7. *regi*. Hamb. I. *regi Turno*. 370) C. 6. *Volcente*. Scutum oblongum, non rotundus clypeus in usu fuit Romanorum equitum. Alluditur hic ad magistrum equitum, qui Dictatori adjungebatur. 371) Hamb I. *pr. portis*. Leid. *murisque* Troianorum propius accedebant. 372) Ad septentrionem, quem juvenes habebant ad laevam, Volscens cum equitibus ad dextram. 373) C. 6 *sublustris*. 377) Tendere, sc. verbis, s. respondere. 378) C. 8. *silvis*. 379) Divortia, s. diverticula. 380) C. 1. *habitum*. C. 7, 8. *aditum* 381) Ilex, arbor glandifera, densitatem nemoris indicat 382) Med *complebant*. Religio declarata est per horrorem. 383) C. 1, 8. *ducebat*. 385) Regio viae pro ipsa via. 386) C. 1. *hostis*. Med. *evaserit*. Dorv *invaserat* 387) C. 6, 7. *locos*. Erf *locus*. Al *lucus*. Lacus Albanus a castro Troianorum magno intervallo abfuit, hinc Ruaeus vocem *locos* praefert. 389) Men. II. *prospexit*. 391) Parrh. *Quoue*. Sprot. *perflexum*. Rott. *resolvens*.

Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.
Nec longum in medio tempus, quum clamor ad aures
Pervenit, ac videt Euryalum; quem jam manus omnis,
Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit, et conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi juvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in enses
Inferat, et pulchram properet per vulnera mortem?
Ocius adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur:
Tu, dea, tu praesens nostro succurre labori,
Astrorum decus, et nemorum Latonia custos;
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi:
Hunc sine me turbare globum, et rege tela per auras.
Dixerat; et toto connixus corpore ferrum
Conjicit. Hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit aversi in tergum Sulmonis, ibique
Frangitur, ac fisso transit praecordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure;
Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque
Stridens, trajectoque haesit tepefacta cerebro.
Saevit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam

---

394) Gud. *sequentem*. 395) C. 1. *auris*. 397) C. 7. *loci noctis*. 398) Conantem, quasi nihil proficientem. 400) C. 1, 7, 8. *in hostes*. Men. I. *aut sese*. 401) C. 8. *properat*. Mori in bello pulchrum est. 403) C. 7. *ad Lynam*. C. 1, 6, 8, 7. *et sic*. 404) Praesens, propitia. 405) Luna, Diana, a Latona matre. 407) C. 7. *ausi*. Auxi, aut addidi, aut apposui. 408) C. 7. *Suspensivi*. C. 6. *fastidia*. Fastigium est in aditu super foribus — tholus est media ac suprema pars tecti. in formam scuti brevis, in qua trabes coeunt; unde quasi fornicis. 409) Mor. I. *Nunc*. Bigot. *per hostes*. Luna jaculatoribus praeerat, sicut et Apollo. 410) Rom. *conisus*. 412) C. 1. *aversi*. C. 6, 7. *adversi*. C. 7. *ubique*. 413) C. 7. *fixo*. Men. I. *ludo*. Praecordia membranae sunt praetensae cordi; supra sunt cor et pulmones, infra jecur et lien. 415) Men. *pulsant*. Frigidus, s. mortuus. 416) C. 7. *hic*. 417) C. 7, 8. *telum summa*. C. 1. *vibrabat*. C. 7. *libravit*. 418) C. 7, 1, 6. *it*. C. 1. *timpus* (?). 419) C. 7. *Strindens*. 420) Dorv. *telis*. Med. *umquam*.

Auctorem, nec quo se ardens immittere possit.
Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas
Persolves amborum, inquit: simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens
Conclamat Nisus; nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me, adsum, qui feci, in me convertite ferrum,
O Rutuli! mea fraus omnis; nihil iste nec ausus,
Nec potuit; coelum hoc et conscia sidera testor.
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.
Talia dicta dabat: sed viribus ensis adactus
Transabiit costas, et candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus leto, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit:
Purpureus veluti quum flos succisus aratro
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia quum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnes
Volscentem petit; in solo Volscente moratur.
Quem circum glomerati hostes, hinc cominus atque hinc,
Proturbant. Instat non secius, ac rotat ensem
Fulmineum; donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso, et moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese projecit amicum
Confossus, placidaque ibi demum morte quievit.
Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet aevo:
Dum domus Aeneae Capitolî immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

---

421) C. 7. *mittere.* C. 1. *qua.* 425) Hamb. I. *celerare.* Ven. *latebis* 426) Franc. et Goth. I. *haud tantum.* Ed. Junt. *potui.* 428) Rom. *neque.* Rutulos promiscue pro hostibus appellat, quanquam hi erant Latini. Fraus hic pro delicto. 432) C. 1, 8. *Transadiit.* C. 6 *transadigit.* C. 7 *transegit.* C. 1. *pectora candida* C. 6, 8 *rupit.* 433) Volvitur, concidit caesus Eur. 436) C 8. *lapsove.* Dorv. *Linguescit.* 437) C. 8. *Dimisere.* 439) *Petit* sumitur a gladiatoribus. 441) C. 1. *Secius.* C. 7. *segnis*; al *segnius*, *serius.* Leid. *rotet.* 444) C 1, 8. *exanimum.* 445) C. 8 *confessus.* Quievit in amici complexu, Volscente caeso. 448) Domus Aeneae explicatur vel de domo Augusti, vel de familia Júlia, vel de populo Romano. Immob. saxum alludit ad aeternitatem Rom imperii. 449) Pater Rom. est-secundum Heyne-Juppiter Capitolinus; secundum Ruaeum vel Augustus, vel Senatus Rom., vel potius Romulus, gentis Rom. pater; secundum Cerdam Augustus.

Victores praeda Rutuli spoliisque potiti,
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exsangui, et primîs una tot caede peremtis,
Sarranoque Numaque. Ingens concursus ad ipsa
Corpora, seminecesque viros, tepidaque recentem
Caede locum, et plenos spumanti sanguine rivos.
Agnoscunt spolia inter se, galeamque nitentem
Messapi, et multo phaleras sudore receptas.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
Jam sole infuso, jam rebus luce retectis:
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,
Suscitat, aeratasque acies in proelia cogit,
Quisque suos, variisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis
Praefigunt capita, et multo clamore sequuntur,
Euryali et Nisi.
Aeneadae duri murorum in parte sinistra
Opposuere aciem, nam dextera cingitur amni,
Ingentesque tenent fossas, et turribus altis
Stant moesti; simul ora virûm praefixa movebant,
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit, matrisque allabitur aures
Euryali. At subitus miserae calor ossa reliquit.
Excussi manibus radii, revolutaque pensa.

---

450) C. 8. *exanimem*. 452) Rott. I. *Nec minus*. 454) C. 6, 1, 7. *Seranoque*. C. 7. *Numa*. 455) C. 7. *virosque*. Rom. *tepidumque recenti*, pro loco, in quo recens caedes facta est. 456) C. 1, 7, 8. *pleno spumantes*. 457) Mor. qu. *Cognoscunt* spolia, quae Rutulis eripuerant Nisus et Euryalus, et quae iterum ex iis Volscentis equites receperant. 458) C. 1. *multo*. C. 8. *multi*. 460) C. 7. *Tritoni*. 461) Pier. aliq. *receptis*. Hamb. I. *relictis*. 462) Turnus, armatus ipse, alios suscitat. 463) C. 7. *aeratas*. 464) C. 1. *variis* sine *que*. C. 7. *suas*, sc. acies. Rumoribus, vocibus. 465) Ven. *ipsi*. Multi *mirabile*. 466) *Praefigunt capita*, quod fuit genus contumeliae hostilis frequentissimum. 467) C. 1. *Eyr. et Nisi praefigunt capita et multo*. 468) Sinistra, orientali, quae Laurentum spectabat. 469) C. 1. *dextra*. 470) C. 1. *Ingentisque* 471) C. 7. *videbant*. 472) C. 7. *minus*. Goth. II. *minis*. Tabo, putri sanguine. 473) Multi *pinnata*. 474) C. 1. *auris*. C. 7. *illabitur*. 475) C. 1. *calor*. C. 7. *ac*. C. 8. *miserae subitus*. C. 6. *relinquit*. 476) Parrh. *Discussi*. Radius est instrumentum textorium — pensa, telae, quae prius involutae, jam ea surgente revolvuntur.

Evolat infelix, et, femineo ululatu,
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu
Prima petit: non illa virûm, non illa pericli,
Telorumque memor; coelum dehinc questibus implet:
Hunc ego te, Euryale, adspicio? tune, illa senectae
Sera meae requies, potuisti linquere solam,
Crudelis? nec te, sub tanta pericula missum,
Affari extremum miserae data copia matri?
Heu, terra ignota canibus date praeda Latinis
Alitibusque jaces! nec te tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens; tibi quam noctes festina diesque
Urguebam, et tela curas solabar aniles.
Quo sequar? aut quae nunc artus, avulsaque membra,
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?
Figite me, si qua est pietas; in me omnia tela
Conjicite, o Rutuli; me primam absumite ferro;
Aut tu, magne pater divûm, miserere, tuoque
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concussi animi, moestusque per omnes
It gemitus; torpent infractae ad proelia vires.
Illam incendentem luctus Idaeus et Actor,
Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli,
Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.——
At tuba terribilem sonitum procul aere canore

478) E muris, ad conspectum suffixi capitis, has in querelas erumpit. 481) C. 6, 8. *ille.* C. 7. *Nunc.* Goth. II. *Non ego.* Hug. *Hinc.* 484) Med. *extremis.* 485) C. 6, 7. *data.* Horror invadit cogitantem, humanum corpus devorari canibus, lupis, alitibus. 487) C. 7. *pressique.* Burm. duo *oculis.* Produxi, peperi. 488) C. 1. *qua.* C. 7. *festinaque dies.* Rom. *quod.* Ornabantur mortui vestibus ad sepulturam. 489) C. 6, 1, 7. *urgebant.* C. 1. *anilis.* C. 7. *solebar.* 490) Hamb. II. *sequor.* Goth. III. *aut quo.* 491) Funus est cadaver. Hoc sc. caput. 492) Hamb. II. *Nate ne fers.* Parrh. *haec*, sc. ut te sic aspicerem. 494) C. 7. *assumite.* Mor. II. *abrumpite.* 495) Plures *At.* 498) C. 7. *flexu.* C. 6. *metusque.* Ment. I. *maestosque.* 499) C. 1. *Et gemitus.* 500) C. 7, 8. *auctor.* Oud. *incidentem*; sed potius excitantem, augentem. Per ignem omnis fere affectus exprimitur. 501) C 8. *monitum.* 502) C. 1. *in.* 503) C. 6. *canora.* Bigot. *sonoro.*

Increpuit; sequitur clamor coelumque remugit.
Accelerant acta pariter testudine Volsci;
Et fossas implere parant, ac vellere vallum.
Quaerunt pars aditum, et scalis adscendere muros;
Qua rara est acies, interlucetque corona
Non tam spissa viris. Telorum effundere contra
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Assueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere: quum tamen omnes
Ferre juvat subter densa testudine casus.
Nec jam sufficiunt. Nam, qua globus imminet ingens,
Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque,
Quae stravit Rutulos late, armorumque resolvit
Tegmina. Nec curant caeco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
Missilibus certant.
Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum, et fumiferos infert Mezentius ignes;
At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, et scalas in moenia poscit.
Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti;
Quas ibi tunc ferro strages, quae funera Turnus
Ediderit; quem quisque virum demiserit Orco;
Et mecum ingentis oras evolvite belli.

---

505) C. 1. *Vulsci*. C. 7. *Volsi*. Milites erant densati in globum, consertis supra capita clypeis, ut sic ad muros tutius accederent. 506) Plur. *pellere*. Vallum fiebat ex palis, aut stipitibus, aut sudibus humi depactis. 507) Gud. *aditus*. Leid. *murum*. 508) C. 7. *acies est*. 509) Hug. *pressa viris*. 510) C. 7. *ad*. Bigot *aut* 512) Zul. *Saxaque volv. inf. pondere*, sc. ob gravitatem exitioso. 513) Leid. *Possint*. 514) C. 8. *juvat*; al. *jubet*. 515) Goth. II. *quo*. 516) Ruuntq., projiciunt, impellunt. 518) Leid. *curent caeco se condere Marte*, quia sc. sub testudine latebant, tecti et inumbrati clypeis. 520) Rott. II. *tentant*. Leid. supplet: *densis cum corpore toto*. 521) C. 1. *horrendum*. 522) Pinus nulla alia est quam ardens, quae pro face esset. Mezentius fuit rex Etruscorum. 523) C. 7. *Et Mess*. 524) Al. *Transcendit*, *Praescindit*. 525) Calliopes heroici carminis praeses. Aspirate, pluralis pro singulari. 526) C. 1. *cum*. C. 6, 8. *tum*. C. 1. *Turno*. 527) C. 6. *dimiserit*. C. 7. *Ediderit*. 528 C. 7. *ingente*. Burm. tres *horas*. Men. I. *evertite*. Orae sunt extremae partes vestium: quae quia in ambitum excurrunt, hic sumuntur pro toto circuitu, ambitu ac serie belli.

Et meministis enim, divae, et memorare potestis.
 Turris erat vasto suspectu, et pontibus altis,
Opportuna loco; summis quam viribus omnes
Expugnare Itali, summaque evertere opum vi
Certabant: Troes contra defendere saxis,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri; quae plurima vento
Corripuit tabulas, et postibus haesit adesis.
Turbati trepidare intus, frustraque malorum
Velle fugam. Dum se glomerant, retroque residunt
In partem, quae peste caret: tum pondere turris
Procubuit subito, et coelum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, immani mole secuta,
Confixique suis telis, et pectora duro
Transfossi ligno, veniunt. Vix unus Helenor,
Et Lycus elapsi: quorum primaevus Helenor,
Maeonio regi quem serva Licymnia furtim
Sustulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis,
Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.
Isque ubi se Turni media inter millia vidit,
Hinc acies atque hinc acies adstare Latinas;

---

530) Hamb. II. *suspecto.* Parrh. *conspectu.* Turres multis contabulationibus erigebantur, e quarum infimis ascensus erat ad summas; eorum scalae pontes dicuntur. 531) Goth. II. *qua.* 532) C. 7. *opum* sine *vi.* Rom. *Italis.* Op. vi, s. omni industria, virtute, instrumentis. 533) Defendere sc. turrim. 534) Fenestras, sc. turrium 535) Lampades hic vocantur ignita quaecunque missilia, ex stupa, pice et resina. 536) Med. *affecit.* Parrh. *adstrinxit.* 537) C. 7. *anchesis.* Hamb. I *tabulis.* Goth. II. *obesis.* Postibus, s. fulcris arrectariisque portarum. 540) Franc. *carent.* Peste, s. incendio, igne. 542) Sprot. *immensa.* Ii, qui in turri sunt, affliguntur gravi turris ruina solo, partim hastis suorum mutuo transfixi, h. e. veniunt ad terram. 543) C. 7. *Confissisque.* Mont. *Confixaque.* Goth. II. *Confixitque.* 544) Parrh. *Confossi.* 545) Med. *Lucus.* 546) C. 8 *Licinia.* Regi Maeonum, qui deinde Lydi dicti sunt, et ab Homero numerantur inter Trojanorum auxilia, utpote Phrygiae contermini. 547) Vet. armis, vel contra jussa Deorum et fati, Trojanis contrarii; vel contra morem Romanorum; vel ob teneram juventutem. 548) Ven. *palmaque.* Velitum, a velocitate dictorum, arma erant parma, s. brevis rotundusque clypeus et undique par; gladius, et leves aliquot hastulae. 549) C. 7. *se ubi* Turri in fastigio aperta, non tecto clausa, in praeceps data, extra vallum, desilientes duo, Helenor et Lycus, in medio hostium versari se videbant. 550) Vrat. *obstare.* Plur. *instare.*

Ut fera, quae, densa venantum septa corona,
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Injicit, et saltu supra venabula fertur:
Haud aliter juvenis medios moriturus in hostes
Irruit; et, qua tela videt densissima, tendit.
At pedibus longe melior Lycus, inter et hostes,
Inter et arma, fuga muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu, sociûmque attingere dextras.
Quem Turnus, pariter cursu teloque secutus,
Increpat his victor: Nostrasne evadere, demens,
Sperasti te posse manus? simul arripit ipsum
Pendentem, et magna muri cum parte revellit:
Qualis, ubi aut leporem, aut candenti corpore cycnum,
Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis;
Quaesitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a stabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur. Invadunt, et fossas aggere complent;
Ardentes taedas alii ad fastigia jactant.
Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis
Lucetium, portae subeuntem ignesque ferentem;
Emathiona Liger, Corynaeum sternit Asylas:
Hic jaculo bonus, hic longe fallente sagitta;
Ortygium Caeneus, victorem Caenea Turnus;
Turnus Itym, Cloniumque, Dioxippum, Promolumque,
Et Sagarim, et summis stantem pro turribus Idan;
Privernum Capys. Hunc primo levis hasta Temillae
Strinxerat: ille manum projecto tegmine demens

---

552) C. 1. *aut.* Goth. II. *inscia.* Mont. *mortis.* 553) Venabula sunt hastae venatoriae, breves, lato ferro. 554) C. 6. muritus. 556) Mor. I. *It.* Lycus in aggerem et murum vibrato in altum corpore escendere conatur, ut se intra urbem recipiat. 557) C. 1. *m. petit.* 558) C. 1. *Saxa manu — dextris.* Goth. III. *Pandere.* Hamb. II. *dextra.* Tecta pro superiore valli parte. *Prendere manu* ex minus altis muris illius aevi explicandum est. 562) C. 1. *muri magna.* Mor. II. *Tendentem.* Prehenderat manu superiora muri, ut saltu se in altum libraret. 564) Jovis arm., aquila, fulminis ministra. 565) Plur. *matris.* Goth. I. *balantibus.* 566) C. 7. *et stabulis.* Goth. III. *repetit.* Lupus Marti sacer, et cruentus. 568) C. 1. *Ardentis.* C. 1 *tedas.* Oud. *ad f. mittunt.* 570) C. 8. *ignemque.* 571) Corynaeus Trojanus est—Liger fors Italus. 572) C. 7. *fallentem.* 573) C. 7. *Cernea.* Goth. III. *turmis.* 574) C. 6. Itin. 7. Tyrim. 575) C. 6, 7. *Idam*, sc. stantem in summa turri. 576) C. 1. 8. *Themillae.* 577) *Strinxerat* leviss. ictum indicat.

Ad vulnus tulit; ergo alis allapsa sagitta,
Et laevo affixa est lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animae letali vulnere rumpit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis;
Pictus acu chlamydem, et ferrugine clarus Hibera,
Insignis facie, genitor quem miserat Arcens,
Eductum Matris luco, Symaethia circum
Flumina: pinguis ubi et placabilis ara Palici.
Stridentem fundam, positis Mezentius hastis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena;
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum;
Cui Remulo cognomen erat; Turnique minorem
Germanam nuper thalamo sociatus habebat.
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidusque novo praecordia regno
Ibat, et ingentem sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, et Marti praetendere muros?
En, qui nostra sibi bello connubia poscunt!
Quis deus Italiam, quae vos dementia adegit?
Non hic Atridae, nec fandi fictor Ulixes.
Durum ab stirpe genus, natos ad flumina primum

---

578) C. 8, 7. *sagitta est.* Alae velocem motum et volatum teli exprimunt. 579) C. 6, 1, 7. *infixa.* C. 8. *laeve.* C. 6. *additaque.* Goth. III. *intra.* 580 C. 7, 8. *nupit.* 582) Chlamys est vestis militaris — ferrugo ferri politi color, in nigrum tendens. 583) Arcens est Siculus. 584) C. 1. *Symetria.* Symethus est fluvius in orientali Siciliae parte. Lucus matris Cereris. 585) Franc. *Palaci.* Palici fratres fuerunt, Jovis filii, et Thaliae Nymphae, Vulcani filiae. 586) C. 1, 8. *armis.* C. 7. *strindentem.* C. 6, 7. *Armis.* 587) Funda ter rotanda, habetur manibus non aliter ac habenae equorum. 588) C. 1 *timpore.* Plumbum calefit et mollescit 589) C. 6. *Difficit.* 7. *Diffudit.* C. 7. *multo.* Ven. *Dividit.* Leid. *projectum*. pro porrigit et extendit. 590 C. 1. *incendisse.* 591 C. 7. *interrere.* 592) C. 7. *fodisse.* 593) C. 7. *Rumulo.* Dorv. *Romulo.* 595) C. 7 *His.* 596) Novo regna, affinitate regia. 597) C. 7, 8. *ingenti.* 598) Zul. *tueri.* 599) C. 1. *morti.* C. 8. *moti.* Phryges capti ab Hercule et a Graecis. 602) Goth. III. *fraudis* pro, ut qui tantum loquendo et fingendo posset, non virtute et viribus. 603) C. 6, 7. *a st.* C. 7. *natosque.*

Deferimus, saevoque gelu duramus et undis;
Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant:
Flectere ludus equos, et spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque assueta juventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne aevum ferro teritur, versaque juvencûm
Terga fatigamus hasta; nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Canitiem galea premimus; semperque recentes
Comportare juvat praedas, et vivere rapto.
Vobis picta croco et fulgenti murice vestis;
Desidiae cordi; juvat indulgere choreis;
Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae.
O vere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma; ubi assuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocant Berecyntia Matris
Idaeae. Sinite arma viris, et cedite ferro.
Talia jactantem dictis ac dira canentem
Non tulit Ascanius; nervoque obversus equino
Intendit telum, diversaque brachia ducens
Constitit, ante Jovem supplex per vota precatus:
Jupiter omnipotens, audacibus annue coeptis.
Ipse tibi ad tua templa feram solemnia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte juvencum

---

604) C. 7. *duroque.* 605) Burm. duo *vigilant.* 606) C. 1, 8. *ludos.* 607) C. 7. *juventus est.* 608) C. 6. *rastis.* 609) Aramus armati, nec stimulis aut flagris, sed extrema hastae parte boves arantes incessimus. 612) C. 1. *recentis.* 614) Crocus est flos, cuius colore infecta vestis crocota dicebatur. 615) Choreae alienae a bello 616) Tun. man. est vestis virorum interior; sed ignominiosa. 617) Hamb. I. *O ire.* Foeminas dici viros gravis est contumelia. 618) Oud. *adsuetum.* Phrygia universa sacra fuit Cybele, matri Deorum. Tibia est musicum instrumentum, flatu personum. 619) C. 1, 8. *vos.* Tympanum est pellis, vel corium, ligno extensum, quod pulsabatur apud veteres manibus et digitis. E buxo montis Berecynthiae tibiae sunt Cybeles. 620) C. 8. ferrum. C. 6. *caedite.* Phrygiae estis, praelia gerite cum mulieribus, non cum viris. 621) C. 6. *dura.* Canentem s. dicentem. 622) Nervos arcuum ex equorum setis fieri solitos, testatur Hesychius. 623) C. 1, 6, 8. *Contendit.* C. 6. *telum in* div. partem. 624) C. 7. *per verba precatur.* Versis oculis in aetherem, qui Jupiter est. 626) Sol. sacrificia. 627) Aurata fronte, mos solennis veterum in sacrorum cultu ad magnificentiam ostentandam.

Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Jam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.
Audiit et coeli Genitor de parte serena
Intonuit laevum; sonat una fatifer arcus.
Effugit horrendum stridens adducta sagitta;
Perque caput Remuli venit, et cava tempora ferro
Trajicit. I, verbis virtutem illude superbis.
Bis capti Phryges haec Rutulis responsa remittunt.
Hoc tantum Ascanius. Teucri clamore sequuntur,
Laetitiaque fremunt, animosque ad sidera tollunt.
Aetheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens, atque his victorem affatur Iulum:
Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra,
Dîs genite, et geniture deos. Jure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident;
Nec te Troja capit. Simul, haec effatus, ab alto
Aethere se mittit, spirantes dimovet auras,
Ascaniumque petit. Formam tum vertitur oris
Antiquum in Buten. Hic Dardanio Anchisae
Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos;
Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo
Omnia longaevo similis, vocemque, coloremque,
Et crines albos, et saeva sonoribus arma;
Atque his ardentem dictis affatur Iulum:
Sit satis, Aeneada, telis impune Numanum
Oppetiisse tuis; primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, et paribus non invidet armis.

---

628) Cap. c. m. f., aequalem cum matre, jam adultum. 629) C. 8. *Spargit.* 630) Rom. *Audit.* 631) C. 1, 6, 8, 7. *loetifer.* 632) C. 6, 1, 7. *elapsa sagitta.* Adducto arcu concitata. 634) C. 1, 6, 8, 7. *Trajecit. Verbis.* Ven. *allude.* 636) C. 7. *secuntur.* 638) C. 7. *tunc.* Parrh. *cum.* Apollo gentis Juliae imprimis studiosus. 639) Italas acies novamque Troiam. 641) Mactus virtute est, qui fruitur laude e re bene gesta. 642) Genitus Venere per Aeneam, Jove per Dardanum, geniturus Julium et Octavianum Augustum Caesares, qui div. honoribus afficiendi erant. 643) C. 6, 8, 7. *Assarici*, a quo ortus Aeneas; sed Augustus et Caesares signantur. 644) C. 8, 7. *affatus.* Troia, sc. nova. 645) C. 1. *spirantis*, s. flantes, vitales Pier. aliq. *misit* Hamb. I. *spumantis.* Rom. *demovet.* 648) C. 1. *fidus* sine *et.* Sprot. *lumina.* 649) C. 7. *Hunc.* Parrh. *Tunc.* 651) C. 1, 7. *flavos.* Arma terribiliter sonantia. 653) C. 1. *Aeneide.* C. 7. *Sic satis Aeneade.* 654) Rott. I. *suis.* 655) C. 6. *concedat.* Apollo puer sagittis serpentem Pythona confixit, ut matrem defenderet; quemadmodum Ascanius hic Numanum, ut patriam ulciscatur.

Cetera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo
Mortales medio adspectus sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Agnovere deum proceres divinaque tela
Dardanidae, pharetramque fuga sensere sonantem.
Ergo avidum pugnae, dictis ac numine Phoebi,
Ascanium prohibent; ipsi in certamina rursus
Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.
    It clamor totis per propugnacula muris:
Intendunt acres arcus, amentaque torquent.
Sternitur omne solum telis; tum scuta cavaeque
Dant sonitum flictu galeae; pugna aspera surgit.
Quantus ab occasu veniens, pluvialibus Haedis,
Verberat imber humum; quam multa grandine nimbi
In vada praecipitant, quum Jupiter horridus austris
Torquet aquosam hiemem, et coelo cava nubila rumpit.
Pandarus et Bitias, Idaeo Alcanore creti,
Quos Jovis eduxit luco silvestris Iaera,
Abietibus juvenes patriis et montibus aequos,
Portam, quae ducis imperio commissa, recludunt
Freti armis, ultroque invitant moenibus hostem.
Ipsi intus dextra ac laeva pro turribus adstant
Armati ferro, et cristis capita alta corusci:
Quales aëriae liquentia flumina circum,

---

657) C. 6, 7. *Mortalis*. 660) C. 8. *fugam*. Erf. *tonantem* phar., qualis est Apollinis sonus. 662) Ita cohibendus princeps a suis, ut non illis in principem sit potestas. 663) C. 6. *animisque* Hamb. II. *animosque*. 665) C. 1. *amenaque*. Ipsi arcus intendunt acriter, et jaciunt tela amentis religata. Amenta erant hastae, quae loro alligatae, quo implicata manus, aequabili quasi impetu certius hastam librabat. 666) C. 1. *ictu*. C. 6, 7. *afflictu*. C. 6. *surgunt*. 667) Rom. *adflictu*. 668) C. 6. *pluvialis*. Rom. *pl. herbis*. Haedis, stellis duabus astri, quarum ortus et occasus procellosus habetur. 669) C. 6. *aut quam*. 670) C. 8. deest hic vers. C. 1. *cum—astris*. Juppiter agitat nubes pluvias. 671) C. 6. *nubula*. Rott. III. *et tela*. 672 C 7. *a Canore*. Goth. III. *Archanore*. In Ida, monte Troadis, Cybele ac ipse etiam Juppiter colebantur. 673) C. 1, 8. *Hiera*. Zul. *Hibera*. Dorv. *Hieta*, vel nomen matris horum juvenum, vel nomen matri affictum. 674) Gud. *aequis*. Abies est arbor. Juvenes monti similis staturae. 675) Hugen. *reducunt*. 676) C. 7. *utroque*. 677) C. 6, 1, 7. *instant*. C. 7. *et laeva*. Leid. *obstant*. 678) C. 1. *ac*. C. 6. *coruscis*. Med. *coruscant*. Hug. *coruscent*. 679) Liquida flum.

Sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum,
Consurgunt geminae quercus, intonsaque coelo
Attollunt capita, et sublimi vertice nutant.
Irrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentes.
Continuo Quercens, et pulcher Aquicolus armis,
Et praeceps animi Tmarus et Mavortius Haemon,
Agminibus totis aut versi terga dedere,
Aut ipso portae posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus irae.
Et jam collecti Troes glomerantur eodem,
Et conferre manum et procurrere longius audent.
Ductori Turno, diversa in parte furenti,
Turbantique viros, perfertur nuntius, hostem
Fervere caede nova, et portas praebere patentes.
Deserit inceptum, atque immani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos;
Et primum Antiphaten, is enim se primus agebat,
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Conjecto sternit jaculo Volat Itala cornus
Aëra per tenerum, stomachoque infixa sub altum
Pectus abit; reddit specus atri vulneris undam
Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphidnum;

---

680) C. 7. *ripas*. Padus, Po, Eridanus, est fluvius Italiae maximus, post quem Athesis, Adigo, ex Tridentinis Alpibus per Venetos in mare Adriaticum fluens. 682) C. 7. *inutant*. 683) C. 8. *potentis*. 684) C. 8. *quercus*. C. 1. *Aequilicus*; al. *Aequiculus*. 685) C. 1. *Thinarus*. C. 8. *marus*. Haemon bellicosus. 686) Parrh. *adversi*. Pier. aliq. *aversi—dederunt*. 687) C. 7. *lumine*. Pier. aliq. *ipsi*. 688) Dorv. *Tum magae*. Irae Trojanis magis increscunt. 689) C. 8. *in unum*. 690) Sprot. *percurrere*. Leid. *ardent*. 692) C. 7. *vires*. Parrh. *hostes*. 693) C. 8. *portas*. C. 1. *patentis*. 695) Ad portam novae Trojae. 696) Impetum suum dirigebat Turnus contra duos fratres, qui in portis; hi enim scopus furoris: sed in via delevit quatuor. 697) C. 7. *nothus*, s. illegitimo conjugio susceptus. Thebes, Asiae min. urbs apud Adramyttenos, de qua Lydis et Mysis diu certamen fuit, Regia Eetonis, Andromachae patris. 698) Cornus est arbor durissimo ligno, ideo telorum materia. 699) C 7. *alto*. Al. *per vacuum*, vel *per tenuem*. 700) Multi *atri sanguinis undam*, s. sanguinem magna copia erumpentem. 701) C. 8. *fumantem*. C. 7. *tapescit* Oud. *effixo*. Burm. tres *fixum*. Erf. *tumescit*. Parrh. *recondit*. 702) C. 1. *Aphebium*. C. 7. *Tunc*. C. 7. *Cum*. C. 7. *Apernum*. Zul. *Erementha manu*, s. ense.

Tum Bitian ardentem oculis, animisque frementem,
Non jaculo: neque enim jaculo vitam ille dedisset:
Sed magnum stridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo; quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squama lorica fidelis et auro
Sustinuit; collapsa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, et clipeum super intonat ingens.
Qualis in Euboico Bajarum litore quondam
Saxea pila cadit; magnis quam molibus ante
Constructam ponto jaciunt: sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit;
Miscent se maria, et nigrae attolluntur arenae.
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime Jovis imperiis imposta Typhoeo.
Hic Mars armipotens animum viresque Latinis
Addidit, et stimulos acres sub pectore vertit;
Immisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.

---

703) C. 1. *ferentem*. C. 6. *Biciam*. Burm. *Bitiam ardentemque*, tam immani corpore fuisse declarat Virg., ut jaculi vulnus nimis leve, nec mortem allaturum fuisset. 704) Dedisset, s. reddidisset. 705) C. 7. *cum torta*. Phalarica est oblonga hasta, teres, praeterquam ad extremum, ubi ferrum extabat quadratum, tres longum pedes, ut cum armis transfigere corpus posset. Huic ferro picem in stupa circumligabant, adjectoque igni immittebant in ligneas praesertim turres, quae *phalae* s. *falae* dicebantur Etrusca voce. (Conf. Livii lib. 21, 8.) Sed hic hasta ferri latioris dicta esse videtur. 706) Parrh. *non*. Goth. II. *taurica*. Taurea terga sunt scuta. 707) Fidelis, quae tutum reddit, duplicibus squamis aureis. 708) C. 7. *terga*. 709) Cipeum (neutrius generis) intonat super immania membra conlapsa. 710) Rom. *Talis*. Bajae, locus in Campania tepidis aquarum fontibus nobilis, in latere superiore Neapolitani sinus, non longe a Miseno promontorio. 711) Hae structiones et moles magnae ex saxis et caementis alte aggestis pulvere Puteolano sub aqua solidatis confectae erant. 712) C. 8. *ruina*. C. 7. *puncto*. Mor. III. *in ponto*. 713) Pier. aliq. *undis illisa*. Parrh. *vadis in littore combit*. 714) Plur. *tolluntur*. 715) C. 7. *cubine*. Goth. II. *sonitum*. Bigot. *fremitu*. Prochyta, nunc Procita, parva et aspera insula maris Tyrrheni, proxime admota Miseno promontorio, hoc inter et Inarimen insulam, aquae per terrae motum avulsa, Plinio Straboníque censetur. Inarime, ad meridiem Prochytae, nunc Ischia, multo amplior insula, fertilitate nobilis, solo concavo et sulfureo, qualis est totus ille tractus; ignis eruptionibus olim saepe infesta. 717) C. 1. *animos*. Burm. tres *omnipotens*. Parrh. *animos*. 718) Plur. *sub* vel *in pectora*. 719) Timor ater, sc. tenebris et nocte involutus, odiosus, funestus.

Undique conveniunt; quoniam data copia pugnae:
Bellatorque animos deus incidit.
Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res:
Portam vi multa converso cardine torquet,
Obnixus latis humeris, multosque suorum
Moenibus exclusos duro in certamine linquit;
Ast alios secum includit recipitque ruentes,
Demens! qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem, ultroque incluserit urbi:
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuo nova lux oculis obfulsit, et arma
Horrendum sonuere; tremunt in vertice cristae
Sanguineae, clipeoque micantia fulmina mittunt.
Agnoscunt faciem invisam atque immania membra
Turbati subito Aeneadae. Tum Pandarus ingens
Emicat, et mortis fraternae fervidus ira
Effatur: Non haec dotalis regia Amatae;
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides; nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus:
Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram;
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.
Dixerat. Ille rudem nodis et cortice crudo
Intorquet summis annixus viribus hastam,
Excepere aurae vulnus; Saturnia Juno
Detorsit veniens; portaeque infigitur hasta.

---

720) Goth. II. *pugnae est.* 721) C. 7. *animo.* 722) Bigot. *infuso.* 723) Multi *quis.* 724) Med. *vi magna.* Mont. *vi tota.* Zul. *torquent.* 725) Zul. *Obnisus.* Goth. II. *latus.* 726) C. 1. *liquit.* C. 7. *linquunt.* C. 7. *dura.* 727) C. 1. *ruentis.* Hamb. II. *recipitque clientes.* 729) Leid. *Viderat — incluserat.* Bigot. *urbe.* 730) C. 6. *velut.* 731) C. 1, 6, 8, 7. *effulsit.* Bigot. *oculisque.* 733) C. 8. *clypeusque.* C. 1, 6, 8, 7. *mittit* sc. se, s. mittuntur. 735) Burm. tres *Cum.* 736) Mors fraterna est justissima causa irarum. 737) Dot. reg. Am., Laurentum, urbs regia Latini, cuius uxor Amata, Turno favens, Laviniam ipsi regnumque in dotem tradere conabatur. 738) Parrh. *Non.* Sprot. *prohibet.* Ardea urbs regia Rutulorum et Turni. 739) Goth. III. *vide.* Hamb. II. *nulli.* Men. II. *huic.* 740) C. 1. *foedato.* C. 6. *surridens.* 741) C. 8. *quae.* Rom. *animi.* 742) Turnum, qui sit tam infestus Trojanis, quam olim Achilles fuit. 744) C. 1. *adnexus.* 745) Burm. duo *vultus — veniens.* Juno avertit Hectoris telum ab Achille. 746) C. 8. *portoque.* Parrh. *terraeque.* Franc. *infingitur.*

At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies; neque enim is teli nec vulneris auctor.
Sic ait, et sublatum alte consurgit in ensem.
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit, impubesque immani vulnere malas.
Fit sonus; ingenti concussa est pondere tellus.
Collapsos artus atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens; atque illi partibus aequis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepida formidine Troes.
Et, si continuo victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu sociosque immittere portis,
Ultimus ille dies bello gentique fuisset.
Sed furor ardentem caedisque insana cupido
Egit in adversos.
Principio Phalerim, et succiso poplite Gygen
Excipit; hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergus: Juno vires animumque ministrat.
Addit Halym comitem, et confixa Phegea parma;
Ignaros deinde in muris Martemque cientes
Alcandrumque Haliumque Noëmonaque Prytanimque.
Lyncea tendentem contra, sociosque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat; huic uno dejectum cominus ictu
Cum galea longe jacuit caput. Inde ferarum

---

747) Hamb. II. *vix.* Multi *d. librat.* Mor. *torquet.* Telum pro gladio, s. ense. 748) C. 7. *actor.* 750) C. 7. *media.* 753) Mor. II. *Collapsosque.* 754) C. 1. *moriens.* Gl. *Pandarus.* 755) C. 7. *humeroque ex.* 756) Burm. duo *Deffugiunt.* 757) Zul. *fuisset.* 758) C. 7. *manum.* Goth. III. *portae.* 760) Multi *infanda* vel *immensa.* 761) C. 6. *Erit.* 762) C. 1, 8. *Falerim* C. 1. *Gyren*; al. *Cygen*, *Gygem.* Ordo est, inquit Servius: Excipit (in se ruentem) et subcidit poplitem. 763) Ven. *huic.* Hamb. I. *hic.* Rom. *in raptas.* Goth. II. *arreptas.* Raptas sc. de caesorum cadaveribus. 764) C. 1, 7, 8. *tergum.* Franc. *Integrum.* 765) C. 6. *confixam.* C. 7. *palma.* Al. *Halin*, *Halim*, *Alym.* Parrh. *confexum.* Dorv. *et fixa.* Phegeus et parma simul confixi, et insuti Turni hasta. 766) C. 1. *cientis.* Sprot. *ruentes.* 767) C. 1. *Nemonamque Phitanimque.* C. 7. *Nemonaque Piramumque.* 768) C. 1, 7. *Ligea.* 8. *Lingea*; al. *Lycea.* 769) C. 1, 8. *dextra.* C. 6. *dextram* C 7. *dextro.* Cum contra tenderet Lynceus, Turnus sinistro latere innixus aggeri, dextra manu in dextrum quoque Lyncei latus incurrit. 770) C. 7. *hic.* Zul. *hinc.* Franc. *hic.* Goth. I. *unum.* Mor. II. *coniectum.* 771) Poetae magnis ducibus saepe attribuunt ictus ultra omnem fidem.

Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Unguere tela manu, ferrumque armare veneno;
Et Clytium Aeoliden, et amicum Crethea Musis;
Crethea Musarum comitem, cui carmina semper
Et citharae cordi, numerosque intendere nervis;
Semper equos, atque arma virûm, pugnasque canebat.
Tandem ductores, audita caede suorum,
Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus;
Palantesque vident socios, hostemque receptum.
Et Mnestheus: Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit.
Quos alios muros, quae jam ultra moenia habetis?
Unus homo, et vestris, o cives, undique septus
Aggeribus, tantas strages impune per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriae, veterumque deorum,
Et magni Aeneae segnes miseretque pudetque?
Talibus accensi firmantur, et agmine denso
Consistunt. Turnus paullatim excedere pugna,
Et fluvium petere, ac partem, quae cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum: ceu saevum turba leonem
Quum telis premit infensis; at territus ille,
Asper, acerba tuens, retro redit; et neque terga
Ira dare aut virtus patitur; nec tendere contra,
Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque.
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus

---

772) C. 6. *felicius*. Goth. III. *fallacior*. Felicior, peritior. 773) C. 7. *Ungere*. Heins. *Stringere*. Ungere tela medicatis et venenatis herbis. 774) Al. *Clycion*, *Gluttium*. 775) Al. *Cretea*, *Crathea*. 776) Hug. *incendere*. Nervis intenduntur soni numerosi, si arte eliciuntur. 777) C. 6. *at*. C. 6. *canebant*. 778) Zul. *voce s*. 779) C. 6, 7. *Menestheus*. 780) C. 1. *Palantisque*. Men. I. *Pallentesque*. 781) Goth. III. *Tunc M*. 782) Plur. *quaeve ultra*, *quaeve altera*. Omnes muri dici possunt moenia, sed non omnia moenia dici debent muri. 783) C. 7. *o cives et vestris*. Ven. *nostris*. 784) Goth. III. *tanti*. 785) C. 6. *juvenem*. C. 6. *miserat*. Goth. I. *j. primo t. dederit*. Orco, inferorum Deo. 786) C. 8. *Nonne*. Gud. *malorum*. Infelicis patriae in nova Troja redditae, pro qua pugnandum et moriendum. 788) Hamb. I. *in agmine*. 789) Multi *pugnae*. 790) C. 8. *unda*. 791) Mor. qu. *hic*. Dorv. *insistere*. 793) C. 8. *ac*. Reg. *adterritus*. 794) C. 8. *cedit retro*. Ven. *r. dedit*. Bigot. *at n*. Acerba tuens, torve aspiciens. 795) Zul. *ac v*. 796) C. 1. *capiens*. C. 8. *potis et*. Ven. *per t. per hostes*.

Improperata refert, et mens exaestuat ira.
Quin etiam bis tum medios invaserat hostes;
Bis confusa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus e castris propere coit omnis in unum.
Nec contra vires audet Saturnia Juno
Sufficere; aëriam coelo nam Jupiter Irim
Demisit, germanae haud mollia jussa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis.
Ergo nec clipeo juvenis subsistere, tantum
Nec dextra valet: injectis sic undique telis
Obruitur. Strepit assiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, et saxis solida aera fatiscunt;
Discussaeque jubae capiti; nec sufficit umbo
Ictibus; ingeminant hastis et Troes et ipse
Fulmineus Mnestheus. Tum toto corpore sudor
Liquitur, et piceum (nec respirare potestas)
Flumen agit; fessos quatit acer anhelitus artus.
Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit. Ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis;
Et laetum sociis abluta caede remisit.

---

799) C. 1. *hostis.* Ven. *cum.* Franc. *in medios.* Leo vult ruere, neque potest, ideo recedit: sed Turnus majori conatu quam leo, bis adhuc medios hostes invadit, bis in fugam vertit. 800) Al. *conversa.* 801) C. 6. *et castris.* 802) Virg. tacite vult intelligi, Junonem pugnae huic interfuisse praesentem. 803) C. 6. *aeriem.* Hamb. II *in coelo.* Iris nuntia Jovis ad omnes Deos. 804) Franc. *Dïmittit*; Gl. *Dimisit.* 805) Turni pugna facta est in ipsis moenibus. 806) Nec cl. excipiens tela resistere potest. 807) Nec dext. pugnans ense statum tenere valet. 808) Galea percussa saxis adsonat. 809) Hamb. II. *Singultu.* 810) Zul. *Diffusaeque — capiti*, e capite. Equinae jubae, unde cristae galearum. Umbo est pars media eminens in clypeo. 812) C. 8. *Fulminibus.* Burm. duo *Cum.* 813) Dorv. *Linquitur.* Flumen sordidum cruore et pulvere. 814) C. 6, 1. *aeger.* Goth. III. *fessus agit.* 815) Mor. I. *Cum.* Gud. *saltu praeceps.* 816) Plur. *g. vasto.* *Cum* pro *in.* 817) C. 1. *Excepit ven.*, *e mollibus.* Multi *fugientem.* 818) Franc. *oblata.* Mont. *obluta.* Mor. II. *remittit.* Caede, s. sanguine.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER DECIMUS.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat divûm pater atque hominum rex
Sideream in sedem: terras unde arduus omnes,
Castraque Dardanidum adspectat, populosque Latinos.
Considunt tectis bipatentibus. Incipit ipse:
Coelicolae magni, quia nam sententia vobis
Versa retro, tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.
Quae contra vetitum discordia? quis metus aut hos
Aut hos arma sequi ferrumque lacessere suasit?

LIBER DECIMUS.

1) Olympus s coelum non modo est sedes Jovis, sed conducit etiam ad omnium rerum productionem per siderum influxus. 2) Pier. *Consilium*. 3 C. 6. *sidereum sedem*. 4) C. 8. *Dardanium* C. 6. *populusq. latinus*. 5) Mor. II. *portis bip.*, ubi janua est biforis, quae in dextram laevamque aperitur. 6) C. 1, 7, 8. *quaenam*; sed quare mutastis ipsi sententiam vestram, qua statueratis neutris partibus favere? 7) Goth. II. *retro est*. Men. II. *certatur*. 8) *Abnueram* alludit ad Jovis numen, quia numine, i. e. nutu, omnia efficit. 9) C. 7. *vetus*. Cujusnam mali aut periculi depellendi adduxit, ut utraque pars bellum moveret? 10) C. 8. *verbumq*. Lacessere s movere.

Adveniet justum pugnae, ne arcessite, tempus,
Quum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas:
Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.
Nunc sinite; et placitum laeti componite foedus.
    Jupiter haec paucis; at non Venus aurea contra
Pauca refert:
O Pater, o hominum divûmque aeterna potestas!
Namque aliud quid sit, quod jam implorare queamus?
Cernis ut insultent Rutuli, Turnusque feratur
Per medios insignis equis, tumidusque secundo
Marte ruat? Non clausa tegunt jam moenia Teucros:
Quin intra portas atque ipsis proelia miscent
Aggeribus moerorum, et inundant sanguine fossae.
Aeneas ignarus abest. Nunquamne levari
Obsidione sines? muris iterum imminet hostis
Nascontis Trojae; nec non excercitus alter,
Atque iterum in Teucros Aetolis surgit ab Arpis
Tydides. Equidem, credo, mea vulnera restant;
Et tua progenies mortalia demoror arma!
Si sine pace tua, atque invito numine, Troes
Italiam petiere: luant peccata; neque illos
Juveris auxilio. Sin tot responsa secuti,

---

11) C. 8. *accersite.* Gud. *Adveniat.* Goth. III. *At veniet quondam.* 12) C 1. *artibus.* C. 6. *freta.* Carthago paribus votis et viribus imperium orbis agitavit. 13) Men. I. *immittat.* Goth. I. *immittit.* G. II. *invitet.* G. III. *immiscet.* Annibal Alpibus patefactis ingressus est Italiam cum exitio Romanorum. 14) C. 7. *Tunc* raptim exequi licebit. 15) C. 8. *placidum*; sed quod iis placuit. 16) C. 8. *at nos.* Aurea s. pulcra. 18) Potestas s. potens. 20) Burm. quatuor *insultant*; quod verbum sumtum est a canibus, cum in praedam insiliunt. 21) C. 6 *insignes.* 22) C. 8. *ruant.* Med. *claustra.* — *Tegunt* est verbum militare, inde tegmen pro scuto. 24) C. 7, 8. *murorum.* Aggeribus pro muris. *Inundant* etc. ad uberem caedem explicandam. 25) C. 7. *nunquamve.* Mor. II. *Unquam ne.* 26) Mor III. *insidet.* 28) Plur. *surget.* Vofs I. *ab arvis.* Arpe, Apuliae Dauniae urbs, condita a Diomede (Tydei filio), qui prius in Aetolia regnaverat. 29) Cum Aeneam, a Diomede lapidis ictu vulneratum, Venus opposito peplo e pugnae periculo subduceret, a Diomede in vola manus vulnerata est. 30) Ego, dea, sustinebo mortalis impetum. 31) Ven. *inviso.* Dorv. *invicto.* Gud. *nomine.* 32) Franc. *luunt.* Verbo *petiere* usurpatio in aggressu, et quidem petulans innuitur. 33) C. 7. *Juvenis.*

Quae Superi Manesque dabant: cur nunc tua quisquam
Vertere jussa potest? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in litore classes?
Quid tempestatum regem, ventosque furentes
Aeolia excitos? aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam Manes (haec intentata manebat
Sors rerum) movet, et superis immissa repente
Allecto, medias Italûm bacchata per urbes.
Nil super imperio moveor; speravimus ista,
Dum fortuna fuit; vincant, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua conjunx
Dura: per eversae, genitor, fumantia Trojae
Excidia obtestor: liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Aeneas sane ignotis jactetur in undis;
Et, quamcunque viam dederit Fortuna, sequatur:
Hunc tegere, et dirae valeam subducere pugnae.
Est Amathus, est celsa mihi Paphus, atque Cythera,
Idaliaeque domus; positis inglorius armis
Exigat hic aevum. Magna ditione jubeto
Carthago premat Ausoniam; nihil urbibus inde

---

34) Mont. *non tua.* Manes Hectoris. 35) C. 6, 7. *Flectere jura.* 36) C. 6. *exastas*; al. *exhaustas.* Mulieres Trojanae, Junonis et Iridis suasu, taedio navigationis, naves Aeneae exusserunt. dum is ludos celebrat ad patris Anchisae tumulum, prope Erycem, Siciliae urbem et montem. 37) C. 1. *furentis.* Tempest. reg., Aeolum. 38) C. 7. *exitos.* Men. I. *exactos.* Juno Aeolum et ventos in Aeneae classem concitavit. Iris missa est a Junone ad Trojanas mulieres, ut eas ad incendium navium concitaret, et ad Turnum, ut eum ad bellum hortaretur. 39) Goth. II. *intempesta.* Dorv. *manebant.* Manes s. deos inferorum. 40) Leid. *invisa.* Sors rerum a Servio explicatur regnum inferorum, quia sors tertia Plutonis. 41) C. 6. *mediasque.* Vox *bacchata* a furiosis Bacchi comitibus petitur. 42) Hamb. I. *imperiis.* Sprot. *imperium*, Gl. a Jove permissum. 43) C. 1. *majus.* 44) Burm. duo *dat* 45) C. 7. *perversae.* Dura, quia irae Junonis diuturnae et pertinaces. 46) Burm. aliq. *demittere.* 47) Nepotes amantur plus quam filii. 48) Al. *Aen. procul ign.* 49) Hamb. I. *quacunque.* 50) Al. *Nunc.* 51) C. 6, 1. *Paphos.* Memorantur duae urbes in Cypro insula, quae tota Veneri sacra fuit. Cythera, gen. Cytherorum, insula inter Cretam et Peloponnesum, nunc Cerigo vocatur. 52) Domus pro sede s. habitatione, vel templo. Idalia est oppidum Cypri insulae. 53) C. 6. *Exiet.* 54) C. 1, 8. *nil viribus.* Goth. III. *C. ut pr. Aus.*, s. Italiam teneat potenti imperio.

Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli
Juvit, et Argolicos medium fugisse per ignes;
Totque maris vastaeque exhausta pericula terrae:
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quaerunt?
Non satius, cineres patriae insedisse supremos,
Atque solum, quo Troja fuit? Xanthum et Simoënta
Redde, oro, miseris; iterumque revolvere casus
Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Juno
Acta furore gravi: Quid me alta silentia cogis
Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem?
Aenean hominum quisquam divûmque subegit
Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam fatis petiit auctoribus; esto;
Cassandrae impulsus furiis: Num linquere castra
Hortati sumus, aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamve fidem aut gentes agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quae dura potentia nostri
Egit? Ubi hic Juno, demissave nubibus Iris?
Indignum est, Italos Trojam circumdare flammis
Nascentem, et patria Turnum consistere terra:
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater,

---

55) C. 7. *Optabit.* Plur. *Obstabat.* Zul. *Teucris.* Goth. III. *bellis.* Pestem s. perniciem. 56) Bigot. *Argolicum.* Plur. *medios.* Ven. *fecisse.* Arg. s. Graecos. 57) C. 1. *vastatque.* 58) Recid., caduca, rursus cadentia Pergama, quae sunt arx Trojae. 59) C. 8. *insidisse.* 60) C. 8. *tedia.* C. 7. *Xantumque Simeunta*, Troadis fluvios. Zul. *quod T.* Ven. *quae.* 61) C. 1. *resolvere.* 62) C. 1. *tunc.* 63) Goth. II. *f. gravi. est.* Burm. duo *coges.* 64) Mor. II. *obtectum.* 65) C. 1. *quisquam hominum.* C. 6. *Aeneam.* 67) C. 1, 6, 8, 7. *petiit fatis.* 68) C. 1. *impulsus.* C. 7. *Non.* Cassandra, Priami filia et vates, praedixerat Anchisae Trojanos venturos in Italiam. 70) Gud. *Non p.* Mont. *flammam b.* Ven. *non cr.* Puero Ascanio, cui curam novae Trojae crediderat, sub tutela tamen Mnesthei et Seresti. 71) C. 6, 8. Tyrrhenamque. C. 1. *et gentis.* Franc. *g. equitare q.* Aeneas, Evandri consilio, Tarchontem et Tyrrhenos, a Mezentio rege dissidentes, adierat, opem ab iis petiturus. 72) C. 1, 6, 8, 7. *nostra* Fraus est malum s. damnum, dolus, periculum, et blanditia. 73) C. 7. *hic ubi.* Med. *hinc.* Parrh. *haec.* 74) Goth. II. *Rutulos T.* 76) Gud. *Venelia.* Pilumnus et Picumnus, fratres antiqui Rutulorum reges, Jovem patrem habuisse dicuntur, prior inter Turni maiores habitus est. Venilia erat soror Amatae, Latini uxoris, ex deabus marinis; de aestu maris.

Quid, face Trojanos atra vim ferre Latinis?
Arva aliena jugo premere, atque avertere praedas?
Quid, soceros legere, et gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, praefigere puppibus arma?
Tu potes Aenean manibus subducere Grajûm,
Proque viro nebulam et ventos obtendere inanes;
Et potes in totidem classem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra juvisse, nefandum est?
Aeneas ignarus abest: ignarus et absit.
Est Paphus, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera:
Quid gravidam bellis urbem et corda aspera tentas?
Nosne tibi fluxas Phrygiae res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis
Objecit? quae caussa fuit, consurgere in arma
Europamque Asiamque, et foedera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovive Cupidine bella?
Tum decuit metuisse tuis; nunc sera querelis
Haud justis assurgis, et irrita jurgia jactas.
    Talibus orabat Juno, cunctique fremebant
Coelicolae assensu vario. Ceu flamina prima,
Quum deprensa fremunt silvis, et caeca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum Pater omnipotens, rerum cui summa potestas,

---

77) Dorv. *inferre.* *Face atra* significat primos belli motus a Trojanis excitatos. 78) C. 7, 8. *evertere.* Hic vers. in C. 1, 6, 8. sequenti postponitur. 79) C. 8. *socios.* Leid. *adducere.* Soceros eligere, et gremiis eorum abducere pactas aliis, sc. Laviniam. 80) Rom. *et praef.* Pacem orare manu, est supplicum ritu ramos olivae, taeniis laneis implicatos, manu praetendere. 81) Aeneam Venus e Diomedis manibus eripuit, nebula pepli instar obducta. 82) C. 7. *praetendere.* Ven. *vetitos obt. manes.* Parrh. *ostendere.* 83) C. 8. *classes.* C. 6. *potest.* 84) C. 6. *aliquod.* 86) C. 1, 8. *Cythara.* C. 6, 7. *Paphos.* Men. I. *sint.* 87) Multa bella gerentem urbem Laurentum, cuius imperium affectare Aeneas videbatur, per Laviniae conjugium. 88) Mor. II. *Troiae res.* Bigot. *mittere.* Leid. *fundere vento*; sed funditus evertere. 89) Dorv. *quis*; Venus fuit auctor belli Trojani; ad Parin alluditur. 90) Oud. *concurrere.* Europam, ubi Graecia; Asiam, ubi Troas, Spartam, qua urbem Peloponnesi. 91) Furto, s. raptu. 92) Paris, e regia Dardani familia. 93) C. 1, 8. *fovique cupidine*, amore mutuo Helenae et Paridis. Cupido, alias Veneris filius. 94) C. 1, 7. *Tunc.* 97) C. 8. *vario assensu.* 98) C. 8. *depressa premunt.* Deprensa, inclusa, intercepta. 99) Med. *ventis.* Fulgura praedicunt ventos. 100) C. 7. *Tunc.*

Infit. Eo dicente deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus; silet arduus aether;
Tum Zephyri posuere; premit placida aequora pontus.
Accipite ergo, animis atque haec mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios conjungi foedere Teucris
Haud licitum, nec vestra capit discordia finem:
Quae cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem,
Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo;
Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur,
Sive errore malo Trojae monitisque sinistris.
Nec Rutulos solvo. Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. Rex Jupiter omnibus idem.
Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atraque voragine ripas
Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi. Solio tum Jupiter aureo
Surgit, coelicolae medium quem ad limina ducunt.

Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere caede viros, et moenia cingere flammis.
At legio Aeneadum vallis obsessa tenetur,
Nec spes ulla fugae. Miseri stant turribus altis
Nequidquam, et rara muros cinxere corona:
Asius Imbrasîdes, Hicetaoniusque Thymoetes,
Assaracique duo, et senior cum Castore Thymbris,

---

102) Goth. III. *salo*; sed solo, s. profunditate, qua solida terra est. 103) C. 7. *Tunc*. Ven. *pos. minas*, *premit aeq. p.* 104) Hamb. I. *f. verba*. 105) Hug. *Quando equidem*. Gud *Ausoniis c. f. Teucros*. 106) C. 6, 8. *licitum est*. C. 8. *fines*. 107) C. 6 *cui*. Pier. aliq. *Quaecunque*. Dorv. *tenet spem*, s. fortunam, quam alteruter aut habet, aut sibi ipse evertit. 108) C. 1. *fiat*. Rom. *Rutulusne*. Parrh. *luat*. Mont. *ruat*. Med. *fiat*. Plur. *habeto*. Fuat pro fuerit, est defectivum futuri temporis. N. dis. h., ego neutris studebo. 109) C. 1. *facis*. 110) C. 6. *Seu*. Hug. *Troes*. Bigot. *moritisve sin*. impulsi sunt, ut urbe se clauderent. 111) C. 6. *exora laborum*. Med. *quisque*. 112) Bigot. *ferant*. 113) Plur. *inveniant*. Styga est Plutonis inferorumque flumen, per quod Dii jurabant. 114) C. 1. *torrentis*. Alta aqua nigra defluens flumen. 116) C. 8. *Hic*. C. 7. *tunc*. 117) Ad limina, ex patenti aula, ubi habitum concilium fuerat; ad ipsius interioris domus januam. 119) M. c. fl., immittere *undique* ignes. 121) C. 7. *N. s. v. f. miseris*. 123) C. 1. *Caoniusque*. C. 8. *Ethaoniusque timetis*.

Prima acies. Hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus et Themon, Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnessius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
Hi jaculis, illi certant defendere saxis,
Molirique ignem, nervoque aptare sagittas.
Ipse inter medios, Veneris justissima cura,
Dardanius caput, ecce, puer detectus honestum,
Qualis gemma, micat, fulvum quae dividit aurum,
Aut collo decus, aut capiti; vel quale per artem
Inclusum buxo, aut Oricia terebintho,
Lucet ebur; fusos cervix cui lactea crines
Accipit et molli subnectens circulus auro.
Te quoque magnanime viderunt Ismare gentes
Vulnera dirigere et calamos armare veneno,
Maeonia generose domo: ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolosque irrigat auro.
Adfuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere moerorum sublimem gloria tollit;
Et Capys: hinc nomen Campanae ducitur urbi.
Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant: media Aeneas freta nocte secabat.

---

125) C. 7. *Sarpedinis.* Fratres Sarpedonis, qui Lyciae rex occisus est a Patroclo in obsidione Trojae, germani dicuntur, quia ex eodem germine et stirpe sunt, aut ex eadem genitrice manant. 126) C. 8. *Temon.* Cerda: *Et Cl., et Haemon*, nomina virorum e Lycia. 127) Hamb. I. *c. pectore.* 128) C. 8. *agmen.* Lyrnessius, ex urbe Phrygiae Lyrnesso, non longe a Thebe. 129) Al. *Mnestheo.* 133) Hamb. II. *ipse puer*; non tantum Trojanus, sed ex regia Dardani familia etiam oriundus. 134) Caput fortasse ad Julium Caesarem refertur. 136) C. 8. *Corithia*; al. *Orithia*, *Coricia.* Oricum est oppidum Macedoniae, in Epiri confinio, ad mare Ionium. Terebinthus est arbor resinae speciem fundens, ligno ebeni instar eximii ac nigri splendoris, brevis nascitur in Maced. 137) C. 1. *crinis.* 138) Al. *Excipit.* Bigot. *subnexus*; vulgo *subnectit.* 139) Itali magnanimi. 141) C. 8. *generosa* Med. *M. g. modo.* Lub. *cui p. c.* Natus nobili genere in Lydia, quae est Asiae min. mediterranea regio. 142) C 1, 8. *viro.* C. 6, 8 *Pactolusque.* C. 7. *Pactulusque.* 143) Bigot. *Adfluit.* 144) C. 1, 6, 8, 7. *murorum.* 145) Ald I. *Campaniae* Burm. aliq. *dicitur.* Capua fuit Campaniae caput. Duri, s. durantis. 146) Hug. *divi.* 147) Med, nocte, quae diem pugnae memoratae insecuta est.

Namque ut, ab Evandro castris ingressus Etruscis,
Regem adit, et regi memorat nomenque genusque;
Quidve petat, quidve ipse ferat; Mezentius arma
Quae sibi conciliet, violentaque pectora Turni,
Edocet; humanis quae sit fiducia rebus
Admonet, immiscetque preces: haud fit mora; Tarcho
Jungit opes, foedusque ferit; tum libera fati
Classem conscendit jussis gens Lydia divûm,
Externo commissa duci. Aeneïa puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones:
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Aeneas, secumque volutat
Eventus belli varios; Pallasque sinistro
Affixus lateri jam quaerit sidera, opacae
Noctis iter, jam quae passus terraque marique.
  Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete;
Quae manus interea Tuscis comitetur ab oris
Aenean, armetque rates, pelagoque vehatur.
  Massicus aerata princeps secat aequora tigri:
Sub quo mille manus juvenum, qui moenia Clusî,
Quique urbem liquere Cosas: quîs tela, sagittae
Corytique leves humeris et letifer arcus.
Una torvus Abas: huic totum insignibus armis
Agmen, et aurato fulgebat Apolline puppis.

---

151) Zul. *praemia* vel *praelia*. 153) C. 1. *ammiscetq*. 154) C. 7, 8. *fatis*, quia his prohibebatur, ne, post expulsum Mezentium, alium sibi regem, nisi externae stirpis assumeret. 155) Etrusci s. Tyrrheni e Lydia oriundi. 157) C. 7. *subducta*; al. *submissa* pro *additos* leones, qui sacri sunt Cybele; Phrygios, quia Cybeles cultus in Phrygia praecipue vigebat. *Idam* habuit in insignibus, quia in illo Phrygiae monte classem ad fugam aedificaverat. 159) Goth. III. *voluptas*. 160) Pallas, Evandri filius. 161) C. 8. deest hic versus. Zul. *sidus*. Sidera, quibus navis cursus per noctem regitur. 162) Med. *N. idem*. 163) C. 6. *monete*. Deae, s. musae. Helicon est mons Boeotiae, Parnasso vicinus, Musis sacer. 164) Leid. *Etruscis*. Hug. *comitatur*. Hamb. 1. *comitentur*. 165) Oud. *pelagove*. 166) Massicus, sc. Rex Cosae — Osinius Clusii. Aerata tigri, pro navi cum figura tigridis in prora. Naves aeratae sunt rostratae. 167) Leid. *Clusii*, nunc Chiusi, urbs Etruriae mediterranea; Cosa est urbs maritima ad promontorium Argentarium. 169) C. 7. *Sorithique*. C. 7. *lenes*. Coryti, vox graeca, theca sagittarum. 170) C. 8. *Turnus*. C. 7. *tronus*. Rom. *torvos*. 171) Apollo hujus navis tutela.

Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juvenes; ast Ilva trecentos
Insula, inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius, ille hominum divûmque interpres Asylas,
Cui pecudum fibrae, coeli cui sidera parent,
Et linguae volucrum, et praesagi fulminis ignes,
Mille rapit densos acie atque horrentibus hastis.
Hos parere jubent Alpheae ab origine Pisae:
Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens et versicoloribus armis.
Tercentum adjiciunt, mens omnibus una sequendi,
Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis,
Et Pyrgi veteres, intempestaeque Graviscae.
    Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyra, et paucis comitate Cupavo,
Cujus olorinae surgunt de vertice pennae,
[Crimen amor vestrum, formaeque insigne paternae.]
Namque ferunt luctu Cycnum Phaëthontis amati,
Populeas inter frondes umbramque sororum

---

172) Multi *sescentos.* Patria Pop. ad urbem Piombino. 173) Goth. II. *ast illa.* Ilva s. Elba fecunda ferro, cujus cudendi ars praecipua fuit apud Chalybes, populos vel Ponti vel Hispaniae, a quibus ferrum optime temperatum dicitur *chatybs.* 174) Parrh. *inexustis.* Goth. II. *mox haustis.* Vel in metallis exhaustis, vel quia nequit exhauriri. 175) Reg. *Asillas.* 176) C. 8. *cui caeli.* 178) C. 8. *armis.* Hamb. I. *umbris.* Rapit, ducit. 179) C. 7, 1, *Alphea.* Pisa est urbs ad Alpheum fluvium in Peloponneso, sicut in confinio Etruriae, prope Ligures. 180) C. 7, 8. *Austur.* Med. *Astyr.* Zul. *hasta* 181) C. 8, 7. *Austur.* Bigot. *versisque coloribus.* Picta arma intelliguntur, quae in pretio apud veteres. 183) C. 8. *armis.* C. 7. *Quae.* Caerete domo, ex urbe Caeretana, cui prius Mezentius imperabat. Minio, hodie Mugnone, fluviolus, qui ab ea urbe distat leucis aliquot ad occidentem. 184) Rom. *Gabiscae.* Sprot. *Grabiscae.* Goth III. *Agruscae.* Gravisca, urbs maritima, nomen habet a gravitate aeris, vicinarum paludum odore corrupti; ideo intempesta. Pyrgi inhabitant oppidum maritimum, Caeretanae urbi vicinum. 185) Liguria alia est littorea, alia mediterranea. 186) C. 1, 6, 8. *Cinere*; al. *Cycne.* C. 7. *comitante.* Cycnus, Ligurum rex, pater Cupavonis, qui cristam habet ex pennis olorinis. 187) C. 6. *pinnae.* 188) Crimen familiae illius vestrae fuit amor in Phaetonta, dolorque nimius de ejus interitu: quo offensi Dii tam multos ex eadem familia in alienas formas immutarunt. 189) C. 1. *Phethontis.* Rott. II. *amici.* 190) C. 8. *suorum.* Parrh. *umbrasque.* Populeas, Phaetontis sorores.

Dum canit, et moestum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam;
Linquentem terras, et sidera voce sequentem.
Filius, aequales comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet: ille
Instat aquae, saxumque undis immane minatur
Arduus, et longa sulcat maria alta carina.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicae Mantus et Tusci filius amnis,
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen,
Mantua, dives avis: sed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni;
Ipsa caput populis; Tusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infesta ducebat in aequora pinu.
It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctus
Verberat assurgens: spumant vada marmore verso.
Hunc vehit immanis Triton et caerula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem praefert, in pristin desinit alvus;
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Trojae, et campos salis aere secabant.

---

192) C. 8. *plumam.* 194) C. 1. *aequalis.* 195) Hamb. I. *submovet.* Navim, cui insculptus Centaurus saxum intentans. 196) C. 7. *aqua.* 198) Ocnus non est conditor, sed munitor urbis Mantuae, cui muros et nomen matris suae dedisse fingitur. 199) C. 1. 7. *Mantoys* (*ûs*), Manto, genitivo graeco Mantus, Tiresiae vatis filia. Tyberis, qui Tusciam a vicinis regionibus disterminat. 200) Quasi Mantua fuerit Ocno antiquior, et tantum ab illo muris circumdata. 201) Mantua sita in medio stagno, quod Mincius amnis efficit. 202) Mor. qu. *cum gente*, quae, tanquam latius sub se continet populos. 203) Mont. *Ipse.* Plur. *populi.* Vires, copiae. 204) Mont. *Hic* pro *Hinc*, de copiis adversus Mezentium ductis. 205) C. 7. *venatus.* Rom. *Venaco.* Benacus est lacus in agro Veronensi. 206) Goth. *aequore.* 207) C. 1, 6, 8. *fluctum.* Leid. *fluctu.* Parrh. *fructum.* Gravis, s. militaris. 208) Goth. III. *insurgens*, quo exprimitur habitus remigum. 209) Triton, Neptuni tubicen, concha utens pro tuba, superiore parte vir, inferiore piscis. 210) Hamb. II. *exercens.* Pristin, piscem immanem, e balaenarum genere. 211) C. 1, 6. *pristim.* C. 8. *pistrum.* Hamb. I. *profert.* Rom. *alvos.* 212) Mont. *fumifero.* 214) C. 8. *campis* Bigot. *c. maris.* Pier. aliq. *ruebant.* Sal pro mari. Trojae, sc. novae.

Jamque dies coelo concesserat, almaque curru
Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum:
Aeneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat.
Atque illi medio in spatio chorus, ecce, suarum
Occurrit comitum: Nymphae, quas alma Cybebe
Numen habere maris, Nymphasque e navibus esse
Jusserat, innabant pariter, fluctusque secabant,
Quot prius aeratae steterant ad litora prorae.
Agnoscunt longe regem, lustrantque choreis.
Quarum, quae fandi doctissima, Cymodocea
Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso
Eminet, ac laeva tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum alloquitur: Vigilasne, deûm gens,
Aenea? vigila, et velis immitte rudentes.
Nos sumus Idaeae sacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphae, classis tua. Perfidus ut nos
Praecipites ferro Rutulus flammaqne premebat,
Rupimus invitae tua vincula, teque per aequor
Quaerimus. Hanc genetrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse deas, aevumque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro fossisque tenetur
Tela inter media atque horrentes Marte Latinos.
Jam loca jussa tenent forti permixtus Etrusco
Arcas eques. Medias illis opponere turmas,
Ne castris jungant, certa est sententia Turno.
Surge age, et Aurora socios veniente vocari

---

215) Vrat. *detexerat.* Dorv. *cursu.* 216) Luna, Phoebi soror — Olympus, mons Thessaliae pro coelo sumitur. 218) Aeneas ministrat, sc. funes, qui extremis angulis majoris veli alligati erant, aut contrahendo aut remittendo, quod munus gubernatoris erat. 219) Plur. *in medio.* 220) C. 1. *Cybele.* 223) Med. *Quo p.* 224) Choreis circumeunt. 225) C. 1. *quarum una quae.* Cymodoce futurorum praescia. 227) C. 8. *at.* Mont. *levi.* 228) C. 6. *Vigilasque.* Goth. III. *vigilansne.* Rom. *ignavum.* 229) Ut vela laxentur ad ventum excipiendum. 230) Ida, Phrygiae mons, erat locus natalis arboris pinus, materiae navium. 232) C. 6. *Rutulis.* Hamb. II. *petebat.* 233) Al. *Rumpimus.* Virg. alludit ad morem nautarum, qui in summa festinantia non solvebant funes nauticos. 234) Faciem mutavit. 235) C. 6. *sese deas.* 237) C. 8. *horrentis.* 238) C. 6, 7. *tenet.* 240) C. 7. *Nec.* Hug, *justa est sent.* Jungant, sc. se. 241) C. 7. *aje.*

Primus in arma jube, et clipeum cape: quem dedit ipse
Invictum Ignipotens, atque oras ambiit auro.
Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris,
Ingentes Rutulae spectabit caedis acervos.
Dixerat; et dextra discedens impulit altam,
Haud ignara modi, puppim. Fugit illa per undas
Ocior et jaculo et ventos aequante sagitta.
Inde aliae celerant cursus. Stupet inscius ipse
Tros Anchisiades; animos tamen omine tollit.
Tum breviter supera adspectans convexa precatur:
Alma parens Idaea deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeraeque urbes, bijugique ad frena leones;
Tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede, diva, secundo.
Tantum effatus; et interea revoluta ruebat
Matura jam luce dies, noctemque fugarat.
  Principio sociis edicit, signa sequantur,
Atque animos aptent armis, pugnaeque parent se.
Jamque in conspectu Teucros habet et sua castra,
Stans celsa in puppi: clipeum quum deinde sinistra
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidae e muris; spes addita suscitat iras;
Tela manu jaciunt. Quales sub nubibus atris
Strymoniae dant signa grues, atque aethera tranant
Cum sonitu, fugiuntque Notos clamore secundo.
At Rutulo regi ducibusque ea mira videri

---

242) C. 1. *dedit ingens.* Pier. aliq. *Pronus.* 243) Vulcanus, Veneris suasu, clypeum Aeneae fabricaverat, cujus extrema aurea erant. 243) Hamb. I. *verba p.* 245) Multi *spectabis.* Hug. *spectabat.* 246) C. 8. *discendens.* 249) Inde etc., cum Aeneae navem evolare vident. 252) Idaea, Cybele, mater Deorum pro terra sumebatur, quae sustentat urbes; ideo turrita cum corona pingebatur. 254) C. 8. *propinqua, propinquas*, pro faveas hoc augurio. Princeps, s. opitulans. 255) Hamb. II. *superbo*; sed potius felix et fausta sis. 256) Burm. duo *affatus.* Goth. III. *est fatus.* Al. *at.* 258) C. 8. *edicit sociis, ut.* 259) C. 8. *animas.* Pugnam expectent, eique se accingant. 260) C. 8. deest hic vers. 261) C. 1. *tum.* 262) Ad excitandos suos, ad terrendos hostes clamant. 263) C. 7. *Darnidae.* 264) C. 8. *qualis.* 265) Al. *transnant.* Grues, frequentes circa Strymonem, Macedoniae fluvium, in confinio Thraciae, edunt clamorem. 266) C. 7, 6. *nothos*, pro quibuscunque ventis hibernis.

Ausoniis; donec versas ad litora puppes
Respiciunt, totumque allabi classibus aequor.
Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignes:
Non secus, ac liquida si quando nocte cometae
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor,
Ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris,
Nascitur, et laevo contristat lumine coelum.

Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Litora praecipere, et venientes pellere terra.
[Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:]
Quod votis optastis, adest, perfringere dextra.
In manibus Mars ipse, viri. Nunc conjugis esto
Quisque suae tectique memor; nunc magna referto
Facta patrum, laudes. Ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima.
Audentes Fortuna juvat.
Haec ait, et secum versat, quos ducere contra,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.

Interea Aeneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit. Multi servare recursus
Languentis pelagi, et brevibus se credere saltu;
Per remos alii. Speculatus litora Tarcho,

---

268) C. 1. *puppis*. Indicatur, Rutulos fuisse prius bello intentissimos, neque unquam respectasse, nisi ex occasione sublati clamoris. 269) Commutatio, pro: allabi classes toto aequore. 270) C. 1, 7, 8. *ac vertice*. C. 7. *Capitis*. Apex, s. conus, cui crista inserta, designat totam omnino galeam aere coruscantem. Ardor innuit aurum. 271) Mont. *movet a* 273) C. 1. *arbor*. C, 7. *Sanguine* Sirius, stella in ore majoris canis, maximos aestus creans, hic adjective sumitur 274) Ille ortu suo fert nimium aestum et febres. 275) Noxio lumine fulget. 276) C. 1. *Haud tunc*. 277) Littora occupare. 278) C. 8. *quae*. C. 6. In C. 7. hic vers. *Ultro* etc. priori *Litora* antepositus est. 279) Parrhas. *Quos v.* Burm. aliq. *optatis*. Dorv. *perfingere*. Parrh. *perfringite*, pro perrumpere aciem. 280) C. 1, 8. *viris*. In potestate Mars; opportunitas pugnandi est. 281) C. 8. *referte*. 282) C. 1. *et laudes*. Ultro, quasi ipse velit periculum subire. 283) C. 1, 8 *egressique*. Al. *primi*, *primo*. 284) C. 8. *audaces*. 285) Goth III. *quos d. mavult*. 286) Hug. *posset*. Hamb. I. *committere*. Sprot. *conducere*. 288) Navales pontes hic sunt cataracti. 289) Recursus pelagi languentis est locus, qui fere in sinuosis littorum plagis esse solet. 290) C. 1, 6, 7, 8. *Tarchon*.

Qua vada non spirant, nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti allabitur aestu;
Advertit subito proras, sociosque precatur:
Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis;
Tollite, ferte rates; inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione recuso;
Arrepta tellure semel. Quae talia postquam
Effatus Tarcho, socii consurgere tonsis
Spumantesque rates arvis inferre Latinis,
Donec rostra tenent siccum et sedere carinae
Omnes innocuae. Sed non puppis tua, Tarcho.
Namque, inflicta vadis, dorso dum pendet iniquo,
Anceps sustentata diu, fluctusque fatigat:
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis;
Fragmina remorum quos et fluitantia transtra
Impediunt, retrahitque pedem simul unda relabens.

Nec Turnum segnis retinet mora; sed rapit acer
Totam aciem in Teucros, et contra in litore sistit.
Signa canunt. Primus turmas invasit agrestes
Aeneas, omen pugnae, stravitque Latinos.
Occiso Therone, virûm qui maximus ultro
Aenean petit. Huic gladio perque aerea suta,
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lichan ferit, exsectum jam matre peremta,

---

291) C. 1. 7. *sperat*; al. *spirat, svirant.* 292) C. 6. *crescente* — aestu, pro fluxu. 293) Med. *proram.* 294) Burm. tres *Nunc electa.* 295) C. 7. *inimica fondite.* Ven. *fundite.* Zul. *scindite.* Attollite remos, impellite navem. 296) C. 1. *carinas.* Hamb. I. *premet.* 297) C. 8. *puppes.* 299) C. 1, 8. *Tarchon.* C. 7. *Affatus.* Tonsa, remus. 300) C. 7. *Inferte.* Plur. *armis.* Ven. *referre.* 302) Innocuae, illaesae. 303) C. 7. *pendit.* Vadis, locis, ubi aqua parum alta est. Dorso exitioso. 304) C. 1. *fatigant.* 306) Plur. *quos effluitantia.* 307) C. 1, 6, 7, 8. *pedes.* Fluctus litus alluens et ex allisu remeans facit, ut pedem in lubrico figere nequeant. 309) Burm. binis *in* deest. 310) Heins. quatuor *invadit.* Signa, tubae, cornua, buccinae. 311) Omen pugnae, ad seqq. pertinet: stravit Lat. vel initium pugnae, vel faustum auspicium victoriae. 312) C. 6. *Thorone.* 313) C. 7, 8. *scuta.* Thoracem sutilem ex aereis lamellis. 314) Rott. II. *suadentem.* Hamb. II. *hausit.* Tunicam auro asperam — latus transfodit hausto sanguine. 315) C. 1, 7. *Lican.* C. 8. *exactum.*

Et tibi, Phoebe, sacrum, casus evadere ferri
Quod licuit parvo. Nec longe, Cissea durum,
Immanemque Gyan, sternentes agmina clava,
Dejecit leto: nihil illos Herculis arma,
Nec validae juvere manus, genitorque Melampus,
Alcidae comes, usque graves quum terra labores
Praebuit. Ecce Pharo, voces dum jactat inertes,
Intorquens jaculum clamanti sistit in ore.
Tu quoque, flaventem prima lanugine malas
Dum sequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon,
Dardania stratus dextra, securus amorum,
Qui juvenum tibi semper erant, miserande, jaceres:
Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies; septem numero, septenaque tela
Conjiciunt. Partim galea clipeoque resultant
Irrita; deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. Fidum Aeneas affatur Achaten:
Suggere tela mihi; non ullum dextera frustra
Torserit in Rutulos, steterunt quae in corpore Grajûm
Iliacis campis. Tum magnam corripit hastam,
Et jacit: illa volans clipei transverberat aera
Maeonis, et thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextra: trajecto missa lacerto

---

316) Sacrum deo medico, cujus ope ex matris utero esset servatus. 317) C. 8. *Quam*, *Cui*. 318) Bigot. *Finalemque*. 319) C. 1. *lecto*. Herc. arma, clava e duro arboris trunco. 320) Al. *Non* vel *Nil v*. — Melampus forte fuit medicus celebris. 321) C. 6, 1, 7. *gravis*. C. 1, 8. *dum*, pro tamdiu, quam. 322) C. 1, 8. *Pharon*. C. 8. *inanes*. 323) C. 1, 6. *clamantis*. 324) C. 7. *lanigine*. 325) C. 6. *Lycium*. C. 7. *Dicium*, quem primum tunc amare coeperat. 326) Nihil tum sollicitus de rebus amatoriis. Dardania, s. Trojana Aeneae manu. 327) Parrh. *juvenes*. 329) Med. *numeros*. Auxilium signatur septem manibus in altum sublatis cum telis septem. 330) Hamb. II. *Continuit*. 331) Med. *stridentia*. Voce *stringentia* indicatur leve vulnus. 333) C. 8. *Surgere*. C. 1. *nunc nullum*. 334) C. 1, 8. *steteruntq*. C. 7, 6. *steterantq*. Med. *steterint*. — *quae* abest a Franc. 336) C. 1. *ara*. Multi *oras*. 337) C. 1. *rupit*. 338) C. 1. *Actanor*. 339) Franc. *Sustentant*. Med. *lacertos*. Lacertus est pars brachii a cubito ad manum.

Protenus hasta fugit, servatque cruenta tenorem;
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor, jaculo fratris de corpore rapto,
Aenean petiit: sed non et figere contra
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatae.
Hic Curibus, fidens primaevo corpore, Clausus
Advenit, et rigida Dryopem ferit eminus hasta
Sub mentum, graviter pressa, pariterque loquentis
Vocem animamque rapit, trajecto gutture; at ille
Fronte ferit terram, et crassum vomit ore cruorem.
Tres quoque Threïcios Boreae de gente suprema,
Et tres, quos Idas pater et patria Jsmara mittit,
Per varios sternit casus. Accurrit Halesus,
Auruncaeque manus; subit et Neptunia proles,
Insignis Messapus equis. Expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi; certatur limine in ipso
Ausoniae. Magno discordes aethere venti
Proelia ceu tollunt, animis et viribus aequis:
Non ipsi inter se, non nubila, non mare, cedunt;
Anceps pugna diu; stant obnixi; omnia contra:
Haud aliter Trojanae acies aciesque Latinae

---

340) Plur. *h. subit.* Aliqui de altera hasta intelligunt, quae post trajectum Maeonem ab Aenea missa fuerit; alii de ea, quae primo Maeonis pectus, deinde eodem impetu subeuntis Alcanoris pervaserît lacertum, unde dextra ejus manus languida pependerit. 341) Rott. II. *Dextraque per humeros.* Hug. *pudibunda*; sed languida potius. Nervis, per tendines, ligamenta et musculos. 342) C. 7. *Tunc* 343) C. 8. *affigere.* C. 1. *effigere* C. 7. *efingere.* 344) Burm. duo *perstringit.* 345) C. 1, 8. *Lausus.* C. 7. *fidens.* Curibus, ex urbe Sabinorum, quorum dux Clausus. 346) C. 6. *Advolat.* 349) Al. *Fronte premit.* 350) C. 1, 8. *Tris.* Boreae gens suprema potest esse extrema terra borealis, ut venerint illi ex Thraciae partibus versus septentrionem ultimis. Potest tamen Boreas etiam esse auctor stirpis, a qua ducti illi tres dici potuere; sc. de gente antiquissima. Boreas septentrionalis ventus, fingitur Strymonis esse filius, fluvii Macedoniae, qui Thraciae etiam tribuitur. 351) C. 7. *Ida.* Ismarus dicitur mons et urbs, non ab ostiis Hebri. 352) C. 1. *decurrit.* C. 6, 7. *occurrit.* 353) H. Auruncorum Italorum dux, mox a Pallante occidendus. 354) Parrh. *Insanis Messapus,* qui est nobilis equis, ob Neptunum equi auctorem. 355) C. 7. *hinc, nunc illinc.* Zul. *limite.* Gud. *limina in ipsa.* 358) C. 6, 1, 8, 7. *cedit.* 359) C. 1, 8. *obnixa.* Rott. II. *obnoxia.* 360) Rott. II. *Teucrorum acies.* Dorv. *haerent.*

Concurrunt; haeret pede pes, densusque viro vir.
At parte ex alia, qua saxa rotantia late
Impulerat torrens, arbustaque diruta ripis,
Arcadas, insuetos acies inferre pedestres,
Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci;
Aspera quîs natura loci dimittere quando
Suasit equos: unum quod rebus restat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris:
Quo fugitis, socii? per vos et fortia facta,
Per ducis Evandri nomen, devictaque bella,
Spemque meam, patriae quae nunc subit aemula laudi,
Fidite ne pedibus. Ferro rumpenda per hostes
Est via. Qua globus ille virûm densissimus urguet:
Hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt; mortali urguemur ab hoste
Mortales; totidem nobis animaeque manusque.
Ecce, maris magna claudit nos objice pontus;
Deest jam terra fugae. Pelagus Trojamne petemus?
Haec ait, et medius densos prorumpit in hostes.
Obvius huic primum, fatis adductus iniquis,
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dabat; hastamque receptat
Ossibus haerentem. Quem non super occupat Hisbo

---

361) Pede, pedi ait Servius. 362) Saxa rotantia s. volventia. Passive pro *rotata*. 363) C. 1, 7, 8. *Intulerat*. C. 7. *diruptis*. Arbusta non arbusculae sunt, sed loca ipsa arboribus consita, trunci arborum, quae vi aquarum erutae sunt. 364) C. 6. *pedestris*. 365) Vrat. *sequenti*. Latio, s. Latinis et Rutulis. 366) Gud. *quos*. 367) Rebus consilii egentibus. 368) Parrh. v. *extendit*. 371) Cum pater meus victor ex omnibus bellis remeaverit, ego, ejus laudis aemulus, sperabam me quoque victorem rediturum. 373) C. 1, 8. *urget*. Parrh. *reposcat*. 374) Hac — poscit, vel ut eo invadatis hostem; vel ut inde victores fugato hoste redeatis; vel ut e fuga conversi eo subeatis. 376) Burm. duo *in nobis*. 377) C. 7. *magni*. Servius *magno — obice*. 378) C. 6. *petamus*. Al. *Pelagos terramne*; sed Trojam novam, seu castra Trojanorum. 379) C. 1. *mediis*. C. 7. *prorupit*. Exemplo incitandus est miles. 380) C. 8. *advectus*. 381) C. 1. *vellit dum magno*. C. 6. *vellit magno dum*. Al. *cum*. 382) C. 7. *fixit*. 383) C. 8. *recepit*. C. 6, 7. *dedit*. 384) C. 8, 6. *Isbon*. C. 7. *Hisbon*. Dorv. *Quem desuper*. Pallanti inclinanti se ad recipiendam hastam vulnus desuper, vel super hoc, inferre volebat Hisbo; sed id antevertit Pallas.

Ille quidem hoc sperans: nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis,
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Sthenelum petit, et Rhoeti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercae.
Vos etiam gemini, Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia, Laride Thymberque, simillima proles,
Indiscreta suis gratusque parentibus error;
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nam tibi, Thymbre, caput Evandrius abstulit ensis;
Te decisa suum, Laride, dextera quaerit;
Semanimesque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas accensos monitu, et praeclara tuentes
Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostes.
Tum Pallas bijugis fugientem Rhoetea praeter
Trajicit. Hoc spatium, tantumque morae fuit Ilo.
Ilo namque procul validam direxerat hastam:
Quam medius Rhoeteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremque Tyren; curruque volutus
Caedit semanimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut, optato ventis aestate coortis,
Dispersa immittit silvis incendia pastor;
Correptis subito mediis, extenditur una
Horrida per latos acies Vulcania campos;

---

386) Goth. III. *Marte.* 387) Et ex natura sua, et ob iram ex morte socii conceptam. 388) Ed. Ald. *Hinc Helenum.* 389) C. 8. *Anchelonum*; al. *Anthemolum* etc. Mor. II. *temerare.* Narrat Servius ex Abieno, Rhoetum fuisse Marrubiorum in Italia regem, qui cum Anchemolo filio novercam superinduxisset Casperiam, stuprata illa fuit ab ipso Anchemolo, qui patris metu ad Turnum fugit. 390) C. 7. *agris.* 391) C. 8, 7. *Lauride.* C. 7. *Daicia*; al. *Dancia, Daunia.* 392) Ita similes inter se fratres, ut a parentibus discerni non possent. 393) C. 7. *dira.* Dorv. *Et nunc.* 394) C. 7. *Thymbre* (Pallas) *caput.* 395) C. 8. *Tum.* Burm. duo *descissa.* 396) Rom. *Semianimes.* F. retr., s. rejicit, convulsis sc. nervis, et aliquo motu subsultuque gladium adhuc attrectant,   us. 398) Rom. *d. et furor.* 399) C. 8. *rhetia propter.* Pallas Rhoeteum, praeterfugientem bigis, ne a Teuthrante et Tyre fratribus interimeretur, hasta trajicit. 400) C. 8 *mole.* C. 7. *fit illo.* 401) Rom. *derexerat.* 402) Dorv. *Teucra.* Goth. III. *Teucrum.* 403) Rom. *Tyrin.* 404) C. 7. *Semianimus.* Calx est extrema pars pedis, hinc calcare. Rut. arva pro solo Latino. 405) C. 7, 8. optata. 406) Parrh. *Dispersum* 408) Ac. Vulc., exercitus et vis Vulcani, sc. incendium, ex multis flammis, aciei instar, collectum.

Ille sedens victor flammas despectat ovantes:
Non aliter sociûm virtus coit omnis in unum,
Teque juvat, Palla. Sed bellis acer Halesus
Tendit in adversos, seque in sua colligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque:
Strymonio dextram fulgenti deripit ense
Elatam in jugulum; saxo ferit ora Thoantis,
Ossaque dispersit cerebro permixta cruento.
Fata canens silvis genitor celarat Halesum;
Ut senior leto canentia lumina solvit:
Injècere manum Parcae, telisque sacrarunt
Evandri. Quem sic Pallas petit ante precatus:
Da nunc, Thybri pater, ferro, quod missile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Halesi.
Haec arma exuviasque virì tua quercus habebit.
Audiit illa deus: dum texit Imaona Halesus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non caede viri tanta perterrita Lausus,
Pars ingens belli, sinit agmina: primus Abantem
Oppositum interimit, pugnae nodumque moramque.
Sternitur Arcadiae proles; sternuntur Etrusci;
Et vos, o Grajis imperdita corpora, Teucri.
Agmina concurrunt ducibusque et viribus aequis,
Extremi addensent acies; nec turba moveri

---

409) Leid. *dispectat* fl. quasi triumphantes. Victor, voti compos. 410) C. 7. *virtus Socium* — in unum sc. locum, unita fortior. 411) C. 7. *Pallas — Alesus*. 412) C. 8. *adversus*, seque post scutum clausit. 413) C. 1. *Fretaq. Dedomocumque*. Phereta, est accusativus, Pheres, Pheretis. 414) C. 6. *diripit*. 415) In jug. Halesi, quem Strymonius ense petebat. 416) Goth. I. *dispergit*. 417) C. 7. *Alesus*. Mor. II. *Facta*. Al. *cavens*. Halesi parens erat vates, qui filium, cujus fata praevidebat, eduxit, quoad viveret, in silvis. 418) Rom. *canenti*. Lumina senilia, a canitie, quae proprie est capillorum. 420) Hamb. II. *paratus* 421) Sprot. *ferri*. 422) Franc. *Fortuna atque via*. 423) Med. *habebat*. Aliqua ex iis, quae tuis in ripis nascuntur. 424) *Texit* Donatus explicat *protexit*, defendit, a tego. 425) C. 6. *inerme*. Rom. *telum*. Hamb. II. *juveni dat* 426) Al. *tanti*. Lausus, Mezentii filius. 427) Rom. *Abantum*. Leid. *Abanta*. 428) Plur. *interemit*. Nodum pugnae, a nodo arboris sub cuneo petitum, de eo accipe, qui longissime resistit. 429) Parrh. *Arcadia*. 430) Burm. aliq. *a Graiis*. 431) C. 6. *ducibus et*. 432) C. 1, 6, 8, 7. *addensant* extremi acies, dum urgent ipsi, instantque, ut in primos pugnantum ordines perveniant.

Tela manusque sinit. Hinc Pallas instat et urguet,
Hinc contra Lausus, nec multum discrepat aetas,
Egregii formae; sed quîs fortuna negarat
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi:
Mox illos sua fata manent majore sub hoste.
  Interea soror alma monet succurrere Lauso
Turnum, qui volucri curru medium secat agmen.
Ut vidit socios: Tempus desistere pugnae;
Solus ego in Pallanta feror; soli mihi Pallas
Debetur; cuperem ipse parens spectator adesset.
Haec ait; et socii cesserunt aequore jusso.
At, Rutulûm abscessu, juvenis tum, jussa superba
Miratus, stupet in Turno, corpusque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu;
Talibus et dictis it contra dicta tyranni:
Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis,
Aut leto insigni. Sorti pater aequus utrique est.
Tolle minas. Fatus medium procedit in aequor.
Frigidus Arcadibus coit in praecordia sanguis.
Desiluit Turnus bijugis; pedes apparat ire
Cominus. Utque leo, specula quum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem in proelia taurum,
Advolat; haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missae fore credidit hastae,
Ire prior Pallas, si qua fors adjuvet ausum

---

433) C. 7. *manus sinit.* 434) Franc. *His c.* 435) C. 1, 6, 8, 7. *forma.* 438) Hug. *illi.* 439) C. 1. *succedere.* C. 7. *movet,* Iuturna Nympha, Turni soror. 440) C. 7. *currum.* 441) C. 7. *pugna.* 443) Parrh. *pater sp.* 444) C. 8. *cessarunt.* Ed. Ald. *jussi.* Cesserunt campo, quo ipsi erant jussi cedere. 445) Dorv. *Et.* Goth. III. *At juvenis Rutulum accessu, dum.* Mor. qu. *tam jussa.* Hamb. I. *dicta sup.* 446) C. 7. 8. *Miratur.* 447) C. 7. *trucique obit.* *Omnia* dixit pro, totum Turnum. 449) Bigot. *laetabor.* Spolia op., quae dux duci detrahit; et mors insignis, qui infertur a viro forti. 450) Is est pater, qui victoriam et mortem gloriosam aequo animo fert. 451) Plur. *processit.* Aequor est aequa planities. 453) C. 7, 8. *Dissiluit.* 454) Goth. II. *Itque.* Specula ab alta, sc. montis vertice, quia Turnus erat sublimis in curru. 455) C. *med. pr taur.* sine *in*; sc. exercentem se ad proelia. 456) Zul. *Evolat.* 457) Goth. I. *Nunc tibi.* 458) C. 8. *sors.* Ausum, audentem.

Viribus imparibus; magnumque ita ad aethera fatur:
Per patris hospitium, et mensas, quas advena adisti,
Te precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis.
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta;
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides juvenem, magnumque sub imo
Corde premit gemitum lacrimasque effudit inanes.
Tum senitor natum dictis affatur amicis:
Stat sua cuique dies; breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitae: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Trojae sub moenibus altis
Tot gnati cecidere deum; quin occidit una
Sarpedon, mea progenies. Etiam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad aevi.
Sit ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginaque cava fulgentem deripit ensem.
Illa volans, humeris surgunt qua tegmina summa,
Incidit, atque, viam clipei molita per oras,
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro praefixum robur acuto
In Pallanta diu librans jacit, atque ita fatur:
Adspice, num mage sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat: at clipeum, tot ferri terga, tot aeris,

---

460) Hercules ex Hispania redux, ab Evandro exceptus hospitio erat, auctusque sacrificiis et ara maxima post occisum Cacum. 462) C. 7. *Cerna*; al. *cernant*. sc. morientia lumina. Goth. III. *cruento*. 464) Rom. *Audit*. 465) C. 6. *effundit*. C. 7 *fundit*. 466) Mont. *Cum G.* Jupiter Herculem filium, pro Pallante morituro deprecantem, cum fata mutare non posset, exemplis consolatur. 467) C. 1. *reparabile*. Oud. *irremeabile*. 468) Goth. III. *fatis*. 470) C. 8. *Hoc nati*. 471) C. 8. *Et jam*. Sarpedon, Jovis filius ex Laodamia, Lyciae rex, ad Trojam occisus a Patroclo. 472) C. 7. *metamq* Pier. aliq. *F. manent*. Metas, sc. finem, a metis in circo positis. 473) Ed. Ven. *torsit in urvis*. Hoc aspectu Jupiter favorem suum ad Rutulos transtulisse significatur. 474) Oud. *immittit*. 475) C. 1, 6, 8, 7. *diripit*. Fulgentem, nudum. 476) C. 1, 6, 8, 7. *humeri*. C. 1. *qua surgunt*. Summa pars loricae, quae humeros tegit, ubi levi vulnere perstrictus est Turnus. 477) Med. *clipei est*. 478) Sprot. *magni*. Bigot. *destrinxit*. Ven. *de pectore*. *Strinxit* indicat vulnus levissimum. 479) Robur, sc. validum quodcunque lignum. 480) C. 7. *facit*. 481) C. 1. *nunc*. C. 8. *vestrum* telum, quod habet vim penetrandi. 482) C. 7. *et*; al. *ac*. Ferri terga intellige de metallorum laminis. Aes est vox communis, ferrum species, sed ambo unum sunt.

Quum pellis totiens obeat circumdata tauri,
Vibranti medium cuspis transverberat ictu,
Loricaeque moras et pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum frustra de vulnere telum:
Una eademque via sanguis animusque sequuntur.
Corruit in vulnus; sonitum super arma dedere;
Et terram hostilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus super adsistens:
Arcades, haec, inquit, memores mea dicta referte
Evandro: Qualem meruit, Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est,
Largior. Haud illi stabunt Aeneïa parvo
Hospitia. Et laevo pressit pede, talia fatus,
Exanimem, rapiens immania pondera baltei,
Impressumque nefas: una sub nocte jugali
Caesa manus juvenum foede, thalamique cruenti;
Quae Clonus Eurytides multo caelaverat auro:
Quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus.
Nescia mens hominum fati sortisque futurae,
Et servare modum, rebus sublata secundis.
Turno tempus erit, magno quum optaverit emtum
Intactum Pallanta, et quum spolia ista diemque
Oderit. At socii multo gemitu lacrimisque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor atque decus magnum rediture parenti!
Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert!
Quum tamen ingentes Rutulorum linquis acervos!

---

483) C. 8. *habeat.* C. 7. *tellis.* Med. *Quem.* 484) C. 6, 7. *cuspis medium.* 486) Al. *de pectore* vel *de corpore.* 487) Animus pro anima. 488) Pier. unus *Concidit.* Dorv. *insuper.* 489) Petit ore, s. mordet terram vel ex vindictae rabie, vel ex lucta animae difficile e juvenili corpore erumpentis. Ore cruento, quia accepto letali quocunque vulnere, sanguis vulgo per os effluit. 492) Remitto, sc. ad sepulturam. 493) C. 1. *tumuli est.* Gud. *Si quid* vel *Si quis.* 494) C 7. *aut.* Sprot. *constant Ae.* 495) Lavo. 496) C. 1. *Exanimi*; al. *Exanimum.* 498) C. 8. *tarde.* 499) Al. *Quae bonus Eurytion,* peritus aliquis artifex non acu pinxerat. 500) C. 1. *potito.* 502) Al. *reb. elata.* 503) Cum sc. ab Aenea victus, et vita tantum non donatus, ad aspectum baltei recrudescente victoris ira, occidetur. 504) Plur. *sp. ipsa.* 505) Dorv. *Ac.* 506) Zul. *sequentes.* 507) C. 8. *parentis.* 508) C. 1. *Nec te.* Hamb. I. *atque eadem.* Rom. *aufer.* 509) C. 1, 8. *ingentis.* Leid. *Cui t.—linquit.*

Nec jam fama mali tanti, sed certior auctor
Advolat Aeneae, tenui discrimine leti
Esse suos; tempus, versis succurrere Teucris.
Proxima quaeque metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro; te, Turne, superbum
Caede nova quaerens. Pallas, Evander, in ipsis
Omnia sunt oculis; mensae, quas advena primas
Tunc adiit, dextraeque datae. Sulmone creatos
Quatuor hic juvenes, totidem, quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago procul infensam contenderat hastam.
Ille astu subit; ac tremebunda supervolat hasta;
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios Manes, per spes surgentis Iuli,
Te precor, hanc animam serves natoque patrique.
Est domus alta; jacent penitus defossa talenta
Caelati argenti; sunt auri pondera facti
Infectique mihi. Non hic victoria Teucrûm
Vertitur, aut anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat. Aeneas contra cui talia reddit:
Argenti atque auri memoras quae multa talenta,
Gnatis parce tuis. Belli commercia Turnus

---

510) Hamb. II. *sed c. alter.* Mos est militaris, ut in ipso adhuc belli fervore mittatur nuntius ad Principem exercitus, ut certior ille fiat de re adversa. 511) Bigot. *disc. vitae*; sed letum pro strage copiarum 512) Plur. *succedere.* 514) Vrat. *limen* 516) C. 1, 8. *primus.* Rom. *primum.* Mensae etc., cum ab Evandro hospitio exceptus est, et junctis dextris foedus initum. 517) C. 7. *Salmone.* 518) Ven. *hinc i.* Numerus par est sacer mortuis, et semper infelix. 519) Rott. II. *quas* Umbris, sc. Pallantis. Inferiae sunt munera, quae tumulis mortuorum inferuntur, sc. lac, mel, vinum, flores etc. 520) C. 8. *perfundit.* C. 7. *regi.* Med. *perfundant*, sc. captivorum sanguine. 521) C. 7, 8. *infestam contorserat.* 522) C. 7. *subiit* sine *ac.* Hamb. II. *hastam.* 523) C 7. *affatur.* 524) C. 7. *et spes haeredis.* Manes pro animis mortuorum. 525) C. 6, 1. *gnatoq.* Franc. *paterque.* 526) C. 8 *defessa.* C. 1. *decissa.* Rom. *jacens.* Domus erat Principum, in qua porticus, atria etc. 527) Goth. II. *caelata.* 528) Franc. *Inf. mali.* Aurum factum est in opus conflatum; infectum, quod adhuc in massam compactum. 529) C. 6, 7, 8. *haud.* Rott. II. *tantum.* 530) C. 7. *cui contra.* 531) C. 7. *Argentique auri.* Plur. *magna tal.* Contemnit sc. tot opes prae aviditate vindictae, et hauriendi sanguinis. 532) Men. II. *Gratis.* Belli commercia, sc. redemtionem captivorum.

Sustulit ista prior jam tum Pallante peremto.
Hoc patris Anchisae Manes, hoc sentit Iulus.
Sic fatus galeam laeva tenet, atque reflexa
Cervice orantis capulo tenus applicat ensem.
Nec procul Haemonides, Phoebi Triviaeque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
Totus collucens veste atque insignibus armis.
Quem congressus agit campo, lapsumque superstans
Immolat, ingentique umbra tegit; arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, tropaeum.
Instaurant acies Vulcani stirpe creatus
Caeculus et veniens Marsorum montibus Umbro.
Dardanides contra furit. Anxuris ense sinistram
Et totum clipei ferro dejecerat orbem;
Dixerat ille aliquid magnum, vimque adfore verbo
Crediderat, coeloque animum fortasse ferebat,
Canitiemque sibi et longos promiserat annos.
Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis,
Silvicolae Fauno Dryope quem nympha crearat,
Obvius ardenti sese obtulit. Ille reducta

---

533) Med. *illa p.* 534) C. 7. *haec—haec*, sc. est eorum sententia, ut omissis muneribus tuis Pallanta ulciscar. 535) C. 7. *tenet laeva.* 536) C. 6. *oranti—abdidit.* 537) Num Aemonides sit Aemonis filius, an is ipse, in dubio est. 538) C. 1. *victa.* Rom. *sacro.* Infula est fascia latior, ex qua minores vittae dependebant, instar diadematis caput sacerdotum ambiens. 539) Al. *ins. albis.* 540 Ed. Med. *congressu.* Hamb. I. *lassum.* 541) Al. *Cerestus*, *Segestus.* Umbra, s. mortis tenebris. 542) C. 1, 7, 8. *tropheum.* Rom. *Tecta.* Mor. qu. *Laeta.* Hamb. I. *ref. lateri.* Bigot. *triumphum.* Gradivus est Martis nomen. *Rex* est commune omnium Deorum elogium. 543) Subcedunt in pugnam cum Aenea. Stirpe pro patre. 544) C. 7. *Cerulus—a montibus Imbro.* Bigot. *et juvenis M.* Caeculus est dux Praenestinorum; Umbro ille Marsorum. 545) C. 1, 6. *Anxyris.* C. 7. *e contra.* 547) Rom. *illi* Al. *magicum*, sc. magicis quibusdam consecrationibus et carminibus adversus vulnera se munierat Ille, sc. Anxur. 548) C. 6. *animam.* Ferre coelo, s. ad coelum efferre. 549) C. 1. *Canitiem.* Goth. II. *et multos.* Ven. *permiserat.* 550) Burm. *Tarquinus* prodiens. 551) C. 7. *solvicolae.* Ven. *Faulo.* Fauni, rustica numina, multi fuere; horum aliquo, et Dryope Nympha, natus est Tarquitus. Drys est quercus. 552) Al. *tulit.*

Loricam clipeique ingens onus impedit hasta.
Tum caput orantis nequidquam, et multa parantis
Dicere, deturbat terrae; truncumque tepentem
Provolvens, super haec inimico pectore fatur:
Istic nunc, metuende, jace. Non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra sepulcro:
Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum
Unda feret, piscesque impasti vulnera lambent.
Protenus Antaeum et Lucam, prima agmina Turni,
Persequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volscente satum; ditissimus agri
Qui fuit Ausonidum, et tacitis regnavit Amyclis.
Aegaeon qualis, centum cui brachia dicunt,
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse, Jovis quum fulmina contra
Tot paribus streperet clipeis, tot stringeret enses:
Sic toto Aeneas desaevit in aequore victor,
Ut semel intepuit mucro. Quin ecce Niphaei
Quadrijuges in equos adversaque pectora tendit;
Atque illi, longe gradientem et dira frementem
Ut videre, metu versi retroque ruentes
Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.

---

553) Ven. *Lorica.* Al *impetit.* Tarquitus longam hastam in Aeneam dextra intendebat; hic eam retorsit; quam cum ille non amitteret manu, inde clypeus ejus hasta transversa impeditus, patentem vulneri locum remittit. 554) C. 7. *Tunc* — multa sine *et.* Al. *Cum.* 555) Al. *repente.* Rom. *petentem.* Mor. III. *jacentem.* 556) C. 8. *pervolvens.* C. 7. *hoc.* 557) Al. *Nunc*, *Nam.* Multis abest *te.* Apud veteres illi sepeliebant, qui maiori necessitudine conjuncti cum defuncto. 558) C. 7. 8. *patrioque*, s. natali. C. 8. *honorabit.* C. 7. *onerabat*, tumulo, quo alias mortuus premi dicitur. 559) Dorv. *liquere.* 561) C. 1, 6, 8. *Licam.* Pr. agm, qui pagnabant in prima acie. 562) Burm. aliq. *Prosequitur.* Cum Nisus et Euryalus Numam jam occiderant, alius Numa in eodem exercitu fuisse videtur. 563) Bigot. *dit. agris.* 564) Dorv. *regnabat.* Amyclae, urbs fuit Peloponnesi, Lacedaemoni vicina. Tacitae, quod propter nimiam modestiam, injurias a finitimis acceptas cum tacerent ac dissimularent, ab iisdem oppressae sunt. 565) Aegaeon, gigas, coeli et telluris filius. 566) Franc. *orbibus.* Hamb. II. *auribus.* 567) C. 7. *flumina.* 568) Sprot. *et stringeret.* 569) Pier. aliq. *in agmine.* 570) C. 1. *Quin nece.* C. 7. *intrepuit.* 571) C. 1. *Quadrijugos.* Plur. *Quadrijugis in equis.* 572) Men. I. *illum.* Dorv. *et dura.* Longis passibus incedentem. 573) Hamb. II. *retroque fluentes.* 574) C 1, 8. *currum.* C. 7. *cursus.* Ed. Ald. *in littore.*

Interea bijugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger; sed frater habenis
Flectit equos; strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Aeneas tanto fervore furentes:
Irruit, adversaque ingens apparuit hasta.
Cui Liger:
Non Diomedis equos, nec currus cernis Achilli,
Aut Phrygiae campos: nunc belli finis et aevi
His dabitur terris. Vesano talia late
Dicta volant Ligeri. Sed non et Troius heros
Dicta parat contra; jaculum nam torquet in hostem.
Lucagus ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos; projecto dum pede laevo
Aptat se pugnae: subit oras hasta per imas
Fulgentis clipei, tum laevum perforat inguen;
Excussus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Aeneas dictis affatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanae vertere ex hostibus umbrae.
Ipse rotis saliens juga deseris. Haec ita fatus
Arripuit bijugos. Frater tendebat inermes
Infelix palmas, curru delapsus eodem:
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, sine hanc animam, et miserere precantis.
Pluribus oranti Aeneas: haud talia dudum
Dicta dabas. Morere, et fratrem ne desere frater.
Tum, latebras animae, pectus mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor

---

575) Al. *Ligagus*, *Licagus*. 576) C. 6. *medio*. 578) C. 1. *ruentis*. 581) C. 1, 8, 7. *currum—Achillis*. E curru frequentius, quam ex equo duces pugnantes inducunt Poetae. 582) C. 8. *Haud*. C. 7. *At*. Goth. II. *Phrygios campos*, quasi imbelles ex mollitie Phrygum. 583) C. 1. *dabit in*. C. 7. *talia rite*. Dorv. *His d. telis*. Goth. III. *Vesani*. 585) C. 6, 8. *hostes* C. 7. *jam*. 586) C 1. *at*. C. 1. *pendent*. C. 1. *tela*, sed male. 587) C. 8. *pr. dum p. l.*, habitus pugnatoris, qui projecto pede solet se librare ad ictus, et veluti pendere. 588) Heins. duo *Aptet*. Mor. II. *sub imas*. 589) Inguen, pars illa corporis, qua femur, imo ventri vicinum, complicatur. 590) C. 1. *exculsus*. 593) C. 7. *evertere*. Ven. *Perdidit*. Equi pavidi vitium est, umbram timere, aut suam, aut aliorum. 594) C. 1 *fatur*. 595) C. 1, 6, 8, 7. *inertis*; al. *inertes*. 596) Sprot. *delatus*. 600) Burm. duo *non* 601) C. 8. *recludis*. Hamb. I. *resolvit*. 602) C. 6, 8, 7. *victor*.

Dardanius, torrentis aquae vel turbinis atri
More furens. Tandem erumpunt, et castra relinquunt
Ascanius puer et nequidquam obsessa juventus.
Junonem interea compellat Jupiter ultro:
O germana mihi atque eadem gratissima conjunx,
Ut rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Trojanas sustentat opes: non vivida bello
Dextra viris, animusque ferox, patiensque pericli.
Cui Juno submissa: Quid, o pulcherrime conjunx,
Sollicitas aegram et tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quae quondam fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret: non hoc mihi namque negares,
Omnipotens, quin et pugnae subducere Turnum,
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine poenas,
Ille tamen nostra deducit origine nomen,
Pilumnusque illi quartus pater; et tua larga
Saepe manu multisque oneravit limina donis.
Cui rex aetherii breviter sic fatur Olympi:
Si mora praesentis leti tempusque caduco
Oratur juveni, meque hoc ita ponere sentis:
Tolle fuga Turnum, atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat. Sin altior istis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum: spes pascis inanes.

---

603) Pier. aliq. *Dardanus et.* Turbo ventus est repentino impetu universa perturbans. 604) C. 8. *fremens.* Mor. I. *erumpit.* Parrh. *claustra.* Castra, s. urbem obsessam. 606) C. 7. *compellit* 607) C. 7. *ac.* Objurgas aegram, et acerba dicta tim. 609) C. 6. *Trojanus.* Sprot. *Trojanis.* Parrh. *non invida.* 610) C. 1. *animosque.* C. 8. *pericli est.* 611) C. 8. *Tum*; al. *Cum*, *Et.* 612) Med. *tr. jussa t.* 613) C. 1. *quaque.* C. 7. *docebat.* Mont. *quemque.* 614) C. 8. *haec.* Si tantum apud te possem amore meo, quantum olim poteram, non hoc mihi negares, ut Latini quoque virtute atque animo superiores essent. Namque pro utique. 615) C. 8. *nunc pugnae.* 616) Oud. *Vel D.* Leid. *possim.* 617) C. 1. modo det. 618) Origine, sc. divina, genus. 620) Al. *ornavit.* Numerus certus expositus est invidiae; unum olim donum pro multis. 621) C. 1, 8, 7. *fatus.* C. 6. *aetherei.* 622) Caduco, cui mox moriendum est. 623) C. 8. *haec.* Interpretaris me hoc ita statuere, ut Turni fata differantur, non ut mutentur. 625) C. 1. *altis.* Fuit opinio veterum, fata omnino impediri ne a Jove quidem posse, aliquantum tamen differri. 626) Venia, concessio. 627) C. 1. *inanis.* C. 7. putes. C. 7. *spesne.* Med. *Multarive.*

Et Juno allacrimans: Quid si, quod voce gravaris,
Mente dares; atque haec Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror. Quod ut o potius formidine falsa
Ludar, et in melius tua, qui potes, orsa reflectas!
Haec ubi dicta dedit, coelo se protenus alto
Misit, agens hiemem nimbo succincta per auras;
Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit.
Tum dea nube cava tenuem sine viribus umbram
In faciem Aeneae (visu mirabile monstrum)
Dardaniis ornat telis; clipeumque jubasque
Divini assimulat capitis; dat inania verba;
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis.
Morte obita quales fama est volitare figuras,
Aut quae sopitos deludunt somnia sensus.
At primas laeta ante acies exsultat imago,
Irritatque virum telis, et voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemque eminus hastam
Conjicit; illa dato vertit vestigia tergo.
Tum vero Aenean aversum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo spem turbidus hausit inanem:
Quo fugis, Aenea? thalamos ne desere pactos;
Hac dabitur dextra tellus quaesita per undas.
Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat

---

628) C. 6, 8. *Cui J.* C. 7. *At J.* C. 6. *illacrimans.* Rom. *quae v. gr.* Timet Juno, ne parum sincere permiserit Jupiter, vitam Turni dilata morte servari Lacrymis inest vis ad flectendum. 629) C. 7. *dare.* 630) Vanus s. deceptus veri. 631) C. 1. *Quod ut opto tuis.* C. 6. *ut potius.* 632) Jupiter potest fata reflectere, vel differendo, vel conditionem aliquam, unde illa pendent, impediendo. 633) C. 1, 8. *protinus.* 634) C. 7. deest *nimbo succ. per a.* Hiemem, tempestatem — nimbo, nube. Laurentum est urbs Latina. 635) Pier. aliq. *et L. tecta.* 636) C. 7. *cava nube.* 637) C. 7. *In faciem Turni.* Ven. *miserabile.* 638) C. 7. *Dardanius.* Dorv *armat — jubamque*, galeae cristam, e jubis equinis. Telis pro armis. 639) C. 7, 8. *assimilat.* C. 1. *Divina.* Gud. *in. membra.* 640) Med. *gressumque.* Ven. *affigit.* 641) C. 6, 7. *qualis.* Veteres putabant, non hominum animas, sed harum imagines descendere ad inferos. 642) C. 7. *deducunt.* 943)Dorv. *laeti.* 644) Men. I. *ac voce.* Burm. aliq. *aut v.* 647) C. 7. *Tunc v. versum Aenean.* Men. II. *incedere.* Parrh. *ubi ced.* 651) C. 7. *structumque coruscat*, neutrum pro activo.

Mucronem; nec ferre videt sua gaudia ventos.
Forte ratis celsi conjuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis, et ponte parato;
Qua rex Clusinis advectus Osinius oris.
Huc sese trepida Aeneae fugientis imago
Conjicit in latebras: nec Turnus segnior instat;
Exsuperatque moras, et pontes transilit altos.
Vix proram attigerat: rumpit Saturnia funem,
Avulsamque rapit revoluta per aequora navem.
Tum levis haud ultra latebras jam quaerit imago,
Sed sublime volans nubi se immiscuit atrae.
Illum autem Aeneas absentem in proelia poscit;
Obvia multa virûm demittit corpora morti:
Quum Turnum medio interea fert aequore turbo.
Respicit ignarus rerum, ingratusque salutis,
Et duplices cum voce manus ad sidera tendit:
Omnipotens genitor, tanton' me crimine dignum
Duxisti, et tales voluisti expendere poenas?
Quo feror? unde abii? quae me fuga, quemve reducet?
Laurentesne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me meaque arma secuti?

---

652) C. 7. *Ne.* Franc. *ut ferre.* Nec videt hostem, cuius ob fugam exultat, umbram inanem esse, quae vento rapitur. 653) C. 8. *saxa* Crepidine pro, crepidini, summitas est abrupti saxi, vel ripae. 654) Hug. *Impositis.* Goth. III. *peracto.* 655) Ven. *adventus.* Oud. *Osimius.* Rex pro viro ex principibus. 659) Med. *Huic.* Hamb. II. *trepidam.* 657) Hug. *in tenebras.* Men. I. *in latebris*, pro refugio. Hamb. II. *segnius.* 658) C. 1. *pontis.* 659) Plur. *rupit.* 660) C. 1. *navim.* C. 6. deest hic vers. Aequora revoluta, de fluctuum recessu a littore, intelligenda sunt. 661) C. 8. *absentem Aeneam.* C. 6. deest hic vers. 662) C. 6, 8, 7. *dimittit.* 664) C. 7. *miscuit.* Franc. *arte.* Sublime adverbii more pro, in sublime. 665) C. 6. *in medio.* Al. *Tum*, *Tunc.* Ven. *C. T. int. magnus fert.* Mont. *in medio.* 666) C. 8. *ingratus*, *rer. ignarusque s.* Incusat enim Jovem, cujus permissu Junonisque opera servatus fuerat. 667) C. 1, 6. *tollit.* 668) Zul. *tantum me.* Fugae flagitium appellatur crimen. 669) Goth. III. *Dixisti.* Ven. *impendere.* Mor. I. *expandere.* 670) C. 1, 6, 8. *reducit.* C. 7. *quae me.* Al. *quaeve*, *quove.* Dorv. *reducat.* Qualem me reducet? 671) C. 1. *Laurentisne*; al. *Laurentesque*, urbem Latini regis; castra vel mea, vel Trojanorum. 672) Quid, sc. dicet.

Quosne (nefas) omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumque cadentum
Accipio. Quid ago? aut quae jam satis ima dehiscat
Terra mihi? Vos o potius miserescite, venti;
In rupes, in saxa (volens vos Turnus adoro)
Ferte ratem, saevisque vadis immittite Syrtis:
Quo neque me Rutuli, nec conscia fama sequatur.
Haec memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc;
An sese mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, et crudum per costas exigat ensem;
Fluctibus an jaciat mediis, et litora nando
Curva petat, Teucrûmque iterum se reddat in arma.
Ter conatus utramque viam: ter maxima Juno
Continuit; juvenemque animi miserata repressit.
Labitur alta secans fluctuque aestuque secundo,
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.

At Jovis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnae, Teucrosque invadit ovantes.
Concurrunt Tyrrhenae acies, atque omnibus uni,
Uni odiisque viro telisque frequentibus instant.

---

673) C. 1, 8, 7. *morte* sine *in.* C. 7. *Quosve*, eosne? Goth. III. *Quodque.* Franc. *relinquo.* 674) C. 8. *cadentem.* 675) C. 1. *Quid ego.* 677) C 8. *In sirtis.* Oro vos ventos. 678) C. 8. *Siris.* C. 7 *vadi.* C. 6. *Syrtes.* Hamb. I *Ferre.* Goth. III. *malis* Immittite navem in Syrtin vadosam, s. locum quemlibet arenosum in mari 679) Al. *Rutulus*; al. *sequantur.* 680) Multi *animum.* Turnus non satis firmo fuit animo ad mortem. 681) C. 6. *mucroni.* Zul. *mucronem.* Deliberatio haec provenit vel a summo dolore, vel a gloriae aviditate, quam se sperabat consequi ex voluntaria morte 682) Al. *Imbuat.* Cruor est sanguinis effusus venis et jam frigescens; crudus ensis, qui adhuc in cruore. 683) C. 8. *jactat*, Gl. *jactet.* Goth. III. *in littora.* An se in altum mare jaciat. 684) C. 8. *reddit.* 685) C. 1. *coitus.* Viam, modum utrumque consulendi decori suo. 686) C. 1, 8 *animo.* Goth. III. *Conticuit.* Miserata dolorem animi. 687) Aestus maris secundus est, qui navem littori admovebat. 688) C. 7 *difertur*, ad urbem Ardeam, Dauni et Turni regiam, Rutulorum caput 689) C. 7. *monitus.* Parrh. *monitu*, impulsu. Dii mortales ad iram excitant. 690) C. 7. *Teucros.* Goth. II. *Successit.* Hamb I. *invasit.* 691) C 7. *una.* Parrh. *unus.* Tyrrhenae acies, pars ea Etruscarum gentium, quae Mezentium regem ob immanitatem ejecerant, et Aeneae in auxilium venerant. 692) C. 7. *viroq.*

Ille, velut rupes, vastum quae prodit in aequor,
Obvia ventorum furiis, expostaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert coelique marisque,
Ipsa immota manens: prolem Dolichaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumque fugacem:
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adversam; poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit; armaque Lauso
Donat habere humeris, et vertice figere cristas.
Nec non Evanthen Phrygium, Paridisque Mimanta
Aequalem comitemque; una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, et face praegnans
Cisseis regina Parin: Paris urbe paterna
Occubat; ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia, silva
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox, et inhorruit armos;
Nec cuiquam irasci propiusve accedere virtus;
Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant:
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas:

---

694) Ald. *expastaque.* 695) C. 1. *quae* Leid. *praefert.* 696) C. 7. *manet.* C. 7. *prolemque Licaonis.* 697) C. 8, 7. *Litagum, Pelmumq.* 698) C. 6. *ingentis.* 699) Gud. *adversum.* Franc. *aversam.* Parrh. *adverso* Goth. II. *adversa.* 700) Franc. *involvi.* Zul. *lapso.* 702) C. 8. *Minanta.* 703) C. 8. *Theana.* Mimas Amyci et Theanus filius eadem nocte natus, qua Paris ab Hecuba. 705) C. 1, 6, 8, 7. *creat urbe pati.* Hecuba a Virg. Cisseis appellatur. 706) C. 6, 7. *occuvat.* Ignarum, passive pro, ignotum. 707) C. 7. *illa.* 708) C. 7. *multosq. Venulus.* Rom. *Vesvius.* Vesulus est mons altissimus Alpium maritimarum, ad occidentem Liguriae, in quo sunt Padi fontes. 709) C. 1. *silvam.* Palus Laurentia inter Tyberis ostia urbemque Laurentum, qui tractus sylvis, paludibus et arundinetis olim asper fuit. 710) C. 1. *harundineam.* C. 8. *arundinia.* 711) Hamb. II. Gl. *feros.* 712) C. 8. *propiusq.* C. 1. *propius.* C. 7. *accendere.* 713) C. 6. *totisq.* 714) C. 1, 6, 7, 8. habent sequentem ordinem versuum: Haud aliter etc. — Non ulli etc. — Missilibus etc. — Ille autem etc. — Venerat etc. Moram facit ac subsistit, ut se opponat in omnes partes. 715) C. 7. *hastam.* Plures *discutit.*

Haud aliter, justae quibus est Mezentius irae,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro;
Missilibus longe et vasto clamore lacessunt.
Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
Grajus homo; infectos linquens profugus hymenaeos:
Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis et pactae conjugis ostro:
Impastus stabula alta leo ceu saepe peragrans;
Suadet enim vesana fames; si forte fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum:
Gaudet, hians immane, comasque arrexit, et haeret
Visceribus super incumbens; lavit improba teter
Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infelix Acron, et calcibus atram
Tundit humum exspirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec jacta caecum dare cuspide vulnus:
Obvius adversoque occurrit, seque viro vir
Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis.
Tum super abjectum posito pede nixus et hasta:'

---

716) Justa dicitur illa Etruscorum ira, ob immanem Mezentii crudelitatem. 718) Leid. *et magno*. 719) C. 1. *Atron*. Burm. duo *Arcon*. Men. I. *antiqui*. Coritus est urbs in orientali parte Tusciae circa Trasimenum lacum. Antiq. finibus, quia a Corito Dardani patre fundata est, a quo Trojani orti sunt. 720) C. 8. *profugus linquens*. Zul. *infestos*. Graecus homo, qui Coriti consederat; profugus ad Tarchontem et Aeneam. 721) Goth. III. *socia ag*. 722) Plur. *pinnis*, quae sunt cristae cassidis, e plumis avium purpureo colore tinctis. Ostrum est purpura ex ostreo expressa. 723) Zul. *Inpactus*. Burm. duo *specula alta*. Bigot. *cui. Alta* parietes nimis altos declarat, quam ut saltu leo superare possit. Peragrans, circumiens jejunus, qui frustra stabula lustravit. 724) Mor. II. *et surg*. Ment. II. *c. taurum*. 725) C. 7, 6. *capram*. 726) C. 7. *erexit*. 727) C. 1, 8, 7. *accumbens*. Rom. *lavat*. Med *improbat aether*. Improba, s. immodicae voracitatis. *Lavit*, prima brevi, praesentis est temporis, a *lavere*. 729) C. 1. *hostes*. 731) Men. II. *cruentant*. 732) C. 7. *aut*. Fugientem, aversum, ut tergum petere posset hasta; sed fugiens hostis non est interficiendus. 733) Vulnus ab Orode non praevisum. 734) C. 7. *excurrit*. Sprot. *obverso*. 735) Plur. *fortior*. Haud praestantior dolo ac fraude. 736) Abjectum s. prostratum.

Pars belli haud temnenda, viri, jacet altus Orodes.
Conclamant socii laetum paeana secuti.
Ille autem exspirans: Non me, quicunque es, inulto,
Victor, nec longum laetabere; te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem subridens mixta Mezentius ira:
Nunc morere. Ast de me divûm pater atque hominum rex
Viderit. Hoc dicens eduxit corpore telum.
Olli dura quies oculos et ferreus urguet
Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.
Caedicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen;
Partheniumque Rapo et praedurum viribus Orsen:
Messapus Cloniumque, Lycaoniumque Ericeten;
Illum infrenis equi lapsu tellure jacentem,
Hunc peditem pedes. Et Lycius processerat Agis:
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitae
Dejicit; at Thronium Salius, Saliumque Nealces,
Insignis jaculo et longe fallente sagitta.
Jam gravis aequabat luctus et mutua Mavors
Funera; caedebant pariter pariterque ruebant
Victores victique; neque his fuga nota, neque illis.
Dî Jovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, et tantos mortalibus esse labores;
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Juno.

---

737) C. 7, 8. *viris metuenda.* Sprot. *temptanda.* Med. *actus O.* 738) Paean est carmen triumphale, quod inceptum a Mezentio, socii persequuntur successu aliquo allucente felici. 739) Parrh. *inulte.* 740) Mor. I. *longe.* 741) Parrh. *Exspectant.* Dorv. *mors arma.* 742) C. 6, 8. *quae.* Med. *Atque.* 744) Burm. tres *Haec.* 745) C. 7. *Illi.* C. 7. *dira q. oculis.* 746) Plures *mortem.* Lumina pro oculis. 747) C. 1, 7. *Alcathonum.* C. 7. *Celicus.* Graeca nomina Phrygios et Trojanos, latina vero Latinos designare videntur. 749) C. 1. *Messapum Chroniumq.* C. 1, 8. *Erichaten.* Ericiten, vel Lycaonis filium, vel e Lycaonia, minoris Asiae regione mediterranea. 750) C. 6. *infernis*; sed infraenis equi, vel quia absque fraeno, vel quia efferati oris. 751) C. 8, 6. *Hagis.* C. 7. *Argis.* Ven. *praecesserat.* Lycius, e Lycia, minoris Asiae regione, meridiali et maritima 752) C. 7. *aut.* 753) C 1, 8. *ac.* C. 1. *Thronum.* C. 7. *Dejecit Antonium*; al. *Anth·onium.* 754) Plur. *Insidiis.* Sagitta feriente e longinquo incautum. 755) C. 8. *luctu.* Goth. III. *Et gr.* Mavors est Martis nomen, quia magna vertit. 756) Plur. *cedebant.* 757) C. 7. *ne*; al. *nec.* 758) C. 1, 8. *Dii.* Ira, qua neutra acies proficiebat quidquam. 759) C. 6. *tantas.* 760) C. 6. *adspectat.* Med. *spectant.*

Pallida Tisiphone media inter millia saevit.
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo. Quam magnus Orion,
Quum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet undas;
Aut, summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contra Aeneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. Manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat;
Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastae:
Dextra, mihi deus, et telum, quod missile libro,
Nunc adsint! voveo praedonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropaeum
Aeneae. Dixit, stridentemque eminus hastam
Injicit; illa volans clipeo est excussa, proculque
Egregium Antoren latus inter et ilia figit:
Herculis Antoren comitem, qui missus ab Argis
Haeserat Evandro, atque Itala consederat urbe.
Sternitur infelix alieno vulnere, coelumque
Adspicit, et dulces moriens reminiscitur Argos.
Tum pius Aeneas hastam jacit: illa per orbem
Aere cavum triplici, per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus, imaque sedit
Inguine; sed vires haud pertulit. Ocius ensem
Aeneas, viso Tyrrheni sanguine laetus,

---

761) C 7. *Tesiphone.* Mont. *inter limina.* Tisiphone est una e tribus furiis. 763) C. 6. *pignus Orion.* Med. *campum.* Parrh. *Quem.* Turbidus s. furens. 764) C. 8 *Tum.* Leid. *Dum.* 765) Gud. *numero.* Goth. II. *unda.* 766) C. 1, 8. *annosum m ornum*, quae clava est, qua instructus pingitur. 767) C. 7. *ponit.* Plur. *solum.* 769) C. 8. *magno.* C. 8. *hunc.* Ven. *Hinc.* Sprot. *Tunc* 774) C. 1. *assis.* Hug. *Huc.* 775) C. 1, 7. 8. *tropheum.* C 7. *Inductum.* C. 6. *triumphum.* Mezentius vovet, non truncum arboris, sed Lausum ipsum filium suum trophaei loco se daturum 777) C. 1, 6, 7, 8. *Jecit. at.* Parrh. *Conjicit.* Hamb. I. *Injecit.* Zul. *expulsa.* Superficiem convexam clipei tantum strinxit, et hinc resiliit. 778) C. 6, 8, 7. *auctorem.* Goth. II. *fixit.* 779) Franc. *jussus ab.* Missus s. profectus. 780) C. 7. *Italiae.* Gud. *considerat.* Itala urbe, Pallanteo, Evandri regia. 782) C. 7. *moriens dulces.* 783) Plur. *At p.* Leid. *et per o.* 784) Rom. *Aere cavo tr., ter l.* Plur. *lignea.* Lino, s. linteo tegebantur aerea etiam scuta, ut iis inhaerere pictura posset. 785) Al. *sidit.* Tauris, coriis taurinis.

Eripit a femine, et trepidanti fervidus instat.
Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lausus; lacrimaeque per ora volutae.
Hic mortis durae casum, tuaque optima facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te, juvenis memorande, silebo.
Ille pedem referens, et inutilis inque ligatus,
Cedebat, clipeoque inimicum hastile trahebat.
Prorupit juvenis, seseque immiscuit armis;
Jamque assurgentis dextra plagamque ferentis
Aeneae subiit mucronem, ipsumque morando
Sustinuit; socii magno clamore sequuntur:
Dum genitor nati parma protectus abiret;
Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hostem
Missilibus Furit Aeneas, tectusque tenet se.
Ac velut, effusa si quando grandine nimbi
Praecipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis et agricola; et tuta latet arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris; ut possint, sole reducto,
Exercere diem: sic obrutus undique telis
Aeneas nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet, et Lausum increpitat, Lausoque minatur:
Quo moriture ruis, majoraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille
Exsultat demens. Saevae jamque altius irae

---

788) C. 7, 8. *femore.* Licet femen et femur promiscue sumantur, tamen proprie prius est pars interior, posterius vero exterior. 790 C. 1. *volutant*; al. *solutae.* 791) C. 7. *tua et.* Mors juvenum acerba dicitur, quia immatura. 792) Operi, facinori — vetustas pro posteritate. 794) Plur. *atque ligatus*; illigatus hastae, quae clipeo transfixo in inguen penetrarat. Inutilis, vulnere debilitatus. 796) C 1, 6, 7, 8. *Proripuit.* 797) C. 8. *adsurgenti.* C. 1, 6, 8, 7. *dextrae.* Dextra insurgit, ad ictum ense inferendum, manu elevata ac reducta. 798) Med. *subigit.* 799) C. 8. *socio.* 800) Tenet te tectus sub clipeo, quo missilia excipit. Parma est brevis clypeus, rotundus et undique par. 801) Plur. *perturbant.* 802) Hamb II. *clypeoque ten. se.* 803) C. 7. *effusi.* Oud. *effuso.* Franc. *effusam.* 804) C. 7. *omnisq.* 805) C. 1. *arte.* Tuto refugio, cavo ripae vel antro. Arx est omnis locus, qui hostes arcet. 807) C. 7. *possint ut.* Al. *Cum.* Plur. *ut possit.* 808) Exercendo opere transigere diem. 809) C. 1, 8. *detinet omnes.* C. 6, 7. *detinet omnis.* Servius ait: bellantum impetum sustinet, dum deferveat. 812) Gud. *Fallet.*

Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcae fila legunt: validum namque exigit ensem
Per medium Aeneas juvenem, totumque recondit.
Transiit et parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro:
Implevitque sinum sanguis; tum vita per auras
Concessit moesta ad Manes, corpusque reliquit.
At vero ut vultum vidit morientis et ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris:
Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit,
Et mentem patriae strinxit pietatis imago.
Quid tibi nunc miserande puer, pro laudibus istis,
Quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus laetatus, habe tua; teque parentum
Manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem;
Aeneae magni dextra cadis. Increpat ultro
Cunctantes socios, et terra sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comtos de more capillos.
Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Vulnera siccabat lymphis, corpusque levabat
Arboris acclinis trunco. Procul aerea ramis
Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circum juvenes: ipse aeger, anhelans

---

814) C. 8. *victori.* 815) C. 8. *exigunt.* Goth. II. *jamque.* Parcae fila ad se trahunt, et vitae nostrae finem imponunt. 817) C. 1, 6, 8, 7. *Transilit.* Levia arma alludunt ad militem velitem apud Romanos, cujus erat parma. Minacis, sc. Lausi. 818) C. 8. *texerat.* Rom. *niverat.* 819) C. 6. *sinus.* Vita, anima. 820) Dorv. *Cum cessit—relinquit.* Goth. II. *Discessit.* Quasi volaret anima. 822) Anchisiades, non pro libidine, sed ex judicio. 824) C. 7. *subiit pietatis.* 825) C. 8. deest hic vers. Pro ista virtute, qua, ut patrem servaret, ipse vitae discrimen adiit. 826) C. 8. *dabat.* 827) Magnus honos in illo aevo habitus, si victum victor non spoliaret. 828) C. 1, 8. *et cineri.* Remitto te ad sepulcrum patrium, ut te inferant. 830) Mori sub magno hoste est solatium. 831) C. 1. *cunctantis.* 832) Zul. *turbantem.* De more, sc. juvenum Etruscorum, qui, ut mulieres, capillos certa lege componebant. 833) Plur. *undas.* 834) Plur. *lavabat.* Vuln. etc., sanguinem sistebat frigida aqua. 835) Dorv. *obnixus tr.* Hug. *aenea.* Rom. *ramo.* Vulgo *acclivis.* Procul modo longam, modo minorem distantiam significat. 836) Dorv. *Dum pendet.* Quiescunt, s. jacent arma, pro scuto. 837) Al. *leti proceres.*

Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam;
Multa super Lauso rogitat, multosque remittit,
Qui revocent, moestique ferant mandata parentis.
At Lausum socii exanimem super arma ferebant
Flentes, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnovit longe gemitum praesaga mali mens.
Canitiem multo deformat pulvere, et ambas
Ad coelum tendit palmas, et corpore inhaeret.
Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hostili paterer succedere dextrae,
Quem genui? Tuane haec genitor per vulnera servor,
Morte tua vivens? Heu, nunc misero mihi demum
Exsilium infelix! nunc alte vulnus adactum!
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.
Debueram patriae poenas odiisque meorum?
Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem!
Nunc vivo; neque adhuc homines lucemque relinquo.
Sed linquam. Simul hoc dicens attollit in aegrum
Se femur; et, quamquam vis alto vulnere tardat,
Haud dejectus, equum duci jubet. Hoc decus illi,
Hoc solamen erat; bellis hoc victor abibat
Omnibus. Alloquitur moerentem, et talibus infit:
Rhoebe, diu (res si qua diu mortalibus ulla est)
Viximus. Aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Aeneae referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum: aut, aperit si nulla viam vis,

---

838) C. 1. *corpore.* C. 7. *propensam.* Colla fovet, sustinet caput arboris trunco. In pectore pro, in pectus. 839) Leid. *rogitans.* 840) Franc. *ferent.* Leid. *responsa par.* 841) Parrh. *exanimum socii.* Super arma, super clypeo. 843) Hamb. II. *Agnoscit.* 844) Al. *C. immundo def.* 845) Plur. *corpori.* 846) Plur. *voluntas.* 847) C. 8. per. C. 1. *succumbere.* C. 7. *succurrere*, dextram, s. vulnus excipere alterius loco. 848) Tua per v., pro vulnere. 849) Zul. *M. t. juvenis.* 850) C. 1, 8, 7. *exitium.* Plur. *nunc autem vulnus*, sc. proprium. 851) C. 1. *note, t violavi* odio et criminatione. 852) Burm. *inv. regno.* 853) C. 8. *Debuerim* Mont. *od. malorum.* Si debebam etc. 855) Sprot. *hom. vitamque.* 856) C. 7, 8. *haec.* Parrh. *his dictis.* 857) C. 8, 1, 7. *tardet.* Virium defectus, per altum vulnus, tardat. 859) C. 7. *abibit.* Gud. *obibat.* 860) C. 8. *ac talia fatur.* 861) C. 1. *usquam est*, sc. in hac rerum conditione. 862) Hug. *cruenti.* 863) C. 7. *referens.* Mor. III. *laborum.* Reg. *dolorem.* *Ultor.* Ex Lausi caede.

Occumbes pariter. Neque enim, fortissime, credo
Jussa aliena pati et dominos dignabere Teucros.
Dixit, et exceptus tergo consueta locavit
Membra, manusque ambas jaculis oneravit acutis;
Aere caput fulgens, cristaque hirsutus equina
Sic cursum in medios rapidus dedit. Aestuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
[Et Furiis agitatus amor, et conscia virtus;]
Atque hic Aenean magna ter voce vocavit.
Aeneas agnovit enim, laetusque precatur:
Sic pater ille deûm faciat, sic altus Apollo,
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, et infesta subit obvius hasta.
Ille autem: Quid me erepto, saevissime, nato
Terres? haec via sola fuit, qua perdere posses.
Nec mortem horremus, nec divûm parcimus ulli.
Desine. Jam venio moriturus, et haec tibi porto
Dona prius. Dixit, telumque intorsit in hostem;
Inde aliud super atque aliud figitque, volatque
Ingenti gyro: sed sustinet aureus umbo.
Ter circum adstantem laevos equitavit in orbes,
Tela manu jaciens; ter secum Troïus heros
Immanem aerato circumfert tegmine silvam.
Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula taedet
Vellere, et urguetur pugna congressus iniqua:
Multa movens animo, jam tandem erumpit, et inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam.

---

865) Multi *Occumbens.* 866) C. 8. *dominabere.* 867) Goth *in tergo exceptus assueta.* 870) Rom. *Sic cursu in medios r. redit.* 871) C. 8. *lucto.* Ira et dolor sunt cognati affectus. 873) Ed. Ven. *magna sic.* 874) Enim, utique. 875) Sic — faciat, ut velis mecum manum conserere. 876) Hug. *Incipies.* Goth. II. *m., et mihi jungere pugnam.* 877) Subit, occurrit. 878) Zul. *o saev.* 879) Pier. aliq. *Terreas.* 880) Nec parcimus, ut ab eo auxilium exspectemus. 881) C. 7, 8. *Nam.* Haec etc., ut quasi mutuo munere me occidas. Desine terrere. 882) C. 7. *dixitq. tellum.* 883) C. 1 *volatque.* C. 8, 7. *fugitq volatq.* 884) Quidquid est prominens et extumidum, umbo dicitur. 885) Franc. *Tum.* Laevos in orbes, sc. suos, ac proinde in dextros Aeneae. 887) Gud. *agmine silvam*, magnam telorum multitudinem, infixam clypeo. 888) Bigot *risisse.* 889) C. 7. *solvere.* Pugna iniqua, contra equitem ipse pedes. 890) C. 1. *erupit.* Ven. *intra.* 891) C. 1. *timpora.*

Tollit se arrectum quadrupes, et calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt coelum Troesque Latinique.
Advolat Aeneas, vaginaque eripit ensem,
Et super haec: Ubi nunc Mezentius acer, et illa
Effera vis animi? Contra Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit coelum, mentemque recepit:
Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullum in caede nefas; nec sic ad proelia veni;
Nec tecum meus haec pepigit mihi foedera Lausus.
Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro;
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc, oro, defende furorem;
Et me consortem nati concede sepulcro.
Haec loquitur, juguloque haud inscius accipit ensem,
Undantique animam diffundit in arma cruore.

---

892) Mont. *arrectus*, sc. equus in pedes posteriores. 893) C. 7. *infuxumque*. 894) Zul. *ejectumque*. Gud. *dejectoque*. Cernuus is dicitur, qui procumbit in eam corporis partem, qua cernimus. Armus hic est humerus Mezentii. 895) C. 7. *intendunt*. Incendunt, implent, concitant. 897) Al. *sup. hoc*. Hug. *et illi*. 898) Med. *et auras*. 899) Rott. II. *Suscipiens*. Hausit coelum pro aura, quam recepit. 900) Quid suspendis ictum, quasi me ad mortem deprecandam invites? 901) C. 8. *in pr*. Med. *venit*. 902) Franc. *foedere*. Nec Lauso a te caeso pugnae haec conditio nobis proposita est, ut ego mortem deprecarer, aut ut ne me interficeres. 903) C 8. *veniam*. Per, sc. gratiam, veniam. 904) Vult sepeliri, quia scit concitata in se multorum odia. 905) Al. *Circum adstare*. Propulsa odia et iras, quominus corpus meum insepultum objiciant, et male mulceant. 907) C. 7. *jugulo — accepit insc*. 908) C. 7. *diffudit*. Rom. *defundit*. Veteres putabant, nihil aliud esse animam, quam sanguinem.

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER UNDECIMUS.

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
Aeneas, quamquam et sociis dare tempus humandis
Praecipitant curae, turbataque funere mens est,
Vota deûm primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezentî ducis exuvias; tibi, magne, tropaeum,
Bellipotens. Aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis: clipeumque ex aere sinistrae
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

LIBER UNDECIMUS.

2) Zul. *humandi.* 3) C. 8. *praecipitent.* Dolore ex funeribus suorum, praecipue Pallantis. 4) Primus Eous est stella Veneris, Lucifer, qui mane ante ortum Solis apparet. 5) C. 7. *decissis.* Quercus assumpta ad excitanda trophaea 6) Tumulo, eminentiore loco. 7) C. 8. *Mezentia.* C. 1, 8, 7. *tropheum.* C. 6. *triumphum.* 8) C. 7. *rorantis.* Rom. *roranti.* 9) Tela, quae in Aeneam a Mezentio projecta, et clypeo recepta atque infixa magno numero fuerant. Bis sex pro quolibet incerto numero. 10) Dorv. *Effossumque.* Gud. *sinistra* vel *sinistris.* 11) Eburnium, quia vel vagina, vel manubrium, erat ex ebore.

Tum socios, namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum, sic incipiens hortatur ovantes:
Maxima res effecta, viri; timor omnis abesto,
Quod superest; haec sunt spolia, et de rege superbo
Primitiae; manibusque meis Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate, animis et spe praesumite bellum;
Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa
Annuerint superi, pubemque educere castris,
Impediat, segnisve metu sententia tardet.
Interea socios inhumataque corpora terrae
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait; egregias animas, quae sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus; moestamque Evandri primus ad urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.

Sic ait illacrimans recipitque ad limina gressum:
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes
Servabat senior, qui Parrhasio Evandro
Armiger ante fuit; sed non felicibus aeque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.
Circum omnes famulûmque manus Trojanaque turba
Et moestum Iliades crinem de more solutae.
Ut vero Aeneas foribus sese intulit altis:

---

13) C. 1. *ovantis*, sc. ob victoriam. Turba ducum indicat dignitatem Principis Aeneae. 15) C. 8. *spolia haec de rege*, Mezentio. 16) Primitiae vel belli, vel spoliorum. Hic s talis est. Moris fuit in trophaeis affigi nomina illorum, de quibus trophaea erigebantur. 17) Burm. duo *Tunc*. 19) C. 1, 6. *evellere*: Goth. III. *Ne qua hora*. Vellere more Romanorum, qui in castris humi defigebant signa. 20) Rom. *adnuerent*. Ven. *pubesque*. Goth. III *puppem inducere*. 21) C. 6, 8, 7. *Segnisq. — sent.*, s. sensus animi. 23) C. 7. *honor* C. 7. *sub imo*. Qui enim carebant honore sepulcri, despecti apud inferos, et vagi centum annos errabant. Acheron pro inferis. 24) Animas, s. animam, s. umbras. 25) Bigot *pepigere*. Oud. *et decor*. 26) Ev. ad urbem, sc. Pallanteum. 28) Vrat. *et f. vertit*. 29) C. 1. *agit inl. recepitq*. C. 8. *gressus*. Ad limina, sc. novae Trojae. Ad januam domus producebantur defunctorum cadavera. 30) C. 1, 7. *Acoestes*. Pier. aliq. *exanimum*. 31) Parrh. Ev., Arcadi. 33) C. 7. *hospiciis*. 35) De more solvendae comae in luctu; foeminae lugentium habitu circa cadaver. 36) Hamb. I. *impulit*.

Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus, moestoque immugit regia luctu.
Ipse, caput nivei fultum Pallantis et ora
Ut vidit, laevique patens in pectore vulnus
Cuspidis Ausoniae, lacrimis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miserande puer, quum laeta veniret,
Invidit Fortuna mihi, ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
Non haec Evandro de te promissa parenti
Discedens dederam: quum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuensque moneret
Acres esse viros, cum dura proelia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani
Fors et vota facit, cumulatque altaria donis:
Nos juvenem exanimum, et nil jam coelestibus ullis
Debentem, vano moesti comitamur honore.
Infelix, nati funus crudele videbis!
Hi nostri reditus, exspectatique triumphi?
Haec mea magna fides? At non, Evandre, pudendis
Vulneribus pulsum adspicies; nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Praesidium Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!
  Haec ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat, et toto lectos ex agmine mittit

---

37) C. 1. *tollit.* C. 7. *tonsis.* Mor. 1. *tusis.* 38) C. 1. *immugiit.* C. 8. *injungit.* Pectus tundebatur in luctu. 39) C. 7. *Et vidit.* Goth. III. *niveum* Hamb. II. *fulvum.* Fultum, sustentatum suppositis vestibus. 40) C. 7, 8. *abortis.* Oud. *lenique.* Mor. I. *in corpore.* Laevi, pulcro, puerili. 41) Burm. duo *sic fatur.* 43) C. 1. *vehere.* Zul. *Fort. tibi.* 46) Dorv. *dederim.* Vrat. *compressus.* Parrh. *moveret.* 47) Mitt. ad Tuscos, quibus regem petentibus Evander Aeneam miserat. 48) C. 1, 7. acris. C. 7. *gentem.* Leid. *ad praelia.* 49 C. 7. *inanis.* 51) C. 6. *exanimem* Vivi sunt subditi Diis superis, mortui inferis. 52) C 7 *comitantur.* Oud. *amore.* Mor. I. *ab ore.* 53) Parrh. *vulnus.* 54) C. 1. *Ni.* C. 8 *exoptatique.* Nostri, sc. a nobis promissi. 55) C. 7. *ac non.* Franc. *pudendus.* Fides, qua confidebam victorem Pallanta rediturum. Vuln. pud., s. a tergo illatis. 56) C. 1 *aspicies* C. 1, 8. *durum.* Franc. *passum.* Ven. *non*; al. *ne.* 57) Rom. *Obstadis* 58) Rom. *Juli.* 59) Hamb. II. *Heu ubi.* Corpus pro cadavere. 60) Rom. *ex ordine.*

Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lacrimis: solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii crates et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis et vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agresti sublimem stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem,
Seu mollis violae, seu languentis hyacinthi:
Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit;
Non jam mater alit tellus, viresque ministrat.
Tunc geminas vestes auroque ostroque rigentes
Extulit Aeneas, quas illi laeta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
Harum unam juveni supremum moestus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu;
Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae
Aggerat, et longo praedam jubet ordine duci.
Addit equos, et tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, caeso sparsuros sanguine flammam;
Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.

---

61) Burm. aliq. *comitantur.* Milenarius numerus ad dignitatem. Supremum, sc. in re funerum. 62) C. 7. *Intersint patriis.* C. 7. *lacrimis et.* 65) C 8. *Arbutes.* Ven. *Arboreis.* Arbutus, arbor in deliciis veterum. Quernus a quercu. 66) C. 8. *obtectu.* C. 7. *inumbrat* Leid. *obumbrant.* Obtentis ramis ac frondibus, qui umbram desuper corpori facerent. Toros, sc. mortuorum. 67) Stramen pro culmis, et paleis et frondibus, quae pecori substernuntur. 68) C. 1. *iachinthi.* C. 7. *demissum.* Goth. I. *virgineum.* 70) Ven. *nondum.* Hamb. I. *nec non.* Hug. *sua fama.* 71) C. 6. *tellum.* Dorv. *Nec j.* Leid. *Jam non.* 72) C. 7. *austroq.* Heins. *Tum.* Ostro, s. purpura ex ostreo expressa. 74) Dido ex Phoenicia. 75) Ven. *Texerat.* 76) C. 7. *juvenum.* Rom. *juvenis* 77) C. 7. *arsutasque.* Ven. *hirsutasque c. obnubit*, altera veste caput celavit. 78) Pugnae Laurentino in litore commissae. 79) Ordo in re defunctorum 80) C. 6. *hostes.* Dorv. *spoliaverit.* Addit equos, sc. cremandos in ipso rogo 82) C. 1, 8. *flammas.* Plur. *sparsuras.* Sanguine caesorum. 83 C. 1. *Indutasq.* C. 7. *Inductosque.* Rom. *fingi.* Truncos, minora trophaea, quae manibus praeferrentur.

Ducitur infelix aevo confectus Acoetes,
Pectora nunc foedans pugnis, nunc unguibus ora;
Sternitur et toto projectus corpore terrae.
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus, positis insignibus, Aethon
It lacrimans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii galeamque ferunt; nam cetera Turnus
Victor habet. Tum moesta phalanx, Teucrique sequuntur,
Tyrrhenique duces, et versis Arcades armis.
Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Aeneas, gemituque haec addidit alto:
Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli
Fata vocant. Salve aeternum mihi, maxime Palla,
Aeternumque vale. Nec plura effatus ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Jamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleae, veniamque rogantes:
Corpora, per campos ferro quae fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terrae;
Nullum cum victis certamen et aethere cassis:
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.
Quos bonus Aeneas, haud aspernanda precantes,
Prosequitur venia, et verbis haec insuper addit:

---

85) C. 1. *Acestes.* 87) Hamb. I. *prostratus.* Oud. *dejectus.* 88) Goth. II. *Ducitur.* Rott. II. *perfusus.* Hug. *cursus.* Principes saepe pugnabant in curribus; vel vehebantur in curribus hosti ereptis 89) C. 1. *Echon.* Incertum est, an equus ducitur ad pompam funeris, an occidendus et mittendus in rogum 90) Goth. II. *Illacrimans.* 91) Sprot. *gerunt.* Caetera, ergo clypeum, ensem, balteum abstulit Turnus. 92) C. 1, 7. *secuntur.* Phalanx pro agmine. 93) C. 7. *Tyrrhenique omnes, et* 94) C. 8. *praecesserat.* 95) C. 7. *gemitumque.* 96) C. 6. *lacrimans.* Ven. *Nos aliter*, ad peragenda sociorum funera. 97) Rom. *Pallas.* 98) In aeternum tempus. 99 Dorv. *gressusque.* Gud. *ferebant.* 100) C. 1. *adventant.* Bigot. *de gente Latina.* pro Laurento, Latini regia urbe 101) C. 8. *precantes.* Manibus ramos pacificae arboris oleae, taeniis laniis implicatos; supplices praeferebant. Veniam, sc hanc. 103) Ment. II. *tumulos.* Tegi tumulo. 104) C. 1, 6. *aere.* Goth. III. *Nullum est.* Bigot. *vinctis.* Pier. aliq. *aere.* Cassus, privatus a careo. 105) Ven. *sociisque v.* Cum Latinus Aeneam in socium, hospitem et generum accepit. 106) C. 1. *aspernenda.* C. 7. *expernenda.* 107) C. 7. *veniam.* C. 7. *hoc.* Zul. *Persequitur.* Hug. *Praeseq.*

Quaenam vos tanto Fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacem me exanimis et Martis sorte peremtis
Oratis? equidem et vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent;
Nec bellum cum gente gero: rex nostra reliquit
Hospitia, et Turni potius se credidit armis.
Aequius huic Turnum fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat: his mecum decuit concurrere telis;
Vixet, cui vitam deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite, et miseris supponite civibus ignem.
Dixerat Aeneas. Olli obstupuere silentes;
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior semperque odiis et crimine Drances
Infensus juveni Turno sic ore vicissim
Orsa refert: O fama ingens, ingentior armis,
Vir Trojane, quibus coelo te laudibus aequem?
Justitiaene prius mirer, belline laborum?
Nos vero haec patriam grati referemus ad urbem;
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi. Quaerat sibi foedera Turnus.
Quin et fatales murorum attollere moles,
Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.
Dixerat haec, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies, et, pace sequestra,

---

109) C. 7. *quid.* 110) C. 7. *Pacemne.* 111) C. 8. *velle.* C. 7. *vivis equidem et.* 112) Nec veni, pro venissem. 113) Franc· *relinquit.* 114) Se credidit cogente Amata uxore. 115) C. 8. *fuerat Turnum.* C. 8. *marti.* Ven. *hinc.* Oud. *se ponere,* periculum mortis subire. 116) In C 8. hic vers. priori anteponitur. 117) C. 6, 1. *decuit mecum.* 118) C. 7. *Visset* pro vixisset. C. 7. *et sua.* 120) C. 7, 1, 6, 8. *Illi.* C. 6, 7. *obstipuere.* 121) Vulgo *conversos.* 122) C. 7. *Tunc* — criminationibus, quibus semper Turnus onerabat ex odio. 123) Plur. *Infestus.* Ment I. *Infensis.* Med. *Infensi.* 124) Armis, sc. rebus gestis. 125) C. 8. *te coelo.* 126) Rom. *Justitiane — labore.* Al *Justitiam — laborem.* 127) C. 1. *laeti referamus.* C. 7. *referimus.* Burm. duo *hoc.* 129) Ment. I. *foedere.* 130) C 1. *fatalis* 131) C. 1, 8. *Trojane.* Reg. *subvectari.* 132) Goth. 1. *unaq.* G III. *ferebant.* 133) Pace sequestra, induciarum fide. Sequester est arbiter inter duo litigantes.

Per silvas Teucri, mixtique impune Latini,
Erravere jugis. Ferro sonat icta bipenni
Fraxinus; evertunt actas ad sidera pinus;
Robora nec cuneis et olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
Et jam Fama volans, tanti praenuntia luctus,
Evandrum Evandrique domos et moenia complet,
Quae modo victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere, et de more vetusto
Funereas rapuere faces; lucet via longo
Ordine flammarum, et late discriminat agros.
Contra turba Phrygum veniens plangentia jungunt
Agmina. Quae postquam matres succedere tectis
Viderunt, moestam incendunt clamoribus urbem.
At non Evandrum potis est vis ulla tenere;
Sed venit in medios Feretro Pallanta reposto
Procubuit super, atque haeret lacrimansque gemensque,
Et via vix tandem voci laxata dolore est:
Non haec, o Palla, dederas promissa parenti! —
Cautius ut saevo velles te credere Marti! —
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et praedulce decus primo certamine posset. —
Primitiae juvenis miserae! bellique propinqui
Dura rudimenta! et nulli exaudita deorum
Vota precesque meae! tuque, o sanctissima conjunx,
Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem!

---

134) Med *silvam*. Goth. I. *Latinis*. Convertit se unusquisque ad suos mortuos curandos. 135) C. 1, 8. *acta*. C. 6. *alta*. Ferrum bipenne est securis utrinque acuta. 136) Dorv. *altas*. Mor. I. *ictas*. Fraxinus est arbor feralis. 137) Gud. *findere*. Ven. *caedere*. Mor. I. *quercum*. Robur est species durissimae quercus. Cedrum odoratum. 138) Sprot. *ornus*, fraxinos sylvestres. 139) Bigot. *volat*. 140) C. 1, 6, 8, 7. *replet*. 142) C. 7. *de more* sine *et*. 144) Mor. qu. *disterminat*. 145) C. 7. *veniunt*. C. 6. *jungit*. 146) Al. *tecto*. Pier. aliq. *succ. muris*, ingredi urbem. 147) C. 6. *incendant*, concitent clamores per urbem. 149) C. 1, 6, 8. *Pallante*. 150) Rom. *Procumbit*. 151) Heins. *Ut via*. Zul. *mox t*. Rom. *vocis*. 153) Rom. *aut saevo*. Goth. III. *te cr. bello*. 154) Hamb. I. *ign. enim*. 155) C. 6, 7. *possit*. Ven. *pr. in cert*. 156) Primitiae juvenis, sc. juvenilis virtutis. 157) C. 7. *Dira*. Rott. II. *clara r*. Hamb. II. *ex priorum*. 158) C. 1. *tu quae*.

Contra ego vivendo vici mea fata, superstes
Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis! animam ipse dedissem,
Atque haec pompa domum me, non Pallanta, referret!
Nec vos arguerim, Teucri, nec foedera, nec, quas
Junximus hospitio, dextras; sors ista senectae
Debita erat nostrae. Quod si immatura manebat
Mors natum: caesis Volscorum millibus ante,
Ducentem in Latium Teucros cecidisse juvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quam pius Aeneas, et quam magni Phryges, et quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenûm exercitus omnis.
[Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto.]
Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis:
Esset par aetas, et idem si robur ab annis,
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite, et haec memores regi mandata referte:
Quod vitam moror invisam, Pallante peremto,
Dextera caussa tua est; Turnum gnatoque patrique
Quam debere vides. Meritis vacat hic tibi solus
Fortunaeque locus. Non vitae gaudia quaero,
Nec fas: sed nato Manes perferre sub imos.
Aurora interea miseris mortalibus almam

---

160) C. 7. *vivendo juvant mea.* Zul. *facta.* Superavi naturalem ordinem longiore vita. 161) Men. I. *secutus.* 162) C. 8. *ipsam.* Al. *Obruerint*, *Obruerant*; sed utinam me ipsum obruissent. 163) Ment. I. *Pallante.* 164) Hamb. I. *Non vos.* Pier. aliq. *arguerem.* Goth. II. *arguero.* 165) Gud. *dextrae.* Zul. *fors.* Pier. ed. *illa.* 166) Franc. *matura.* 167 C 6, 8, 7. *gnatum.* Volsci erant hostes, finitimi Latinis et Rutulis ab oriente. 168) C. 7. *juvabat.* Burm. duo *in Latio.* Multi *juvaret*, cui verbo voluptas inest. 169) Sprot *dignor.* 171) Ven. *Turnumq.* 172) C. 1, 7, 8. *trophea* C. 6 7. *ferant.* Troes et Tyrrheni magna trophaa ferunt eorum, quos dedit tua dextera leto. 173) C. 7. *arvis.* 174) C. 7. *in annis.* Esset par aetas aut mihi, aut nato; sed ego senior sum, natus junior fuit, quam ut te vinceret. 175) Leid. *quod.* Hamb. *qui.* Ed. Mediol. *cur.* Heins. conj *quo.* Rom. *arvis.* 176) Rom. *Audite.* 177) Parrh. *Quod visam* Mont. *invitam.* 178) C. 1. *Dextra*, qua Turni caede Pallantis mei mortem es ulturus. C. 8, 7. *natoq.* 179) Mor. II. *Quem.* Men. II. *Quod.* Meritis, s. ut de me mereamini. 181) C. 8. *gnato.* Sed quaero nuntiare, Turnum interfectum esse. 182) Gud. *alma.* Goth. III. *armis.* Aurora, s. dies altera post pugnam, aerumnosis refulsit.

Extulerat lucem, referens opera atque labores.
Jam pater Aeneas, jam curvo in litore Tarcho
Constituere pyras: huc corpora quisque suorum
More tulere patrum; subjectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine coelum.
Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis,
Decurrere rogos; ter moestum funeris ignem
Lustravere in equis; ululatusque ore dedere.
Spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma.
It coelo clamorque virûm clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis derepta Latinis
Conjiciunt igni; galeas, ensesque decoros,
Frenaque, ferventesque rotas; pars munera nota,
Ipsorum clipeos, et non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora Morti;
Setigerosque sues raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes. Tum litore toto
Ardentes spectant socios, semiustaque servant
Busta; neque avelli possunt, nox humida donec
Invertit coelum stellis fulgentibus aptum.
Nec minus et miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxere pyras, et corpora partim
Multa virûm terrae infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt.

---

183) C. 8. *operaque.* 184) C. 6, 7. *Tarchon.* 185) C. 7. *hunc.* Pyras, rogos, busta, ligneas strues comburendis cadaveribus. 186) Ignibus atris propter fumum. 187) Plur. *in tenebris.* Goth. I. *C. interea.* 188) C. 7. *cuncti.* 189) Decurrere, ad pedites — Lustravere etc. ad equites spectare videtur, ut sic totus exercitus officio funebri erga socios fungeretur. 190) Burm. aliq. *ora*; al. *que* deest 192) C. 7. *In coelo.* 193) C. 8. *direpta.* C. 7. *Hic.* 194) C. 8. *galeasq.* C. 7. *decores.* 195) Franc. *pars m. vota.* Rotas currum hostilium, unde solebant principes viri pugnare; ferventes, quia solebant cursu incalescere. Munera ad honorem funebrem spectant. 196) Tela, quae suos dominos non defenderunt. 197) C. 8. *mactatur.* Hamb. I. *circum.* Ven. *mactabant.* Ven. *Marti* pro, Deae Morti. 198) C. 7. *Septigerosque.* 199) C. 7. *jugulantur.* Parrh. *flammas.* 200) C. 1, 8. *semustaq.* 201) Rom. *nec.* 202) C. 6, 7, 8. *ardentibus.* Cui coelo aptae et connexae sunt stellae. 203) C. 8. *misere.* Hug. *diversi.* 204) C. 1. *raptim.* C. 6. *passim* pro, partim, non semper. 205) Gud. *terrae fodiunt.* Ven. *advectaq.* Plur. *passim.* Erf. *raptim.* Al. *evecta.* 206) In C. 7. hic vers. ante priorem ponitur. Non uni omnia corpora, sed unumquodque suae.

Cetera, confusaeque ingentem caedis acervum,
Nec numero nec honore, cremant; tunc undique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam coelo dimoverat umbram:
Moerentes altum cinerem et confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terrae.
Jam vero in tectis, praedivitis urbe Latini,
Praecipuus fragor, et longi pars maxima luctus.
Hic matres miseraeque nurus, hic cara sororum
Pectora moerentum, puerique parentibus orbi,
Dirum exsecrantur bellum Turnique hymenaeos;
Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro,
Qui regnum Italiae et primos sibi poscat honores.
Ingravat haec saevus Drances, solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno; et magnum reginae nomen obumbrat;
Multa virum meritis sustentat fama tropaeis.
  Hos inter motus, medio in flagrante tumultu,
Ecce super moesti magna Diomedis ab urbe
Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum; nil dona, neque aurum,
Nec magnas valuisse preces; alia arma Latinis
Quaerenda, aut pacem Trojano ab rege petendam.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.

---

207) C. 7. deest hic vers. Caedis pro, caesorum. 208) C. 7. *neq.* Ven. *nunc.* Non numero inito, nec cum honore, quia indiscrete, nec singulis singuli rogis cremantur. 209) C. 7. *conlucet.* Parrh. *ign. atris.* 210) Zul. *demoverat.* 211) De cineribus eruebant. 212) C. 7. *trepidoque onerabat.* Ment. *trepidumq.*, cui tepida ossa inferebantur. 213) C. 1. *in* deest. C. 1. *ore Lat.* In domibus pro tectis. 214) C. 1, 6, 8, 7. *longe.* Franc. *Praecipimus.* 215) Nurus, uxor filii, vulgo sumitur pro juniore qualibet foemina, conjugio copulata. 217) Burm aliq. *durum.* Rom. *execratur.* 218) Goth. III. *discernere.* 219) Prim. hon., ut praeferatur in Laviniae matrimonio, eumque ea in regni successione. 220) C. 8 *drancos.* C. 7. *hoc.* Franc. *An gravat.* Mont. *hic.* Rom. *saevos.* Bigot. *saevis.* 221) Pier. aliq. *in certamine.* 222) Goth. III. *varii.* 223) Reginae, quae favebat Turno, sororis filio. Obumbrat, defendit. 224) C. 1, 7, 8. *tropheis.* 225) C. 7. *fragrante.* 226) C 8. *magni.* Super, s. insuper, super haec omnia. 227) Legati ad Diomedem Argyrippam missi. 228) C. 1, 6. *nec* 229) Parrh. *Nil.* 230) C. 8. *a rege.* C. 7, 6. *petendum*, sc. regimen gerundii.

Fatalem Aenean manifesto numine ferri,
Admonet ira deûm, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit.
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis et maximus aevo,
Et primus sceptris, haud laeta fronte, Latinus.
Atque hic legatos Aetola ex urbe remissos,
Quae referant, fari jubet, et responsa reposcit
Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
  Vidimus, o cives, Diomede Argivaque castra;
Atque iter emensi casus superavimus omnes;
Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam, patriae cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi:
Munera praeferimus, nomen patriamque docemus;
Qui bellum intulerint, quae caussa attraxerit Arpos.
Auditis ille haec placido sic reddidit ore:
O fortunatae gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii, quae vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicunque Iliacos ferro violavimus agros,
(Mitto ea, quae muris bellando exhausta sub altis,

---

233) Ira deum manifesta est ex multitudine caesorum, quae est ante ora. 234) C. 6. *Ergo in consilium.* 235) C. 8. *inter moenia.* 236) C. 7. *Cum venere.* Burm. aliq. *Illico.* Plur. *ruuntq.* 238) Ment. I. *Et primos*, pro, primus sceptro, s. imperio et dignitate, inter reges et duces copiarum, qui auxilio venerant. 239) Zul. *hinc.* Arpis, ab Aetolo Diomede conditis. 240) Al. *Quid referunt* vel *referent.* 242) Al. *inquit.* Venulus, qui ad Diomedem legatus fuerat. *Infit* interdum pro insit, incipit. 243) C. 1, 8, 7. *Diomedem*, qui filius fuit Tydei, nepos Oenei. Arg. castra pro urbe Argyrippa. 244) C. 6. *inter* C. 7 *emessi.* 246) Patria improprie dicitur. 247) C. 7. *agris.* Burm. aliq. *Garganii.* Franc. *Garganis — arvis*, sc. in tractu terrarum, quae ad montem Japycis pertingunt. 249) C. 8. *proferimus.* 250) Gud. *Quid* Goth. III. *attulerint.* Ver. *abtraxerit.* 251) Sprot. *Audistis.* Oud. *his pl.* Franc. *edidit.* 253) C. 1. *Ausonis*, s. Latini. 254) Lac. bella, movere, incerti exitus. 255) Rom. *f. populavimus.* Men. I. *vastavimus.* Quasi agri Trojani sacri fuerunt. 256) Dorv. *Mitto quae.* Goth. III. *Omitto muris.* Ed. Ven. *exacta.*

Quos Simois premat ille viros) infanda per orbem
Supplicia et scelerum poenas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus: scit triste Minervae
Sidus, et Euboicae cautes, ultorque Caphareus.
Militia ex illa diversum ad litus adacti,
Atrides Protei Menelaus ad usque columnas
Exsulat; Aetneos vidit Cyclopas Ulixes.
Regna Neoptolemi referam, versosque penates
Idomenei? Libycone habitantes litore Locros?
Ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivûm
Conjugis infandae prima intra limina dextra
Oppetiit; devictam Asiam subsedit adulter.
Invidisse deos, patriis ut redditus aris
Conjugium optatum et pulchram Calydona viderem!
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt aethera pennis,
Fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia!) et scopulos lacrimosis vocibus implent.
Haec adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt
Tempore, quum ferro coelestia corpora demens

---

257) Vulgo *premit*. Simois, fluvius Troadis. 259) C. 7. *sit*. Parrh. *m. domus*. Sidus, s. tempestas a Minerva excitata. 260) C. 8. *Caphareus*. C. 7, 6. *Caphereus*, Euboeae insulae scopulus. 261) C. 1, 6, 8. *abacti*. C. 7. *ad* deest. 262) Atrides, Atrei filius, divertit apud Proteum regem Aegypti, cujus limites vocantur columnae 263) Med. *Exolat*. Ulysses in Siciliam apud Cyclopas appulsus est, ubi mons Aetna. 264) Regna Neopt., Pyrrhi, Epiri regis, Achillis filii, qui ab Oreste Agamemnonis filio occisus est. 265) C. 8. *Lybicove*. Goth. I. *Libycosve*. C. 1. *habitantis*. Penates Idomenei, Cretensis regis, qui a suis pulsus est ob occisum filium. Locri, Graeciae populi circa Parnassum montem, Ajacis socii fuerunt. 266) Agamemnon, Mycenarum rex, Clytaemnestrae uxoris et Aegisthi adulteri insidiis occisus fuit. 267) C. 7. *lumina*. 268) C. 1, 6, 8, 7. *devicta Asia*. Subsidere est clam sedere in insidiis. 269) C. 1. *aris*. 270) C. 8. *pulchra*. Burm. duo *pulchrum*. C. 7. *videntem*. Conjugem Aegialeam. Calydona est urbs Aetoliae, quam Diomedes et avito jure possidebat, et armis domuerat. 271) Diomedis socii in illas aves, quae in insulis circa promontorium Apuliae Garganum frequentes sunt, finguntur commutati iracundi Veneris. 272) Plur. *admissis*. Goth. I. *admissi*. Ven. *admisi*. Rom. *pinnis*. 273) C. 7. *que* deest. 274) Oud. *clamosis*. 275) Zul. *Haec eadem*. Plur. *superanda*. 276) Plur. *T.*, *quo*. — Coel. corp., Venerem in vola manus Diomedes vulneraverat.

Appetii, et Veneris violavi vulnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama; nec veterum memini laetorve malorum
Munera, quae patriis ad me portatis ab oris,
Vertite ad Aenean. Stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clipeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo praeterea tales Idaea tulisset
Terra viros: ultro Inachias venisset ad urbes
Dardanus, et versis lugeret Graecia fatis.
Quidquid apud durae cessatum est moenia Trojae,
Hectoris Aeneaeque manu victoria Grajûm
Haesit, et in decimum vestigia retulit annum.
Ambo animis, ambo insignes praestantibus armis;
Hic pietate prior. Coëant in foedera dextrae,
Qua datur: ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quae sint, rex optime, regis
Audisti, et quae sit magno sententia bello.
Vîx ea legati; variusque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor: ceu, saxa morantur
Quum rapidos amnes, fit clauso gurgite murmur,
Vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis.
Ut primum placati animi, et trepida ora quierunt,
Praefatus divos solio rex infit ab alto:

278) C. 1. *impellere.* C. 7. *pellite.* Dorv. *Nunc vero.* 279) C. 1, 8, 6. *bellum est.* Al. *diruta*, *dirupta.* 280) C. 6. *nemini.* Leid. *laetorque.* Al. *laborum*, vel *dolorum*, graeca forma. 281) C. 1, 6, 8, 7. *portastis.* Munera sunt hominum, sicut dona Deorum. 283) Men. I. *manum.* 284) Ipse attollat clypeum suum. 285) C. 7. *duos.* Terra Troas, ubi mons Ida. 286) Men. II. *Achaicas.* Parrh *ad umbras.* 287) Rott. II. *Gr. campis.* Dardanus pro, Dardanius, et hoc pro Trojanis. 288) Quidquid, s. per omne tempus, per quod dilatum est bellum. 289) Dorv *v. distulit.* 290) In C. 1. hic vers. priori postponitur. Retardata et relapsa est, adeoque dubia fuit victoria Achivorum 292) Manuum apprehensione foedera inibantur. 293) Med. *concurrent.* 294) Vulgo *opt. regum.* 295) Bello, de bello, quod ad bellum attinet. 296) C. 7. *manusq.* Mor. qu. *varius super.* 297) Hamb. I. *tremor.* 298) Sprot *it cl.*, praecluso aquarum cursu saxorum objectione. 299) C. 7. *trepidantibus*; al. *strepitantibus.* 300) Hamb. I. *pacati.* Zul. *tepida.* Rom. *quierant.* 301) Zul. *rex dixit.* Goth. I. *jussit.* Romani frequenter orationum exordia ab invocatione Deorum sumebant.

Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, quum muros assidet hostis.
Bellum importunum, cives, cum gente deorum,
Invictisque viris, gerimus: quos nulla fatigant
Proelia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem, si quam adscitis Aetolûm habuistis in armis,
Ponite; [spes sibi quisque. Sed haec, quam angusta, videtis.]
Cetera qua rerum jaceant perculsa ruina,
Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.
Nec quemquam incuso. Potuit quae plurima virtus
Esse, fuit. Toto certatum est corpore regni.
Nunc adeo, quae sit dubiae sententia menti,
Expediam et paucis (animos adhibete) docebo.
Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni,
Longus in occasum, fines super usque Sicanos;
Aurunci Rutulique serunt, et vomere duros
Exercent colles; atque horum asperrima pascunt.
Haec omnis regio, et celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiae Teucrorum; et foederis aequas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus;
Considant, si tantus amor, et moenia condant.
Sin alios fines aliamque capessere gentem
Est animus, poscuntque solo decedere nostro:
Bis denas Italo texamus robore naves,

---

302) C. 8. *quidem.* Mont. *Latinis.* Statuisse pro, deliberasse. Latinus exponit hostilium virium magnitudinem, et proponit tres pacis conditiones. 303) C. 7. *in tempore.* 304) C. 8. consilium. C. 1, 6, 8, 7. *obsidet.* 305) Aeneas a Jove per Venerem ortus, Trojana gens a Jove per Dardanum. 306) Goth. III. *Injustisque.* 307) Pier. Obl. *p. decedere.* 308) C. 8. *accitis.* Aetolum, Diomedis sociorum, in Apulia sedentium. 309) C. 7. *quisque sibi.* 310) C. 7, 8. *percussa.* Pier. un. *Caet. quae*, sc. exercitum, auxilia. 311) C. 8. *nostras.* Omnia, quam afflicta sint, oculis manibusque tenetis, tanquam quod certissimum est. 313) Ed. Ven. *regnum*; sed corpore regni pro copiis. 314) Rott. II. *Hinc adeo.* 315) C. 1. *adhibere.* C. 7. *expediam, paucis.* 316) Zul. *qui pr.* Suadet Latinus cedi Trojanis agrum ad Tyberim. Agri opes olim heroibus erant. 317) Mor. II. *in occasu*; sed a Laurento in occasum spectat. 319) C. 8. *poscunt.* C. 7. *pascit.* Colles, sc. Albani. 320) Franc. *Hic.* 321) C. 6. *Caedat.* 324) C. 7. *aliamve.* C. 7. *capescere.* 325) C. 7, 6. *possunt.* 326) Goth. III. *robora*, pro quocunque duriore ligno.

Seu plures complere valent: jacet omnis ad undam
Materies; ipsi numerumque modumque carinis
Praecipiant; nos aera, manus, navalia demus.
Praeterea, qui dicta ferant, et foedera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu praetendere ramos;
Munera portantes aurique eborisque talenta
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.
Consulite in medium, et rebus succurrite fessis.
Tum Drances, idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, et lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens; genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat;
Surgit, et his onerat dictis atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram, nostrae nec vocis egentem,
Consulis, o bone rex. Cuncti se scire fatentur,
Quid fortuna ferat populi; sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatusque remittat,
Cujus ob auspicium infaustum moresque sinistros
(Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse urbem luctu: dum Troïa tentat
Castra, fugae fidens, et coelum territat armis.
Unum etiam donis istis, quae plurima mitti

---

327) C. 6. *undas*. Plur. *implere*; complere de copiis navalibus. 328) Sprot. *numerosque*. 329) Ceram, funes, vela et alias res navales. 330 Gud. *ferunt*. Hamb. I. *firmant*. 331) C. 8. *Latina*; al. *Latini*, minus bene. 332) Mor. II. *ramum*. 333 C. 6. *eburisq*. 334) Hic attingitur procul dubio mos Rom. populi, qui sellam mittebat regibus praecipuo munere. 336) Al *Tunc — infessus*, vel *infestus*. 337) Franc. *que* abest. Invidia obliqua, s. non manifesta ob metum. Oestro stimulante agitantur boves. 338) Parrh *et* deest. Lingua fortior, quam manu. 339) C. 7, 8. *futulis*. Pier. aliq. *actor*. 341) Plur *ferebant*. Incertum, sine nomine. 342) Goth. III. *auxerat*. Dorv. *agregat* pro auget odia in eum 343) C. 8. *nostri*. 345) C. 8. *petit*. C. 6, 7. *petat*. Sprot *populis et* 346) C. 6. *fatusq*. Flatus, de arrogantia. 347) Leid. *infandum*. Mores sinistri ad arrogantiam Turni referendi sunt. 350) Zul *Considisse*. Ment. II. *in luctum*. Parrh. *in luctus*; sed in luctum esse demersam. Leid. *Tr. captat*. 352) Franc. *mittis*.

Dardanidis dicique jubes, unum, optime regum,
Adjicias; nec te ullius violentia vincat,
Quin natam egregio genero dignisque hymenaeis
Des pater, et pacem hanc aeterno foedere jungas.
Quod si tantus habet mentes et pectora terror:
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso;
Cedat, jus proprium regi patriaeque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula cives
Projicis, o Latio caput horum et caussa malorum?
Nulla salus bello; pacem te poscimus omnes,
Turne, simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis, et esse
Nil moror, en supplex venio. Miserere tuorum,
Pone animos, et pulsus abi. Sat funera fusi
Vidimus, ingentes et desolavimus agros.
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis, et si adeo dotalis regia cordi est:
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia conjunx,
Nos, animae viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis. Et jam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum adspice contra,
Qui vocat.
    Talibus exarsit dictis violentia Turni;
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:

---

353) C. 8. *duciq.*; sed destinari. 354) C. 8. *unius sententia.* 355) C. 1. *himineus.* Goth. III. *egregius.* Dorv. *que* abest. 356) Mor. I. *Das.* Ven *hanc* deest. Franc. *huic.* Plur. *f. firmes.* Rott. II. *finges.* 357) Rom. *mentes.* Quodsi, quominus hoc faciat, Turni metu teneris. 358) Gud. *obtestamur.* Zul *rogemus.* 359) C. 6. *caedat.* Zul. *patrium.* Regi Latino ejusque populo jus suum remittat, quod in regiam puellam ipsi habent, ut possint eam matrimonio jungere, cui velint. 360) C. 7, 6, 8. *totiens.* Goth. III. *Qui.* 361) C. 7. *a Latio.* Mor. qu *laborum.* 362) Al. *pac. deposc.* 363) Pacis pignus, sc. Laviniam. 364) Ven. *Primus age.* Men. II *fingis obesse.* Ven. *inesse.* Invisum, inimicum 365) Franc *et supplex.* Zul. *veniam.* 366) Parrh. *fusus abc. Sat funere f.* Med. *funera fusis.* Gud. *funere fuso.* Pugna victum te fatere ac cede. 367) C. 1. *ingentis.* Gud. *despoliavimus.* 368) Goth. II. *At si.* 369) Med. *aut si.* Hamb. I. *at si.* Dotale regnum. 370) Rom. *aversum.* 371) Dorv. *Si licet.* 372) C. 7. *inflectaq.* Privata funebri honore, quod apud veteres miserrimum fuit. 373) C. 7, 8. *sternemur.* C. 1, 8. *etiam.* 374) Quid patriae virtutis ha bes. 375) Gud. *Quid v.* 377) Parrh *rupitq.*

Largaquidem, Drance, semper tibi copia fandi
Tum, quum bella manus poscunt; patribusque vocatis
Primus ades. Sed non replenda est curia verbis,
Quae tuto tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger moerorum, nec inundant sanguine fossae.
Proinde tona eloquio, solitum tibi; meque timoris
Argue tu, Drance; quando tot stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropaeis
Insignes agros. Possit quid vivida virtus,
Experiare licet: nec longe scilicet hostes
Quaerendi nobis; circumstant undique muros.
Imus in adversos! quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam merito, foedissime, pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Thybrim
Sanguine, et Evandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris, hostilique aggere septus.
Nulla salus bello. Capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis. Proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victae; contra premere arma Latini.

---

378) C. 8, 6, 1. *semper Drance.* C. 7. *Drances.* C. 8. *corpora.* Copia fandi notat facundum, non eloquentem. 379) C. 8. *Tunc.* 380) Franc. *complenda.* Goth. III. *implenda.* Non verbis, sed factis opus est. 381) C. 1. *destinet.* C. 8. *detinet.* 382) C. 1, 8, 6. *murorum.* C. 6. *fossas.* 383) C. 8. *solito.* C. 8. *neq.* C. 7. *eloquium.* Mont. *meque furoris.* 384) C. 1, *Arguito.* Quando, quandoquidem. 385) C. 1, 7, 8. *tropheis.* Mor. II. *Teucrum tot tua.* 386) C. 1, 6, 8, 7. *Insignis.* Goth. III. *invida v.* 387) C. 7. *libet.* 388) Zul. *Qu. vobis.* 389) Quin imus, eamus adversus hostes. 392) C. 8. *haud quisq.* Leid. *an q.* 393) C. 7. *Tibri.* Oud. *Arguit.* 394 Heins. tres *tota.* Sc. occiso Pallante ab ipso Turno. 395) C. 1. *Arcades.* 396) C. 8. *Bitius.* Ed. Ven. *Aut ita.* Med *et Pand. urguens.* Bit. et Pand., portae Trojanae custodes, quos interfecit Turnus, cum in eam urbem insiluit. 397 Franc. *Et quo.* 399) Goth. II. *N. manusbello*, sc. Aeneae et tibi. Jacta infaustum illud omen in Trojanos, in te ipsum, quia neque tibi, neque his per bellum salus sit. 401) C. 7. *Nec.* 402) Goth I. *et contra.* Bis victae ab Hercule, et a Graecis.

Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt,
Nunc et Tydides, et Larissaeus Achilles;
Amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas.
Vel quum se pavidum contra mea jurgia fingit
Artificis scelus, et formidine crimen acerbat.
Nunquam animam talem dextra hac (absiste moveri)
Amittes; habitet tecum, et sit pectore in isto.
Nunc ad te, et tua magna, pater, consulta revertor.
Si nullam nostris ultra spem ponis in armis;
Si tam deserti sumus, et semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressum:
Oremus pacem, et dextras tendamus inertes.
Quamquam, o, si solitae quidquam virtutis adesset,
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, et humum semel ore momordit.
Sin et opes nobis, et adhuc intacta juventus,
Auxilioque urbes Italae populique supersunt;
Sin et Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine: (sunt illis sua funera, parque per omnes
Tempestas) cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variique labor mutabilis aevi

---

403) C. 6, 1, 7. *tremescunt*. Dic, ut nobis timorem incutias, Myrmidonas, Diomedem, Achillem timuisse arma Trojana, qui nunquam illa timuerunt. Myrmidones, Tessali vel Aeginetae, Achillis milites. Phrygia, ubi Troas. 404) Tydides, Tydei filius Diomedes. Larissaeus s. Thessalus Achilles. 405) Dic Aufidum, Apuliae flumen, Trojanorum metu aquas retro egisse a mari Adriatico. 306) Jurgia sunt minae. 407) C. 6, 8. *acervat*. Artificis scelus pro scelesto artifice. 408) C. 8. *talem animam*. Goth. II. *subsiste*. Dorv. *dextra ac assiste*. Dextra hac, quae consuevit fortes occidere, non ignavos. 410) C. 6, 7. *magne*. Leid. *revertar*. 412) Hamb. II. *et si semel*. Gud. *et simul*. Tam deserti propter Diomedem, qui solus negavit auxilia. 413) Hamb. II. *regressus*. Leid *recursum*. 414) Zul. *reddemus*. 416) Hamb. II. *fort. malorum*, felix in malis, pro graecismo. 417) C. 8 *me quid*. 418) C. 8. simul. 419) Mont. *Quin et*. Ed. Ven. *Sunt et*. Goth. III. *vobis*. 420) Goth. III. *Itali p*. 421) Gloria pro victoria. 422) Hamb. I. *sint*. 423) Vix dum inito bello. 424) Mont. *Deficimur*. Antequam decretoria pugna tubarum sonitu indicta sit. 425) C. 6, 7, 8. *variusq*. Dorv. *variisq*. Aevum varium est, in quo fortuna varia jactamur.

Retulit in melius; multos alterna revisens
Lusit, et in solido rursus Fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Aetolus et Arpi:
At Messapus erit, felixque Tolumnius, et quos
Tot populi misere duces; nec tarda sequetur
Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.
Est et Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum, et florentes aere catervas.
Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantumque bonis communibus obsto:
Non adeo has exosa manus Victoria fugit,
Ut tanta quidquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra: vel magnum praestet Achillem,
Factaque Vulcani manibus paria induat arma.
Ille licet. Vobis animam hanc soceroque Latino
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devovi. Solum Aeneas vocat; et vocet oro.
Nec Drances potius, sive est haec ira deorum,
Morte luat; sive est virtus et gloria, tollat.
Illi haec inter se dubiis de rebus agebant
Certantes: castra Aeneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus implet:
Instructos acie Tiberino a flumine Teucros,
Tyrrhenamque manum, totis descendere campis.
Extemplo turbati animi, concussaque vulgi
Pectora, et arrectae stimulis haud mollibus irae.

---

426) Med. *multosq*. Franc. *recusos*. Fortuna alternatim ludit cum mortalibus. 427) Zul. *in solio*. In solido, in integrum restituit. 428) C. 7. *Aeolus* 429) C. 8. *Tolmunius*. augur, qui foedus disturbabit. Messapus est dux invulnerabilis aliquot Etruscorum. 430) C. 1, 6, 8, 7. *parva*. Bigot. *sequentur*. 431) C. 6. *dejectos*. 432) Camilla est dux Volscorum 433) Florentes, fulgentes. Signatur equitatus cathaphractorum militum. 434) C. 8. *certamine*. Hug. *Quos*. 437) Tanta pro spe, ut solus dicar servasse rempublicam. 439) Burm. duo *patria*. Aeneas habebat, quod ignorabat Turnus, arma Veneris rogatu a Vulcano fabricata. 440) Mor. I. *Ire lic*. Bigot *libet*. 441) C. 7. *secundis*. C. 7. *aut*. 442) Aeneas me solum vocat? et vero id opto; potius quam ut Drances aut laudis aut periculi mei particeps sit. 443) Mont. *cura deor*. 445) Parrh. *variis*. 446) Dorv. *movebant*. 447) Mor. II. *p. r. castra* 450) C. 8. *discedere*. Hug. *decedere*. 451) Rom. *animo*. Parrh. *confusaq*. 452) C. 7. *romulis*. Mont. *aures*.

Arma manu trepidi poscunt; fremit arma juventus.
Flent moesti mussantque patres. Hinc undique clamor
Dissensu vario magnus se tollit in auras.
Haud secus, atque alto in luco quum forte catervae
Consedere avium, piscosove amne Padusae
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Imo, ait, o cives, arrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium, et pacem laudate sedentes:
Illi armis in regna ruant. Nec plura locutus
Corripuit sese et tectis citus extulit altis.
Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis;
Duc, ait, et Rutulos. Equitem, Messapus, in armis,
Et cum fratre Coras, latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firment, turresque capessant;
Cetera, qua jusso, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota discurritur urbe.
Concilium ipse pater et magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt;
Multaque se incusat, qui non acceperit ultro
Dardanium Aenean, generumque adsciverit, urbi.
Praefodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subvectant; bello dat signum rauca cruentum
Buccina. Tum muros varia cinxere corona
Matronae puerique; vocat labor ultimus omnes.
Nec non ad templum summasque ad Palladis arces

---

454) C. 1. *Sic.* C. 8. *hinc.* C. 6, 7. *hic.* 455) Rott. III. *Dissessu.* Med. *ad auras.* 356) Hamb. II. *cum fronte.* 457) Parrh. *amni.* Oud. *piscosaeve.* Padus, maximum Italiae flumen. 458) Stagna, propter diffusas paludis in morem circa ostia Paludi, et variis fossis confluentes aquas. 459) Goth. III. *arrecto.* 460) C. 6, 8. consilium. Bigot. *sequentes.* 461) C. 6. 7. *ruunt.* Goth. II *ad tecta.* 462) Proripuit se. 463 Ed. Ven. *Tum Volsce.* Gud. *maniplos*, qui erant certi militum numeri, sub eodem signo pugnantes. 464) C. 1, 7, 8. *equites.* C. 7. *Huc.* Messapus, graece pro Messape; et Coras, pro Cora. 465) C. 1. *Latiis.* C. 8. *late.* Franc *effundite.* Cum fratre Catillo. 466) C. 1. *firmet turresque capessat* 467) Bigot. *qui.* Jusso, jussero. 469) Med. *magnum.* 470) Plures *quod non.* 471) C. 8. *que* abest. C. 1. *deceperit.* Bigot. *acceperat.* 473) C. 8. *Profodiunt.* Burm tres *Perfodiunt.* Goth. III. *ac s.* Servius refert ad fossas, et ad vallum ductum saxis stipitibusque humo adgesta 476) C. 8. *omnis.* Labor, s. dies ultimus vitae, libertatis aut servitutis. 477) Templa Palladis vulgo in arcibus, quarum inventrix dicitur.

Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens; juxtaque comes Lavinia virgo,
Caussa mali tanti, oculos dejecta decoros.
Succedunt matres, et templum thure vaporant;
Et moestas alto fundunt de limine voces:
Armipotens, praeses belli, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii praedonis, et ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis.
Cingitur ipse furens certatim in proelia Turnus.
Jamque adeo Rutulûm thoraca indutus aënis
Horrebat squamis, surasque incluserat auro,
Tempora nudus adhuc; laterique accinxerat ensem;
Fulgebatque alta decurrens aureus arce;
Exsultatque animis, et spe jam praecipit hostem.
Qualis, ubi abruptis fugit praesepia vinclis,
Tandem liber equus campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut assuetus aquae perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit cervicibus, alte
Luxurians; luduntque jubae per colla, per armos.
Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit; quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis. Tum talia fatur:
Turne, sui merito si qua est fiducia forti,
Audeo et Aeneadûm promitto occurrere turmae,

---

480) C. 6, 8. *malis tantis.* Rott. *oculis d. decoris.* Oculorum dejectio ex magno virginitatis decoro. 481) Ment. I. *tura.* 482) C. 8. *pectore.* Veteres in prima templi parte vota faciebant, qui Deos adibant, nec interiora intrabant. 483) C. 7, 8. *praesens.* Pallas praeses fuit urbium, artium, belli. 484) C. 8. *templum.* 485) C. 7. *funde.* 486) Hamb. I. *in funera.* 487) Thoracem induerat ex aere in squamarum speciem contextum. 488) Sura est pars tibiae carnosa, quae cum toto crure ocreis vestitur. 492) Exultans juvenis praeclare cum equo ferociente comparatur. 493 Dorv. *pratoq.* 494) C. 1. *equorum.* 495) Ven. *profundi.* Zul. *fl. toto.* Hamb. I. *nando.* 496) Rott. II. *altis.* 497) Oud. *lud. comae.* *Luxurians* dicitur de equo ferociente, exultante. 498) C. 1. *aut Volscorum*, qui jam vocati a Turno per Volusum fuerant 500) C. 8. *mutata reliquit.* Cohors. peditum, ut turma equitum. 501) C. 6 *Tunc.* C. 7. *terra.* Hamb II. *deflexit.* 502) Goth III. *meriti.* Ven. *audacia.* Si animus generosus habet jure aliquam in se confidentiam ex conscientia suae fortitudinis. 503) C. 7. *turnae.* Bigot. *turbae.* Rom. *turmis.*

Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros subsiste, et moenia serva.
Turnus ad haec, oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiae, virgo, quas dicere grates,
Quasve referre parem? sed nunc, est omnia quando
Iste animus supra, mecum partire laborem.
Aeneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia improbus arma
Praemisit, quaterent campos; ipse ardua montis
Per deserta jugo superans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite silvae,
Ut bivias armato obsidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis;
Tecum acer Messapus erit, turmaeque Latinae,
Tiburnique manus; ducis et tu concipe curam.
Sic ait, et paribus Messapum in proelia dictis
Hortatur sociosque duces, et pergit in hostem.
Est curvo anfractu valles, accommoda fraudi
Armorumque dolis: quam densis frondibus atrum
Urguet utrinque latus; tenuis quo semita ducit,
Angustaeque ferunt fauces aditusque maligni.
Hanc super in speculis summoque in vertice montis
Planities ignota jacet, tutique receptus:

506) Hug. *obsiste.* 507) C. 1. *fixas*; al. *fixos*, vel *oculis—fixis.* Horrenda, vel admiranda ob virginitatem sacram, vel horrenda ob arma, quae fert militaris foemina. 508) Rom. *grates.* 509) Ven. *Quasque.* 510) Supra omnia pericula et fortunae casus. 512) Improbus; audax. 513) C. 6. *parare.* Quaterent ad incessum equorum refert Heyne. Ardua montis deserta fors sunt extremae Albanorum montium partes. 514) C. 1. *proverans.* Men. II. *superas.* Hamb. II. *iugum superans.* Oud. *advenit.* 515) Leid. *convexa.* Furta, s. insidias belli in concavo, aut saltem curvo tramite. 516) C. 1. *obsideam.* Vrat *Ut binas.* 517) Tyrrh. equitem, qui praemissus erat ab Aenea, per planos campos. 518) Tecum erit Messapus cum equitibus aliquot Etruscis, quorum dux erat. 519 C. 1, 8. *Tiburtiq. manus*, sc. sub Catillo et Cora. Curam pro munere. 521) Hamb. I. *tendit.* 522) C. 1. *vallis*, sinuoso flexu, quae ex adversa Aeneae venienti parte in clivum assurgebat. 523) Silva densa, per quam angusta est semita 524) C. 8. *lacus.* C. 8. *utrumq.* 525) Bigot. *fremunt.* Maligni, angusti. 526) Plures *e spec.* pro, in collis vertice. 527) C. 8 *recessus.* Sprot. *Pl. inculta.* Ed. Med. *recussus.* Ignota Trojanis.

Seu dextra laevaque velis occurrere pugnae,
Sive instare jugis et grandia volvere saxa.
Huc juvenis nota fertur regione viarum,
Arripuitque locum et silvis insedit iniquis.
Velocem interea superis in sedibus Opim,
Unam ex virginibus sociis sacraque caterva,
Compellabat, et has tristes Latonia voces
Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, et nostris nequidquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias. Neque enim novus iste Dianae
Venit amor, subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno viresque superbas
Priverno antiqua Metabus quum excederet urbe,
Infantem, fugiens media inter proelia belli,
Sustulit exsilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillae, mutata parte, Camillam.
Ipse sinu prae se portans, juga longa petebat
Solorum nemorum; tela undique saeva premebant
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce, fugae medio, summis Amasenus abundans
Spumabat ripis; tantus se nubibus imber
Ruperat. Ille, innare parans, infantis amore
Tardatur, caroque oneri timet. Omnia secum
Versanti subito vix haec sententia sedit:
Telum immane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis et robore cocto;

---

528) Burm. aliq. *concurrere*; sed sic *pugna* esse deberet. 529) Dorv. *aut gr.* Ment II. *evolvere.* Leid. *involvere.* Rom. *vulnere.* Instare jugis, vel de jugo desuper urgere hostem adortum; vel stare in jugis ad volvenda saxa. 530) C. 8. *ratione.* C. 7. *Huic.* 531) C. 8. *sedit.* Mor. II. *Arripiuntque.* Hug. *insidit.* 532) Opim Nympham edidit in Dianae consortio, cum alias ipsius Dianae nomen fuerit. 533) Rom. *sacris sociaq. c.* 534) Plures *tristi.* Diana, Latoniae filia. 536) Armis, quibus Camilla in morem Dianae et Nympharum utitur. 537) Al. *Nec.* 538) Al. *subitave, subitique.* 539) C. 7. *virisq. superbis.* Ob invidiam, vel suam, vel subditorum in se. Vires superbas, sc. potentiam libertati civium infestam. 540) Privernum, urbs Volscorum, circa Pomptinas paludes, et Amazenum fluvium, paucis aliquot leucis a mari distans. 542) Parrh. *vocari.* Gud. *locavit.* 544) Juga longo tractu continuata. Sinus in amore. 545) C. 7. *petebant.* 546) Sprot. *pendebant m.* 547) Plur. *f. in medio* vel *fuga e media.* Parrh. *A. ab undis.* 548) Erf. *tantis.* 550) Sprot. *tardatus.* 552) Goth. II. *ferebat.* 553) C. 6 *coctu*; cocto, ligno duriore ad fumum exsiccato.

Huic natam, libro et silvestri subere clausam,
Implicat, atque habilem mediae circumligat hastae;
Quam dextra ingenti librans ita ad aethera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,
Ipse pater famulam voveo; tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit. Accipe, testor,
Diva tuam, quae nunc dubiis committitur auris.
Dixit, et adducto contortum hastile lacerto
Immittit: sonuere undae; rapidum super amnem
Infelix fugit in jaculo stridente Camilla.
At Metabus, magna propius jam urguente caterva,
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo donum Triviae de cespite vellit.
Non illum tectis ullae, non moenibus urbes
Accepere, neque ipse manus feritate dedisset:
Pastorum solis exegit montibus aevum.
Hic natam, in dumis interque horrentia lustra,
Armentalis equae mammis et lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, jaculo palma oneravit acuto;
Spiculaque ex humero parvae suspendit et arcum.
Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae,

---

554) C. 8. *cortice clausam.* C. 6. *clausa.* Sprot. *gratam.* Al. *Hic* vel *Huc.* Clausam, involutam cortice. Liber est cortex interior et tenuis — super vero arbor crassissimi ac levissimi corticis. 555) Habilem, ita ut pro jaculo emitti illa cum hasta posset. 558) C. 6. *famulum* pro, famulam, sacram Dianae. 559) C. . *simplex.* 560) Rott. II. *d. c. armis.* 561) Oud. *abducto.* Plures *contentum.* 562) C. 7. *et son.*, sc. aer super undis. 563) Infelix. 564) C. 7. *propius magna.* Plur. *jam* abest. 565) *Victor*, compos. voti, sc. flumine trajecto et filia servata. 566) C. 1. *tollit.* Donum, sc. Camillam, quam Triviae quasi dono salvam recipiebat; vel quam ipsi Triviae quasi donum voverat. *Trivia* est Dianae nomen, quia colebatur in triviis. 567) C. 7. *ullum.* Goth. I. *non ullae m.* Hamb. II. *montibus.* Ven. *urbis.* 568) Sprot. *Excepere.* Zul. *ille* m. — d., consensisset. 569) C. 6, 7. *Past. et* Parrh. *solus*, sc. exegit vitam in montibus, qui a pastoribus habitantur. 570) C. 6. *natum.* Lustra sunt cubilia ferarum in sylvis. 572) Hamb. 1. *immulcens.* Goth. III. *munera.* Equa, quae gregatim inter armenta versabatur. Lacte ferino, s. equino. 573) Med. *plantas.* 574) C. 6, 1. *armavit acuto.* 575) Goth. III. *parvo.* 576) Oud *t. vittae.* Vel reticulo aureo, quo virgines complecti capillos solebant; vel acu crinali, qua capilli discernuntur, vel alio capitis ornatu. Palla est pallium muliebre, apertum ac talare.

Tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent.
Tela manu jam tum tenera puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habena;
Strymoniamque gruem, aut album dejecit olorem.
Multae illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum; sola contenta Diana,
Aeternum telorum et virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros:
Cara mihi comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urguetur acerbis,
Labere, Nympha, polo, finesque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Haec cape, et ultricem pharetra deprome sagittam:
Hac, quicunque sacrum violarit vulnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine poenas.
Post ego nube cava miserandae corpus et arma
Inspoliata feram tumulo, patriaeque reponam.
Dixit; at illa leves coeli delapsa per auras
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
　At manus interea muris Trojana propinquat,
Etruscique duces, equitumque exercitus omnis,
Compositi numero in turmas. Fremit aequore toto
Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis
Huc obversus et huc; tum late ferreus hastis

---

580) Str gruem, quia frequens est id genus circa Strymonem, Macedoniae fluvium. 581) Mor. II *Multae jam f.* 582) Nurum, uxorem filii. 583) Mor. I. *honorem.* Aeternum sc. tempus, more Graecorum. 584) C. 6. *Intemerate.* 586) C. 7. *feret.* Goth. III. *Cura m.* 587) Rom. *quando equidem.* Plur. *f. urgemur iniquis.* 588) C. 1. *finisq.* C. 8. *invisa.* 589) Hamb. II. *ordine.* Goth. I. *pugnae.* 590) C. 8. *depreme.* C. 7. *Haec cape volucrem.* Ment. I. *victricem.* Al. *Hoc*, vel *Hanc*, sc. pharetram et arcum Opi. 591) Goth. *Ac* vel *Hanc.* Ment. I. *violaret.* Parrh. *violavit.* Sacrum, sc. virginem deae consecratam. 592) C. 6, 1, 7. *Italusq.* C. 1. *de sang.* 593) Hamb. I. *miserabile.* 594) C. 6. *repono.* 595) C. 8. *Dixerat; illa.* C. 7, 8 *levis.* C. 6, 1. *demissa.* C. 8. *dimissa* Med. et Ven. *Dixit et.* 596) Franc. *Advolat et virgo.* Zul. *Ins. longo.* Goth. III. *tegmine.* 597) Manus Trojana, sc. pedestre agmen, quod Aeneas ducebat. 598) Arcades equitatu valent. 599) C. 7. *nunc in turmas.* Zul. *Composito.* Sprot. *in turbas.* Turmae proprie erant triginta equitum. 600) Al. *pulsat*, *spumat hab.* *Pugnat* spectat ad reluctationem equorum. 601) C. 1. *conversus adhuc.* Hamb. I. *jam late.* Ferreus, sc. ad visum.

Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Nec non Messapus contra, celeresque Latini,
Et cum fratre Coras, et virginis ala Camillae,
Adversi campo apparent, hastasque reductis
Protendunt longe dextris, et spicula vibrant;
Adventusque virûm fremitusque ardescit equorum.
Jamque intra jactum teli progressus uterque
Substiterat: subito erumpunt clamore, frementesque
Exhortantur equos; fundunt simul undique tela
Crebra nivis ritu, coelumque obtexitur umbra.
Continuo adversis Tyrrhenus et acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt; excussus Aconteus,
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Praecipitat longe, et vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatae acies, versique Latini
Rejiciunt parmas, et equos ad moenia vertunt.
Troes agunt; princeps turmas inducit Asylas.
Jamque propinquabant portis, rursusque Latini
Clamorem tollunt, et mollia colla reflectunt;
Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus

---

604) Goth. II. *Corax.* Alae dicuntur equitum, quia ad similitudinem alarum ab utraque parte protegunt acies quandoque etiam de peditibus dicuntur. 605) Med. *reductas.* 606) Goth. II. *Projiciunt.* 607) Men. II. *et fr.* 608) Franc. *intus.* Ven. *iter.* Goth. II. *inter.* 609 C 1. *furentisq.* C. 6, 8. 7. *furentesq.* C. 7. *subitoque.* Hamb. II. *Substiterant.* Goth. III. *rumpunt.* Zul. *furentis.* 610) Zul. *fundit.* 612) C. 8. *Tyberinus.* Al. *adversus* vel. *adversi.* Tyrrhenus est nomen principis Etrusci proprium, ex Aeneae aut Tarchontis exercitu. 613) Hamb. 1. *Commixti.* Mor. I. *Connexi.* Bigot. *occurrunt.* 614) Mor. II. *ruina Dant sonitum ingentem*, sed irruunt. Franc. Dat. Al. *praefractaq.* Med *perfectaq.* Perfracta rumpunt pro, perfringuntur. 615) Bigot. *Expulsus.* 616) Med. *tormenti.* Goth. III. *aut torto.* Men. I. *actus.* 617) C. 7. *dispargit.* Goth. I. *spargit.* Ment. I. *disparsit.* Gud *dispersit.* Praecipitat pro, praecipitatur. 618) C. 1. *Extimplo.* 619) Mor. II. *Dejiciunt.* Hamb. II. *ad m. versant.* Ed. Med. *torquent.* Parmas, scuta brevia et rotunda, in tergum agunt. ut sese a persequentium jaculis in fugâ defendant. 620) Al. *invadit*, *invasit Asillas.* 622) Colla mollia domitorum equorum. 623) C. 8. *Ni.* C. 7. *datus.* 624) C. 7. *procumbens*, fluctu.

Nunc ruit ad terras, scopulosque superjacit undam
Spumeus, extremamque sinu perfundit arenam;
Nunc rapidus retro, atque aestu revoluta resorbens
Saxa, fugit, litusque vado labente relinquit.
Bis Tusci Rutulos egere ad moenia versos:
Bis rejecti armis respectant terga tegentes.
Tertia sed postquam congressi in proelia, totas
Implicuere inter se acies, legitque virum vir:
Tum vero et gemitus morientum, et sanguine in alto
Armaque, corporaque, et permixti caede virorum
Semanimes volvuntur equi; pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,
Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit.
Quo sonipes ictu furit arduus, altaque jactat
Vulneris impatiens arrecto pectore crura.
Volvitur i le excussus humi. Catillus Iolan,
Ingentemque animis, ingentem corpore et armis
Dejicit Herminium: nudo cui vertice fulva
Caesaries, nudique humeri; nec vulnera terrent;
Tantus in arma patet. Latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore.
Funditur ater ubique cruor; dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per vulnera mortem.
At medias inter caedes exsultat Amazon,
Unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla;
Et nunc lenta manu spargens hastilia denset,
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.

---

625) C. 6, 8, 7, 1. *terram*. Med. *superjacet unda*. 626) Ment. I. *sinus*. Ven. *profundit*. 627) Gud *resoluta*. Franc. *resolvens*. 628) C. 1 *latusq*. 619) Med. *Bis Teucri*. Hug. *versus*. 630) Goth. III. *t. sequentes* 631) C. 7. *totasque*. 633) Al. *Tunc*. Men. I. *ab alto*. Parrh. *s multo*. 635) Bigot. *sternuntur*. 636) Orsilochus Trojanus — Remulus Latinus. 637) Franc. *relinquit*. 638) Pier. aliq. *ferit — actaque*. 640) C. 1, 8 *Jollam* Catillus Tiburtinus. 644) C. 7. *petet*. Tanta sui parte patet in tela hostilia. 645) Ed. Burm. *Acta premit*. Pier. aliq. *viri tr dolorem*. Duplicat pro, inflectit. 646) Sprot *dant vulnera* 647) C. 7. *petiit*. Mors per vulnera habita semper honestissima. 648) C. 8 *Et*. Oud. *inter acies*. Amazon, exusta mamma dextra, sinistroque latere nudato 649) C 8. *exorta*. Rom. *exerta*. Franc. *ejecta*. Pugnae, ad pugnam. 650) C. 1, 7, 8. *densat*, sc. primae coniugationis, ut in altero casu secundae. Donat. *laeta*. 651) Parrh. *quatit*. Bipennis, securis utrimque acuta.

Aureus ex humero sonat arcus, et arma Dianae.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circum lectae comites, Larinaque virgo,
Tullaque, et aeratam quatiens Tarpeja securem,
Italides; quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras.
Quales Threïciae quum flumina Thermodontis
Pulsant, et pictis bellantur Amazones armis:
Seu circum Hippolyten, seu quum se Martia curru
Penthesilea refert, magnoque ululante tumultu
Feminea exsultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum aspera virgo
Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eunaeum Clytio primum patre: cujus apertum
Adversi longa transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriensque suo se in vulnere versat.
Tum Lirim, Pagasumque super: quorum alter habenas
Suffosso revolutus equo dum colligit, alter
Dum subit, ac dextram labenti tendit inermem,
Praecipites pariterque ruunt. His addit Amastrum
Hippotaden; sequiturque incumbens eminus hasta

652) C. 8. *humeris.* Arma Dianae venatoria, sagittae in pharetra, bipennis, hastilia. 653) Hamb. II. *recedit*, tergum dat. 654) Conv. arcu, more Parthorum, spicula fugiens. 655) Heins. alii. *Et.* Mor. I. *jactae.* Goth. II. *Laurina.* 656) C. 1, 6, 8. *securim.* C. 7. *Tellaq.* Interdum securis est missilis. 657) C. 8. *Italidos.* C. 7, 8. *diva.* 658) C. 6, 8. *bonae.* C. 7. *bonus.* Franc. *bono.* Oud. *belloque.* Franc. *ministrans.* 659) Thermodon est Cappadociae fluvius, in oram Euxini meridialem influens, glacie obductus; hinc pulsat; sed pro ripis flumen dictum est. 660) Bellantur pro, bellant 661) Hippolytes, Thesei uxor, Penthesileae soror, quae ob virtutem Martis filia credita est. 662) C. 8. *Pentesolea.* 663) Scutis brevissimis, in formam Lunae mediae praecisis. 664) Goth. III. *primo.* Virgo aspera respectu ferreae armaturae. 665 C. 8. *quod.* C. 1. *quot* deest. 666) C. 8. *Eumenium.* 667) Ment. I. *longo.* Hasta ex abiete, arbore. 668) Burm. unus *movens.* 669) C. 8. *se* deest. Hamb. I. *in verbere.* Goth. III. *in sanguine.* 671) C. 6, 7. *Suffuso*; sed colligit, ut equum ex vulnere cernuum retrahat. 672) C. 8. *inertem.* 674) C. 1. *Hippotoden*; *sequiturque incumbens*, quod refertur ad nisum emittentis hastam, qua petit Tereum etc.

Tereaque, Harpalycumque, et Demophoonta, Chromimque;
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornytus armis
Ignotis et equo venator Iapyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit; caput ingens oris hiatus
Et malae texere lupi cum dentibus albis,
Agrestisque manus armat sparus; ipse catervis
Vertitur in mediis, et toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum, neque enim labor agmine verso,
Trajicit, et super haec inimico pectore fatur:
Silvis te, Tyrrhene, ferus agitare putasti?
Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redarguerit. Nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillae.
Protenus Orsilochum et Buten, duo maxima Teucrûm
Corpora: sed Buten aversum cuspide fixit
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, et laevo dependet parma lacerto;
Orsilochum, fugiens magnumque agitata per orbem,
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem.
Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior exsurgens, oranti et multa precanti
Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitoque adspectu territus haesit,

---

675) C. 1. *Tromimq.* C. 8, 6. *Chronumq.* 677) Phrygii, Trojani – Ornytus, Etruscus, armis novis. 678) Gud *Ignotus.* Hamb. I. *Jaspide.* 679) Hoc genus armaturae olim in pretio ad ferocitatem ferendam et terrendos hostes. 682) C. 7. *spaniis* (?). Heins. *Agrestesq.* Hug. *Agrestique.* Sparus est telum rusticanum, in modum pedi pastoralis recurvum. 684) *Excipere* est verbum venatorum, quo insidiae feris positae indicantur 685) C. 7 deest hic vers. 686) Tyrrhene, e Tyrrhena gente. 687) Oud. *quae.* Ven. *nostra.* Bigot. *fides.* 688) C. 6, 1, 7, 8. *redargueret.* Verba, quibus fortitudinem vestram intemperanter jactatis. 689) Parrh. *referas.* 690) C. 1. *Orsilobem.* 691) C. 1, 8. *adversum.* Leid. *adversa.* 692) Franc. *intus.* Sedentis in equo. 693) C. 7. *dependit.* Lucent, apparent nuda in laevo humero. 695) El. g. int., breviore spatio atque ambitu reflectens sese. 696) Zul. *Dum v.* 697) C. 7. *exurges.* 698) Hamb. I. *ossa.* Ven. *cruore.* 699) Bigot. *huc.* Huic graece, in hanc.

Apenninicolae bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque ubi se nullo jam cursu evadere pugnae
Posse, neque instantem reginam avertere, cernit:
Consilio versare dolos ingressus et astu,
Incipit haec: Quid tam egregium, si femina forti
Fidis equo? dimitte fugam, et te cominus aequo
Mecum crede solo, pugnaeque accinge pedestri;
Jam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem.
Dixit; at illa furens, acrique accensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusque resistit in armis,
Ense pedes nudo, puraque interrita parma.
At juvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse,
Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
Vane Ligus, frustraque animis elate superbis;
Nequidquam patrias tentasti lubricus artes;
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Haec fatur virgo, et pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frenisque adversa prehensis
Congreditur poenasque inimico ex sanguine sumit.
Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis;
Tum cruor, et vulsae labuntur ab aethere plumae.

At non haec nullis hominum sator atque deorum

---

700) Apenninus est mons Italiae, Liguriam a septentrione ambiens. 701) C 8. *sinebat.* 702) C 6, 8. *pugnam.* 706) C. 1. *aeque.* Fugam, cursum celerem. 707) Pier aliq. *pugnaque.* 708) C. 8. *fraudem.* Bigot. *ventura.* Ventosa, vana gloria de pugnae equestris successu, cujus major pars equi praestantiae debetur. Cui, an tibi, ferat? 709) Goth. *Dixerat; illa.* Al. *incensa.* 710) C. 6, 8. *assistit.* C. 7. *restitit*; al *insistit.* Heins. conj. *paribus se sistit.* 711) Parma sine ornatu. 712) C. 8. *abvolat.* C. 7. *advolat.* Leid. *evolat.* 713) Men. I. *conversusq.* Al. *ferrato.* 715) C. 8. *Vana Ligur.* 716) Lubricus, fallax; Ligures sc. male audivere. Artes, s dolos. 717) C. 1. *fruste* (?). Ed. Ald. I. *proferet.* 718) Ignea, s. celere. 720) C. 6, 8. *a.* Al. *et.* 721) C. 7. *ancipiter.* Sprot *facilem* *Sacer* ob augurium ex eo avium genere capi solitum. 722) Columba est timidissima avis. 723) C. 7 *Complexamq.* Ven. *Convulsamq.* 724) C. 8. *Tunc.* Parrh. *pennae.* 725) Ven. *hoc.* Non nullis oculis, cum quibus omnia facile videt.

Observans oculis summo sedet altus Olympo.
Tyrrhenum genitor Tarchonem in proelia saeva
Suscitat, et stimulis haud mollibus injicit iras.
Ergo inter caedes cedentiaque agmina Tarcho
Fertur equo, variisque instigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans; reficitque in proelia pulsos.
Quis metus, o nunquam dolituri, o semper inertes
Tyrrheni, quae tanta animis ignavia venit?
Femina palantes agit, atque haec agmina vertit?
Quo ferrum, quidve haec gerimus tela irrita dextris?
At non in Venerem segnes, nocturnaque bella,
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes, et plenae pocula mensae,
(Hic amor, hoc studium) dum sacra secundus haruspex
Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.
Haec effatus, equum in medios, moriturus et ipse,
Concitat, et Venulo adversum se turbidus infert,
Dereptumque ab equo dextra complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
Tollitur in coelum clamor; cunctique Latini
Convertere oculos. Volat igneus aequore Tarcho,
Arma virumque ferens; tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum, et partes rimatur apertas,
Qua vulnus letale ferat: contra ille repugnans
Sustinet a jugulo dextram, et vim viribus exit.

---

728) C. 6, 8, 7 *incitat iras.* 729) C. 1. *cadentiaq.* C. 7, 6. *Tarchon.* 730) Mor. I. *vanisq.* Heins. conj. *irritat.* Gud. *iras.* 731) Bigot *in pr. fusos.* 732) Dolituri, infamiae sensum habituri. 734) C. 1, 7. *palantis.* Franc. *agitatque haec.* 735) C. 7 *geritis tela irrita*, quae sc. carent effectu. 736) Leid. *nocturnave*, sc. amantium. 737) C. 8. *tibea.* C. 7. *At ubi.* Leid. *inducit.* Bacchanalia sunt epulae ad sonitum tibiae Baccho sacrae. 738) Goth. I. *sacrosanctus.* 739) C. 8. *haec.* Burm. duo *vocat.* Haruspex ex inspectis hostiarum visceribus futura praedicit. 741) C. 1. *Fatus.* C. 6. *affatus.* Zul. *in medio.* Moriturus animi proposito. 742) C. 8. *offert.* Goth. III. *se adversum turb.*, sc. ira. Venulus e Latinis, qui ad Diomedem missus fuerat. 743) C. 6. *Direptumq.*, sed male. 744) Rom. *Egregium a. s.* 845) Heins. tres *ad caelum* 746) C. 8. *ingens.* C. 8. *Tarchon.* Aequore, planitie campi. 747) Ven. *cum.* Hamb. II. *illius.* 748) C. 1. *partis.* Parrh. *Defigit ferra.* 749) Rott. II. *ferit.* 750) C. 1. *Sust. et j.* Leid. *dextra.* Ed. Burm. I. *vis v. haesit.* Exit, evitat; hinc active.

Utque volans alte raptum quum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus haesit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squamis, et sibilat ore,
Arduus insurgens; illa haud minus urguet obunco
Luctantem rostro; simul aethera verberat alis:
Haud aliter praedam Tiburtum ex agmine Tarcho
Portat ovans. Ducis exemplum eventumque secuti
Maeonidae incurrunt. Tum fatis debitus Arruns
Velocem jaculo et multa prior arte Camillam
Circuit, et, quae sit fortuna facillima, tentat.
Qua se cunque furens medio tulit agmine virgo:
Hac Arruns subit, et tacitus vestigia lustrat;
Qua victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat:
Hac juvenis furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum, et certam quatit improbus hastam.
Forte sacer Cybelae Chloreus, olimque sacerdos,
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum: quem pellis aënis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse, peregrina ferrugine clarus et ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu;
Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati

---

751) Goth. I. *dapes atq.* 752) C. 7. *exit.* 753) C. 1. *et serp.* 754) C. 7 *arrectis* Burm. duo *haeret.* 755) C. 8. *adunco.* C. 1. *ab Auno*; al. *abunco.* 756) Ven. *summum aethera.* 757) Zul. *ex sanguine.* 758) Eventum pro fortuna — exemplum pro ductu. 759 Maeonidae, Tyrrheni, e Moeonia s. Lydia orti Fatis debitus, quia fatale erat mori illum, qui Camillam interficeret. Arruns ex Etruscis, quos Tarcho Aeneae adduxerat. 760) C. 8. *ante.* *Prior* ad *velocem* spectat. 761) C. 1. 8. *Circumiit.* 762) C. 6, 1. *ferrens.* Pier. aliq. *Quo.* Bigot. *se cuiq.* 763) Mor. II. *Huc.* Ed. Med. *armis subit.* 765) C. 7. *Ac.* C. 7. *celeres furtim.* 766) Gud. *atq. hos* 767) Goth. II. *circuitu.* 768) C. 6, 8, 7. *Cybelo.* C. 1. *Choreus.* C. 8. *Chyloreus.* Cybele est dea deorum mater. 770) Equum sc. cataphractum. 771) Goth *Implumem.* Zul. *scamis.* Loricae equi erant ex corio, cui insertae erant aereae squamae oblongae ad plumarum formam. 772) Purpura Iberica, ferruginea et subnigricante. 773) Lyceo Gortynea, species pro genere. Arcus enim insignes e cornea materia, e Lycia Asiae regione. Cortynos, urbs Cretae, sagittandi arte floruit. 774) Gud. *ex humero.*

Cassida; tum croceam chlamydemque sinusque crepantes
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, et barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis praefigeret arma
Troïa, captivo sive ut se ferret in auro,
Venatrix, unum ex omni certamine pugnae
Caeca sequebatur; totumque incauta per agmen
Femineo praedae et spoliorum ardebat amore:
Telum ex insidiis quum tandem tempore capto
Concitat, et superos Arruns sic voce precatur:
Summe deûm, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur, et medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna;
Da, Pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. Non exuvias, pulsaeve tropaeum
Virginis, aut spolia ulla peto. Mihi cetera laudem
Facta ferent. Haec dira meo dum vulnere pestis
Pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbes.
Audiit, et voti Phoebus succedere partem
Mente dedit: partem volucres dispersit in auras.
Sterneret ut subita turbatam morte Camillam,
Annuit oranti: reducem ut patria alta videret,
Non dedit; inque Notos vocem vertere procellae.

---

775) C. 1. *chlamydem*. C. 1. *crepantis*. Parrh. *sonatq. crep.* Cassida est nomen primae declinationis, deductum ex accusativo nominis tertiae. 777) Tegmina crurum sunt ocreae barbarorum more, sc. Phrygum. 778) C. 8. *ut tempus.* Men. I. *Tunc*. 779) Fastus amantissimae foeminae. 781) C. 6, 1. *incensa*. Parrh. *Certa s.* 782) Pem., s. impatienti ardore. 783) Dorv. *tam*. Parrh. *rapto*. Goth. III. *cauto.* 784) C. 6, 8. *Conjicit*. 785) Hamb. I. *sacri*. Soractes est mons Etruriae in agro Falisco, ad occidentalem ripam Tyberis, ad septemtrionem Romae, ubi templum Apollinis fuit. 786) Oud. *primum*. Pineus ardor sunt prunae, e pinu succensa excitatae. *Primi* pro praecipue. *Acervum* pro strue lignorum. 787) C. 1, 8. *et* deest. 788) C. 7. *prima*. 790) C. 6, 1, 7, 8. *tropheum*. C. 7. *Nonne*. Pulsae, s. victae. 791) C. 7. *at*. Goth. I. *haud sp.* 792) C. 1. *ferant*. Parrh. *modo dum*. 793) C. 8. *cadit*. Inglorius nulla caede nobilis. 795) C. 1, 8. *volucris*. Dorv. *disperdit*. Mente, decreto animi concessit. 796) Hamb. II. *in subita*. Oud. *turb. voce.* 797) C. 8. *Adimit*. Alta s. nobilis. 798) *Notos*, speciem pro genere, ventos meridionales pro quibuslibet.

Ergo, ut missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Convertere animos, acres oculosque tulere
Cuncti ad reginam Volsci. Nihil ipsa neque aurae,
Nec sonitus memor, aut venientis ab aethere teli:
Hasta sub exsertam donec perlata papillam
Haesit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidae comites, dominamque ruentem
Suscipiunt. Fugit ante omnes exterritus Arruns,
Laetitia mixtoque metu; nec jam amplius hastae
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montes sese avius abdidit altos,
Occiso pastore, lupus, magnove juvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, silvasque petivit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns,
Contentusque fuga mediis se immiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit; ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat vulnere mucro.
Labitur exsanguis; labuntur frigida leto
Lumina; purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam, ex aequalibus unam,
Alloquitur; fida ante alias quae sola Camillae,
Quicum partiri curas; atque haec ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui; nunc vulnus acerbum
Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge, et haec Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnae Trojanosque arceat urbe.
Jamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,

---

799) Med. *ubi m.* 800) C. 1, 8. *acris.* Vrat. *alacres.* 801) C. 8. *auras.* C. 6 *aura.* C. 7. *actis* 802) Goth III. *aeth. coeli.* 803) C. 8 *excitam.* C. 1. *pupillam.* Goth. III. *Hasta per.* Rom. *expertam.* Goth. II. *perlapsa* Rott. II. *mamillam.* Est *mamma* exserta, humero dextro nudato. 805) Hug. *comitem.* Leid. *cadentem* 806) C. 8. *exterritus armis.* 807 C. 1. *mixtaq.* 808) Plur. *concurrere.* 809) Plur. *quem.* Zul. *sequatur.* Gud. *sequuntur.* 810) Mor. I. *abvius.* Goth III. *obvius.* 811) C. 8 *magnoq.* 812) Gud. *remulgens*, reflectens. 813) Mor. II. *subjectat.* Zul. *pavitans.* Hug. *uterum.* Men. II. *silvisq* 814) Zul *abdidit.* 815) S. concitatus fuga, s. contendens fugam. 818) Vrat. L. *exanimis.* 819) Leid. *calor ossa*; al. *relinquit.* 820) C. 7. *Tunc.* 821) Med *fidam.* 822) C. 1, 7, 8. *Quacum.* 823) Hamb. II. *valui*, viribus. 724) Leid *ex tenebris.* 825) C. 8. *profer.*

Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paullatim exsolvit se corpore, lentaque colla
Et captum leto posuit caput, arma relinquens;
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum vero immensus surgens ferit aurea clamor
Sidera; dejecta crudescit pugna Camilla;
Incurrunt densi simul omnis copia Teucrûm,
Tyrrhenique duces, Evandrique Arcades alae.
At Triviae custos jam dudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.
Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam:
Ingemuitque deditque has imo pectore voces:
Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello!
Nec tibi desertae in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras.
Non tamen indecorem tua te regina reliquit
Extrema jam in morte; neque hoc sine nomine letum
Per gentes erit, aut famam patieris inultae.
Nam quicunque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum;
Hic dea se primum rapido pulcherrima nisu

---

828) Rott II. *ruens*. Zul. *Cum*. 829) Ment. I. *solvit*. Hamb. I. *se pectore*, *lentaque* colla, in qua lentitie videtur spectare ad tacitam florum, aut papaveris comparationem. 830) Rom. *reliquit*. Caput leto victum. 831) C. 1. *umbris*. Goth. I. *venit i*. Qui moriuntur indignabunde, dicuntur mori cum gemitu. 834) Multi *Concurrunt*. 835) C. 8, 1. *Tirreniq*. C. 8. *Arcadis* 836) Custos, Dianae comes, quae colebatur in triviis. 838) Leid. *Atq*. Bigot. *juvenem*, sc. bellatorem. 839) C. 7. *cumulatam*. Al. *mulctatam*, *mutatam*. 840) Dorv. *Ingemit*, *et dedit has*. 841) C. 7. *virgo nimium*. 843) Vrat. *Dianae*. Dumi, i. e. sylvae et luci sunt campi pars Dianae sacrae. 844) C. 6, 7, 8. *sagittas*. 845) C. 6, 1, 7. *relinquet*. C 8. *relinquit*. 846) Plur *numine*. 847) C. 7. *inultam*. Mont. *patiaris*. Non morieris inulta. 848) Nunquam atrocius mortales puniebant Dii, quam cum violassent, quae sibi essent sacra. 849) C. 1. *luat*. Goth. II. *licet*. Med. *arto*. 850) C. 1. *Dyrceam*. C. 8. *Discenni*. C. 6. *thyrrheno*. C. 7. Regis, reliqua huius vers. desunt. Med. *Dercerni*; al. *Dircerni*. Bustum pro sepulchro. 852) Franc. *nixu*. Goth. III. *cursu*.

Sistit, et Arruntem tumulo speculatur ab alto.
Ut vidit fulgentem armis, ac vana tumentem:
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum;
Huc periture veni: capias ut digna Camillae
Praemia, tuque etiam telis moriare Dianae.
Dixit, et aurata volucrem Threissa sagittam
Depromsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curvata coirent
Inter se capita; et manibus jam tangeret aequis,
Laeva aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem aurasque sonantes
Audiit una Arruns, haesitque in corpore ferrum.
Illum exspirantem socii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt:
Opis ad aetherium pennis aufertur Olympum.

Prima fugit, domina amissa, levis ala Camillae;
Turbati fugiunt Rutuli; fugit acer Atinas;
Disjectique duces desolatique manipli
Tuta petunt, et equis aversi ad moenia tendunt.
Nec quisquam instantes Teucros letumque ferentes
Sustentare valet telis, aut sistere contra;
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus,
Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.

---

853) C. 8. *Sist.*, *ac.* Hamb. II. *Aruntem tumidum.* 854) C. 7. *timentem.* Med. *laetantem animis.* Vana pro, vane. 855) C. 1. *gressus.* Zul. *adversus.* Diversus pro, in diversa. 856) Poenam meritam Camillae morte. 857) C. 8. *Tum.* C. 1 *tute.* C. 6, 7. *tune.* C. 8. *morire.* C. 6, 7. *moriere.* 858) C. 7. *auratam.* Mor. II. *at aur.* Threissa Opis, forte tanquam una e puellis Hyperboreis. 859) C. 1. *Depressit.* C. 8. *depromit.* Hug. *incensa.* Infenso animo. 860) Dorv. *Eduxit.* 861) C. 6. *tenderet.* Aequis, aeque. 862) Vat. fr. *Laevam aciem.* 863) C. 1. *Extimplo — sonantis.* 864) Franc. *exitq.* 866) C. 8. *littore.* Obliti, non curantes prae fugiendi studio. 867) Oud. *defertur.* 868) Ala militaris ex equitibus constat. 869) C. 1. *Jamus.* Hamb. II. *Acernas.* 870) C. 7. *Defectiq. — manipli*, turmae equitatus dispersione et fuga vastatae. 871) C. 8. *versis.* C. 6. *adversa.* C. 7. *adversi.* Ven. *turbata ad m.* Insinuatur fuga illa, qua Volsci in urbem suam Coriolos abrepti sunt, quorum fugientium tergis haesit Coriolanus cum ingenti caede ad portas usque. 872) C. 1. *ferentis.* C. 7. *Ne.* In manibus ferunt ferrum, a quo lethum. 873) Parrh. *aut tendere.* 874) C. 1. *humeros.* Vrat. *lapsos.* 875) Putrem, qui in pulverem resolvitur.

Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis, et e speculis percussae pectora matres
Femineum clamorem ad coeli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi irrupere patentes,
Hos inimica super mixto premit agmine turba;
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Moenibus in patriis, atque inter tuta domorum,
Confixi exspirant animas. Pars claudere portas;
Nec sociis aperire viam, nec moenibus audent
Accipere orantes; oriturque miserrima caedes
Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.
Exclusi, ante oculos lacrimantumque ora parentum,
Pars in praecipites fossas, urguente ruina,
Volvitur; immissis pars caeca et concita frenis
Arietat in portas et duros objice postes.
Ipsae de muris summo certamine matres,
Monstrat amor verus patriae, [ut videre Camillam,]
Tela manu trepidae jaciunt; ac robore duro
Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis
Praecipites, primaeque mori pro moenibus ardent.

Interea Turnum in silvis saevissimus implet
Nuntius, et juveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostes, et Marte secundo
Omnia corripuisse; metum jam ad moenia ferri.
Ille furens (et saeva Jovis sic numina poscunt)

---

876) Pulvis excitatus. 877) C. 1. *e muris.* Rott. III. *perculsae.* Heins. un. *percusso.* E speculis, e muris. 880) Super, a tergo. 881) C. 1. *si limine.* Goth. III. *in primo.* 882) Multi *intra.* 883) Med. *et spirant.* Zul. sine *et.* 884) Ven. *audet.* Nec moenibus, sc. portis, urbe. 885) C. 7, 1. *orantis.* 888) C. *urgente*, sc. soli. C 7. *surgente.* 890) Goth. II. *Arcitat.* Arietat in portas obviis quibusdam aut trabibus, aut molaribus impactis. 892) C. 1. *et videre* Hamb. II. *Constat.* Monstrat, insignem reddit 893) Bigot *trepida*, festinabunda. Robore quovis ligno duriore. 894) Imitantur ferrum, utuntur ferro 895) C. 6, 8, 7. *audent.* Praecipites, ut trepidae, studium ac festinationem declarat. 896) Nuntius pro re nuntiata. 899) C. 8. *hostis.* 900) Mor. II. *O corrip. metum: iam.* Men. I. *metu.* 901) Med. *nomina.* Rom. *pellunt.* Duplici de causa reliquit insidias, quibus Aeneam deprehendere et bellum conficere mox potuisset, nempe ob praecipitem furorem, et ob numina Jovis, et vim fatorum Aeneae faventium.

Deserit obsessos colles, nemora aspera linquit.
Vix e conspectu exierat, campumque tenebat:
Quum pater Aeneas, saltus ingressus apertos,
Exsuperatque jugum, silvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt,
At simul Aeneas fumantes pulvere campos
Prospexit longe, Laurentiaque agmina vidit;
Et saevum Aenean agnovit Turnus in armis,
Adventumque pedum flatusque audivit equorum.
Continuoque ineant pugnas, et proelia tentent:
Ni roseus fessos jam gurgite Phoebus Hibero
Tinguat equos, noctemque die labente reducat.
Considunt castris ante urbem, et moenia vallant.

---

902) C. 6, 7. *collis.* Bigot. *avia.* Mor. I. *liquit.* Goth. II. *linquent.* 903) Med. *camposq.* 904) Parrh. *Tum p.* Saltus vacuos ab hoste. 905) Pier. aliq. *invadit.* Plures *silvasq.* — *opacas.* 907) Mor. I. *passibus ibant.* 908) C. 6, 1, 7. *fumantis.* Al. *At s.* 910) Zul. *cognovit.* Gud *conspexit.* 911) Med. *Adventusq.* Rom. *flatumq.* 912) Ineant — tentent pro, inivissent — tentassent. 913) C. 8. *fessus.* Iberia s. Hispania ad occidentem Italiae objacet. 914) C. 7, 8. *tingat.* 915) Moenia circumambiunt, Trojani ut oppugnent; Rutuli ut defendant.

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER DUODECIMUS.

Turnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis: ultro implacabilis ardet,
Attollitque animos. Poenorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento:
Haud secus accenso gliscit violentia Turno,

LIBER DUODECIMUS.

1) Infractos, victos; al. invictos. 2) Promissa, quibus ad singulare cum Aenea praelium se obstrinxerat. 3) C. 8. *Designari.* Med. *oculos.* 4) Men. II. *Attollit se.* Poenorum, Afrorum circa Carthaginem, quia e Phoenicia cum Didone profecti sunt. 5) C. 8. *venatum.* Hamb. II. *v. v. corpus.* Ille, sc. magnus aliquis leo. 6) C. 6, 7. *comantis.* Men. I. *movet ora.* Zul. *comata.* Arma sunt uniuscuiusque vires, et ad agendum instrumenta; hic leonis ungues et dentes. 7) C. 8. *troes.* Ment. *Excutiet.* Toros, eminentias musculorum nodosas ac tumentes, circa cervicem aliasque corporis partes. Fixum, sc. in vulnere, venatoris, qui ex insidiis eum aggressus est. 8) Franc. *fregit.* 9) Parrh *adverso g.* Med. *gliscet.*

Tum sic affatur regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno; nihil est quod dicta retractent
Ignavi Aeneadae; nec, quae pepigere, recusent.
Congredior. Fer sacra, pater, et concipe foedus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,
Desertorem Asiae, (sedeant spectentque Latini)
Et solus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos, cedat Lavinia conjunx.

Olli sedato respondit corde Latinus:
O praestans animi juvenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tanto me impensius aequum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu; nec non aurumque animusque Latino est.
Sunt aliae innuptae Latio et Laurentibus agris,
Nec genus indecores. Sine me haec haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis; simul hoc animo hauri.
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, idque omnes divique hominesque canebant.
Victus amore tui, cognato sanguine victus,
Conjugis et moestae lacrimis, vincla omnia rupi:

---

10) C. 6, 7. *Tunc* C. 6. *inquit.* 11) C. 6. *nil.* Parrh. *quo dicta.* Sprot *dona r.* Zul. *retardent.* Retractent, revocent fidem datam. 13) Oud. *tu c. f.* Vrat. *consere* Goth. III. *fidus.* Concipe foedus, rem transige conceptis verbis solemnibus. 14) C. 7. *Aut hac ad.* Goth. III. *A. fac.* Tartara, inferorum pars infima. 15) Transfugam Asiae, s. Troadis, quae est in minori Asia. *Sedeant*, ad ignaviam exprobrandam accommodatum. 16) Plures *repellam* criminationem Turni ab omnibus factam. 17) C. 6. *caedat.* Heins. quatuor *victor.* Franc *Laurentia.* 18) C 1 *Illi.* 19) Pier. *quoniam ipse*, quippe juvenis, cujus propria temeritas et ferocitas animi. 20) C. 7. *aequum.* Al. *tantum.* Plur. *me* et *est* abest. 21) Zul. *metuenti* 22) Si propter regnum dimicare vis, habes paternum; si propter gloriam, multos virtute superasti. 23) Si aurum insuper cupis, mihi aurum est et propensa voluntas, largiendi tibi. 24) C. 8. *nuptae.* C. 8 *arvis.* Non solum in Latio, sed etiam in finibus adhuc agri Laurentini 25) C. 8. *aut* C. 1, 8. *fata.* C. 6. *haud haec.* 26) C. 1. *hoc.* 27) *Veteres* respectu advenae Aeneae. 28) C. 1. *Diiq.* C. 6. *homines Divique* 29) Cognato sanguine, quia Venilia, mater Turni, soror erat Amatae. 30) Vincla, sc. religionis et foederis.

Promissam eripui genero; arma impia sumsi.
Ex illo qui me casus, quae, Turne, sequantur
Bella, vides; quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe tuemur
Spes Italas; recalent nostro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor toties? quae mentem insania mutat?
Si Turno exstincto socios sum adscire paratus:
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia; ad mortem si te (Fors dicta refutet)
Prodiderim, natam et connubia nostra petentem?
Respice res bello varias; miserere parentis
Longaevi, quem nunc moestum patria Ardea longe
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur; exsuperat magis, aegrescitque medendo.
Ut primum fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas, letumque sinas pro laude pacisci
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, et nostro sequitur de vulnere sanguis.
Longe illi dea mater erit, quae nube fugacem,
Feminea tegat; et vanis sese occulat umbris.

---

31) C. 1. *eripuit*. C. 7. *generoq.* Aeneae per legatos promiserat filiam. 32) Oud. *sequentur.* Franc. *sequuntur.* 33) Med *patiere.* 34) Goth. I *turba vix.* Pugna prima in exscensu navium, ubi occisus ab Aenea Mezentius, fugatus Turnus; secunda equestri, ubi cecidit Camilla. 35) Goth. I. *nostro recalant*, pro iterum calent. 36) Hug. *ossa implent* 37) Rott. II. *Quid.* Sprot *referens* Men. I. *versat.* Goth. III. *mittat.* Hug *sepit* Reveror, avocor a consilio semel capto. 38) Zul. *Turni exstinctu.* 40) Men. I *discet.* Rom. *dicit.* 41) Rott. III *Sors.* Mont. *Fors dura.* Goth. III. *recuset.* 42) Bigot. *Perdiderim.* 43) Men. I. *belli.* Parentis longaevi, Dauni. 44) C. 8. *quae nunc.* Urbs Rutulorum regia est Ardea. 45) C. 8. *quicquam.* C. 7. *aut quaquam.* 46) C. 6. *et superat.* Med. *ardescitq. tuendo* Medendo, passive, dum ei medicina quaeritur a Latino. In hac Turni violentia exsuperante alludit ad naturam ignis. 47) C. 1, 6, 8. *incipit.* 48) Parrh *causam g.* 49) Leto redimere gloriam. 50) C. 7. *aut.* Goth. III. *dextram.* 51) Vulnere, quod ego infero. 52) Dea mater Venus, quae a Diomedis impetu Aeneam objecta nube defendit. 53) C. 7. *occulet.*

At regina, nova pugnae conterrita sorte,
Flebat; et ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrimas, per si quis Amatae
Tangit honos animum: (spes tu nunc una, senectae
Tu requies miserae; decus imperiumque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit)
Unum oro: desiste manum committere Teucris.
Qui te cunque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent. Simul haec invisa relinquam
Lumina, nec generum Aenean captiva videbo.
Accepit vocem lacrimis Lavinia matris
Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignem
Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus;
Ardet in arma magis, paucisque affatur Amatam:
Ne, quaeso, ne me lacrimis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater: neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius haec Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer: Quum primum crastina coelo
Puniceis invecta rotis Aurora rubescit:
Non Teucros agat in Rutulos. Teucrûm arma quiescant

54) Goth. III. *contraria*. Nova sorte pugnae, sc. singulari certamine. 55) C. 8. *movebat*. Mont. *monebat*. Moritura, tanquam quae mori decrevisset, nisi ille flecteretur. 56) Oratio Amatae ad Turnum, Veniliae sororis suae filium. 57) Hamb. II. *spes te*. 58) C. 1. *spes imperiumq*. 59) Tu columen es, tanquam futurus gener. 60) In C. 6. hic vers. priori antepositus est. *Teucris* pro Teucro, Aenea. 63) Haec lumina pro, hanc vitam. Captiva s. obnoxia. 64) Heins. *Excepit*. 65) C 6, 1, 7. *Flagrantis*. C. 7. *ignes*. 67) Violaverit, pro tinxerit, indum, ebur e dentibus elephantorum, qui frequentes in India. Ostro, purpura ex ostreo expressa. 68) C. 1. *vel mixta*. 70) C. 6. *vulnere*. Bigot. *tardat*. Med. *fugitq*. Sprot. *vultum*. 71) Ardet, sc. post visam Laviniam. 72) Ven. *Nec*. Parrh. *ne me*. Lacrymae sunt. 73) Hamb. I. *diri*. Oud. *diro certamine*. 75) C. 8. *Nuntius hic*. Ven. *Acmon*. 76) C. 7. *refers*, haud placitura tanquam ignavo Aeneae. 77) C 1, 6, 8, 7. *rubebit*. Parrh. *rubescet*. Puniceis, rubris. 78) Hamb. II. *quiescent*. Men. II. *quiescunt*.

Et Rutulûm. Nostro dirimamus sanguine bellum.
Illo quaeratur conjunx Lavinia campo.
Haec ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes,
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia;
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigae, manibusque lacessunt
Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
Circumdat loricam humeris; simul aptat habendo
Ensemque clipeumque et rubrae cornua cristae:
Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, et Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quae mediis ingenti annixa columnae
Aedibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium; quassatque trementem,
Vociferans: Nunc, o nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest; te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit. Da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revulsam
Semiviri Phrygis, et foedare in pulvere crines
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.
His agitur furiis, totoque ardentis ab ore

---

79) C. 6, 7. *Rutuli.* Al. *dirimatur.* 80) C. 8. *Ille.* 81) Men. I. *trepidusq.* 82) C. 7, 1. *frementis* Hamb. II. *gaudensq.* 83) Ment. I. *Orycya.* Pilumnus est abavus Turni — Orithyia Erechthei Athenarum regis filia. 84) Hamb. II. *Quo c.* 85) Rom. *propere.* Pier. aliq. *pueri aur.* 86) C. 7 *petunt.* Plur. *pulsa* Lac. p. pl., s. plaudunt. 87) C. 6. *squalentum.* Goth. II. *squalente.* Orichalcum est aes montanum in album deflectens. 88) Zul. *habenas.* *Habendo*, est gerundium passivae facultatis, ut habere eum commode manu et tractare possit. 89) Cornua cristae, s. cristam geminam e jubis equinis, aut plumis, e galeae vertice hinc inde eminentem instar cornuum. 90) Vulcanus Aeneae arma fabricavit. 91) C. 1. *Fecerit.* Mont. *intinxerat.* Ven. *finxerat.* Candens s. est albicans, s. fervens. Unda Stygia ad quandam veluti magicam consecrationem. 92) C 6. *columna.* Mor I. *obnixa.* 93) Bigot. *corruit.* 94) C 8. *arunci*, ducis alicujus Auruncorum, cui Turnus eam bello detraxerat. 96) C. 6, 7. *auctor.* 98) C 8. *reserare.* Goth. III. *validam.* 99) Zul. *Semiferi Phrygii.* 100) C. 1. *ferro calido*, sc. calamistro, s. acu ferrea, quae calefacta intorquet capillos. Myrrha est arbuscula, in Arabia praesertim nascens, qua extrema luxuria, et languor exprimitur. 101) C. 1. *Sic agitur.* Mor. III. *loquentis ab ore.* Furiis, s. furiosis motibus.

Scintillae absistunt; oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti quum prima in proelia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco; ventosque lacessit
Ictibus, et sparsa ad pugnam proludit arena.
  Nec minus interea maternis saevus in armis
Aeneas acuit Martem, et se suscitat ira,
Oblato gaudens componi foedere bellum.
Tum socios, moestique metum solatur Iuli,
Fata docens; regique jubet responsa Latino
Certa referre viros, et pacis dicere leges.
  Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies; quum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant:
Campum ad certamen magnae sub moenibus urbis
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant;
In medioque focos et dîs communibus aras
Gramineas. Alii fontemque ignemque ferebant,
Velati limo, et verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidûm, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis. Hinc Troïus omnis
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis;
Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis
Pugna vocet. Nec non mediis in millibus ipsi

---

102) C. 8. *absiliunt*; al. *existunt*. Innuitur hic oculorum ardor in ira. 103) C. 7. *Mugibus*. Al. *primum* vel *primam*. 104) C. 6. *aut irasci*. 105) Hug. *adnixus*. Ment. I. *obnisus*. 106) C. 1, 6, 8, 7. *aut*. Zul. *Actibus*. 107) C. 7. *in terra*. C. 7. *maternus*. 108) C. 1. *mentem*. Turnus furebat instar belluae, Aeneas ut vir irascebatur. 109 C. 8. *oblata*. 110 C. 1. *moestumq*. 111) Docens fatale esse, se victorem fore. 112) C. 7. *Cuncta*. 113) C. 1. *montis*. Goth. III. *Post lux*. Al. *summo* Impingit quippe Sol primum in cacumina. 114) Gurgite pro mari. 115) C. 7. *et flant*. Solis equi sunt quatuor. Lucem pro igni. 116) Campum instruebant purgando ab arbustis. 117) C. 7. *Demissi*. Al. *Demensi* 118) C. 6 *diis*. Oud. *faces*. Rott. II. *aris* Men. I *arces*. Dii, qui a Trojanis et Rutulis communiter invocandi erant. 119) Zul. *fontesq*. Goth. III. *parabant*. Antiquis cespes pro ara fuit, gramen pro quacunque herba. 120) C. 1, 6, 8, 7. *lino*. Limus est vestis poparum ab umbilico ad pedes. 121) Zul. *Processit* Legio, s. totus exercitus. armata pilis — Aus s. Latinorum. 122) Mor. I *procedunt portis*. Rom. *Hic*. Zul *Troicus*. 123) C 6. *variisq*. Tyrrhenus, sub Tarchonte, Aeneae socio. 124) Med *instr bello*. Leid, *ferrum*. Men. II. *quod si*. 125) Hug. *med. in nubibus*.

Ductores auro volitant ostroque decori,
Et genus Assaraci Mnestheus, et fortis Asylas,
Et Messapus equûm domitor, Neptunia proles.
Utque dato signo spatia in sua quisque recessit:
Defigunt tellure hastas, et scuta reclinant.
Tum studio effusae matres, et vulgus inermum,
Invalidique senes, turres et tecta domorum
Obsedere; alii portis sublimibus adstant.
At Juno e summo, qui nunc Albanus habetur,
(Tum neque nomen erat, nec honos, aut gloria monti)
Prospiciens tumulo campum adspectabat, et ambas
Laurentum Troumque acies urbemque Latini.
Extemplo Turni sic est affata sororem,
Diva deam, stagnis quae fluminibusque sonoris
Praesidet; hunc illi rex aetheris altus honorem
Jupiter erepta pro virginitate sacravit:
Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro
Scis, ut te cunctis unam, quaecunque Latinae
Magnanimi Jovis ingratum adscendere cubile,
Praetulerim, coelique lubens in parte locarim:
Disce tuum, ne me incuses, Juturna, dolorem.
Qua visa est fortuna pati, Parcaeque sinebant
Cedere res Latio, Turnum et tua moenia texi:
Nunc juvenem imparibus video concurrere fatis,

---

126) Zul. *volucres.* Med. *ost. superbi.* Intelligitur vestis purpurea, cui aurum intextum est. 127) Vrat. *Et acer As.* Mnestheus igitur sanguine junctus Aeneae, qui ab Assaraco genus ducebat. 129) Oud. *spatia infra qu.* 130) C. 6. *Diffigunt.* C. 7. *diffugiunt.* Scutis innitantur spectaturi certamen. 131) Zul. *inerme.* Studio s. cupiditate videndi. 132) C. 8. *turros.* C. 8. *ac.* 133) C. 6. *Obsidere.* 134) C. 1, 6, 8, 7. *ex.* 135) C. 8. deest hic vers. C 6, 1, 7. *neq. honos.* C 7. *Tunc.* Pier. aliq. *nec h., nec gl* Mons nomen ab Alba condita habuit, et honos per ferias Latinas in eo haberi solitas accessit. 136 C. 1, 8 *spectabat.* Bigot. *Aspiciens.* 137) C. 8 *Troiumq.* 139) Iuturna, soror Turni, est Nympha aquatilis, inter deas Latinorum indigenas. 141) C 8. *abrepta.* Burm. aliq. *arrepta.* 142 Fluviorum s. aquarum. 143) C. 7. *una.* C. 6. *quamcumq* Gud. *Latinis.* 144) Cubile Jovis ingrati, et in servando conjugio parum fidi. Cubile est lectus a cubando. 145) C. 1, 6, 8, 7. *libens.* Rott. III. *Pertulerim* 146 Plur. *nec me.* 147) Al. *Quam, Quod, Quoad.* Parcae tres pro fatis hic usurpantur. 148) Zul. *numine texi.* 149) C. 6. *vid. juv. imp. c. telis.* Hamb. II. *factis.* Erf. *votis.*

Parcarumque dies et vis inimica propinquat.
Non pugnam adspicere hanc oculis, non foedera possum.
Tu, pro germano si quid praesentius audes,
Perge; decet. Forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea: quum lacrimas oculis Juturna profudit;
Terque quaterque manu pectus percussit honestum.
Non lacrimis hoc tempus, aït Saturnia Juno;
Accelera, et fratrem, si quîs modus, eripe morti;
Aut tu bella cie, conceptumque excute foedus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam, et tristi turbatam vulnere mentis.
    Interea reges, ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen; bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Aeneas, Romanae stirpis origo,
Sidereo flagrans clipeo et coelestibus armis,
Et juxta Ascanius, magnae spes altera Romae,
Procedunt castris, puraque in veste sacerdos
Setigerae fetum suis, intonsamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro

---

151) C. 1, 8. *nec f.* Med. *in foedere.* 153) Plur. *sequantur.* 154) Pier. aliq. *tum l.* Med. *profundit.* Rom. *profugit.* 155) Parrh. *perfudit honestum*, s pulcrum. 156) Al. *hic*, *haec.* 158) Goth. III. *Ac tu.* Plur. *At tu.* Excute, turba. 159) C. 6. *relinquit.* Hug. *exorata.* 160) C. 6. *turbatum.* Hamb. duo *mortis.* Incertam, utrum tentaret, quod Juno jusserat. 161) C. 8 *Cum ingenti mole*, sc. comitatu Interea Reges — Procedunt; mediae sententiae deberent includi parenthesi. 162) C. 1. timpora. Plur. *invehitur.* 163) Men. I. *Auratis.* Circe, mater Latini, filia est Solis Latinus repraesentat Augustum. 164) Goth. III *speciem.* Turnus pro Antenore. 165) Bina hastilia sunt pila, qualia duo simul ferre deinde soliti sunt milites Romani. Crispans, quatiendo quasi sinuans et flectens. 166) Al. *Tum* vel *Hic pater*, quia Rom. stirpis origo. 167) C. 7. *fragrans.* Sidereus vel divinus, vel fulgens sideris instar. Arma a Venere matre accepta. 168) Zul. *sp. a. proles.* Aeneas prima Romae spes fuit. 169) Proc. sc. omnes. Pura s. maculis carente. 170) C. 6, 7, *Setigeri.* Ovis pro Aenea, porcus pro Latino adhibetur. 171) C. 7. *admonuitq.* C. 7. *fragrantibus.* 173) Men. II. *ferri.* Dant molam ex purissimo frumento tosto.

Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
Tum pius Aeneas stricto sic ense precatur:
Esto nunc Sol testis et haec mihi Terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et Pater omnipotens, et tu Saturnia Juno,
Jam melior, jam, diva, precor; tuque inclute Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques;
Fontesque, Fluviosque voco, quaeque Aetheris alti
Religio, et quae caeruleo sunt numina ponto;
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno:
Convenit, Evandri victos discedere ad urbem;
Cedit Iulus agris; nec post arma ulla rebelles
Aeneadae referent, ferrove haec regna lacessent.
Sin nostrum annuerit nobis Victoria Martem,
(Ut potius reor, et potius di numine firment)
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto. Paribus se legibus ambae
Invicta gentes aeterna in foedera mittant.
Sacra deosque dabo; socer arma Latinus habeto;
Imperium solemne socer; mihi moenia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Aeneas; sequitur sic deinde Latinus,

---

174) Pilos e fronte victimae secant, et vina invergunt in ipsa altaria. 175) C. 8. *se ense.* C. 1. *Tum pater.* Hamb. I. *profatur.* Stricto ense, quasi imprecans sibi mortem atrocem, si falleret. 176) C. 8. *precanti.* Communes sunt utriusque gentis Dii. Terra cum Sole jungitur. 177) C. 8. *sufferre.* 178) Rom. *Sat. coniux.* 179) C. 6, 1, 8, 7. *inclite.* Jam melior, s propitia. 180) Goth I. *tenes qui.* Heins. aliq. *nomine torq.*, s. flectis. 181) Oud. *Et fontes.* Zul. *teque.* 182) C 1. *quae et.* Al. *nomina* vel *omnia.* 183) Turno Italo. 184) C. 6, 1 *descendere*, ad Pallanteum. Convenit, s. conventum est. 185) C. 6, 7. *Cedet Julus*, ut ostendat, se non tam sibi, quam posteris suis et genti sedem quaerere. Julus repraesentat Julium. 186) Oud. *referant — lacessant.* Gud. *ferroq.* Dorv. *belloque.* 187) Plur *Si nostrum.* Ven. *Adnuerint.* Martem nostrum pro, pugnam eventu secundo. 188) C. 1, 8. *Dii.* Rom. *numina.* Zul. *munimine.* Al. *ut propius.* Reor, s. spero. 189) Hamb. II. *Te Teucris.* Men. II. *non T.* 190) Parrh. *Non mihi.* 191) Hug. *Injunctae.* Plur. *mittent.* Al. *mutant.* 192) C. 8. *arva.* Zul. *habebit.* Sacra deosque pro, Vestam ac Penates. Latinus habebit summum imperium cum jure belli. 194) Parrh. *Constituant.* Goth. III. *dedit.* Foeminae dant nomen urbibus. 195) C. 1. *Haec.* C 6, 1. *Tum pr.* Al. *Dum* vel *Tunc.*

Suspiciens coelum, tenditque ad sidera dextram:
Haec eadem, Aenea, Terram, Mare, Sidera, juro,
Latonaeque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vimque deûm infernam et duri sacraria Ditis;
Audiat haec Genitor, qui foedera fulmine sancit;
Tango aras; medios ignes et numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec foedera rumpet,
Quo res cunque cadent; nec me vis ulla volentem
Avertet; non, si tellurem effundat in undas,
Diluvio miscens, coelumve in Tartara solvat:
Ut sceptrum hoc, dextra sceptrum nam forte gerebat,
Nunquam fronde levi fundet virgulta, neque umbras,
Quum semel in silvis, imo de stirpe recisum,
Matre caret, posuitque comas et brachia ferro;
Olim arbos; nunc artificis manus aere decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant foedera dictis,
Conspectu in medio procerum. Tum rite sacratas
In flammam jugulant pecudes, et viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis impar ea pugna videri
Jamdudum, et vario misceri pectora motu;
Tum magis, ut propius cernunt, [non viribus aequis.]
Adjuvat incessu tacito progressus, et aram

---

196) Gud. *Suscipiens.* Men. *tendensq.* 198) Goth. III. *Janumq. biformem.* Lat. g. d., Dianam et Apollinem, et Italorum regem ac numen, foederibus adhiberi solitum. 199) Zul. *inferna et*, Deos inferos et Ditem. 200) C. 8. *sanat.* Sprot. *qui sidera* Hamb. II. *numine sancit.* Zul. *numina fulm.* Leid. *firmat.* 201) C. 8. *ignis.* C. 7. *Tanto.* C. 7 *ignis nec.* Ignes in medio positos. 202) C. 8. *ne.* Gud. *rumpat.* 203) Rom. *cadet* Hamb II. *cadant.* 204) C. 8. *effundet.* Gud. *Avertit.* Med. *tellure eff. et und.* Dorv. *fundat.* 205) C. 8. *coelumve.* Dorv. *Diluvium*, pro aquis inundantibus. Pier. aliq. *vertat.* Coelum resolutum cum Tartaro misceri. 206) Zul. *ferebat.* Mont. *regebat.* 207) C. 1, 6, 8, 7. *nec.* B. 6. *umbram.* 208) Sprot. *ima de.* Zul. *una de st.* 209) Med. *cadet.* Matre, vel terra, vel arbore. 210) C. 7. *arbor.* 211) Goth. *certare.* Leid. *Latinus.* 213) Med. *Prospectu.* Sacratas rite, immolatione, sectione pilorum, libatione 214) C. 7. *Inflammato* In flammas projiciunt jugulatas. Viscera sunt exta, quorum primitias, lanci impositas, ad aram allatas, in flammam immittebant cremandas. 216) Pier. aliq. *Rutulisq.* 217) Zul. *miscentur.* 218) Non vir. aeq. pugnam ineundam. 219) C. 7, 8. *ingressu.* C. 6, 8. *ad aram.* Adjuvat, sc. auget metum.

Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentesque genae, et juvenali in corpore pallor.
Quem simul ac Juturna soror crebrescere vidit
Sermonem, et vulgi variare labantia corda:
In medias acies, formam assimulata Camerti;
Cui genus a proavis ingens, clarumque paternae
Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis;
In medias dat sese acies, haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios, ac talia fatur:
Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam
Objectare animam? numerone, an viribus aequi
Non sumus? En, omnes et Troes, et Arcades, hi sunt,
[Fatalisque manus, infensa Etruria Turno]
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet fama, vivusque per ora feretur:
Nos, patria amissa, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est juvenum sententia dictis
Jam magis atque magis; serpitque per agmina murmur;
Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini.
Qui sibi jam requiem pugnae rebusque salutem
Sperabant, nunc arma volunt, foedusque precantur
Infectum, et Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit, et alto
Dat signum coelo; quo non praesentius ullum

---

220) C. 6. *dimisso lumine*, pro demisso, habitus moesti et timentis. 221) C. 8, 1. *juvenili*. C. 6. *Budentesq*. Al. *Pallentesq*. vel *Rubentesq*. 222) C. 8. *hac*. C. 7. *ut*. 223) C. 7. *labentia*. 224) Parrh. *Per medias*. Plur. *forma*. 227) Ment. I. *haud inscia*. 229) Pro cunctis talibus, contumeliose. 230) Goth. I. *numerone hanc*. Plur. *v. aequis*. 231) Parrh. *hic Troes*. Rom. *hinc sunt*; gentes in Turnum foederatae. 232) Med. *Fatalesq. manus*; quia fato paratum sibi regem exspectaverant. C. 7. *infesta*, quia aliqua pars Etruriae Turno addicta erat duce Messapo. 233) Bigot. *alternum*. Men. II. *alternis*. Si media pars nostrum congrediatur, vix singuli hostem habebimus. 234) C. 7. *devovit*. C. 8. *demovet*. 235) Hug. *Succedens*. Ment. I. *Succedit*. Rom. *vivosq*. Mont. *vivisq*. 236) C. 6. *amissa patria*. Dorv. *admissa*. 237) C. 6. *considimus*. Vrat. *laeti*. Gud. *lentis c. armis*. 238) Plur. *accensa*. 239) Gud. *Tum magis*. Zul. *Tunc*. 240) Zul. *mutari*. 241) Parrh. *Quisquis jam*. Leid. *Cui jam*. Rott. II. *Et sibi*. 242) C. 7. *volvunt*. 245) Vulgo *praestantius*, efficacius ad fallendos animos.

Turbavit mentes Italas, monstroque fefellit.
Namque volans rubra fulvus Jovis ales in aethra
Litoreas agitabat aves turbamque sonantem
Agminis aligeri: subito quum lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Arrexere animos Itali, cunctaeque volucres
Convertunt clamore fugam; mirabile visu;
Aetheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube premunt: donec vi victus, et ipso
Pondere defecit, praedamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penitusque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus; primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod saepe petivi.
Accipio, agnoscoque deos: me, me duce ferrum
Corripite, o miseri, quos improbus advena bello
Territat, invalidas ut aves, et litora vestra
Vi populat. Petet ille fugam, penitusque profundo
Vela dabit. Vos unanimi densate catervas
Et regem vobis pugna defendite raptum.
Dixit, et adversos telum contorsit in hostes
Procurrens; sonitum dat stridula cornus, et auras
Certa secat. Simul hoc, simul ingens clamor, et omnes

246) Monstro, ostento, quod ostenditur signa futurorum petentibus. 247) C. 7. *aethera*. Gud. *fulvos*. Parrh. *fulvis*. Aethra, nomen primae declinationis, idem ac aether, illa veterum sphaera ignis aerem ambiens, hic pro aere sumitur. 248) Litoreas, s fluminea aves, sc. cygnos et aquilas. 249) Parrh. *collapsus*, quod indicat lenem aquilae volatum. 250) C. 8. *imas*. 251) C. 8. *animos Rutuli*. 252) Pier. aliq. *miserabile*. Fugam, s. volatum. 254) C. 7. *ipse*. Dorv *donec convictus*. Sprot. *ab ipso*. 256) Rott III. *fluvium*. Penitus, sc. in interiora nubium fugit, fugiendo penetravit nubila. 257) Salutant, venerantur. 258) C 6, 7. *Tulumnius*. Manus ad arma capienda; Cerda vero ait, ut ad coelum eas extollant. 259) Oud. *Hoc erat in votis*. 260) Goth. III. *sine me*. Accipio, sc. omen; sed Tolumnius augurium per se ambiguum in eum sensum interpretatur, ut aquilam de Aenea, cycnum de Turno accipiat. 261) C. 1, 6, 8, 7. *o Rutuli*. Hamb. II. *o famuli*. 263) Parrh. *Ne pop*. Hamb. II. *petat*. In contumeliam Aeneae, cujus discessus fuga dicitur. 264) C. 8. *unanimes*. C. 6, 1, 7. *densete*, veteri more. 265) C. 7 deest hic vers 266) Leid *adversus*. Ment. *telumq. intorsit*. Pier. aliq. *conjecit*. Virg. hic insistit Rom. ritui Fecialium. 267) Leid. *Praecurrens*. Zul. *Percurrens*. Dorv. *et aras*. Hasta ex arbore corno. 268) Ven. *Simul haec*. Certa, certum.

Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
Hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio conjunx Tyrrhena Gylippo;
Horum unum ad medium, teritur qua sutilis alvo
Balteus, et laterum juncturas fibula mordet,
Egregium forma juvenem, et fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvaque effundit arena.
At fratres, animosa phalanx, accensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, caecique ruunt. Quos agmina contra
Procurrunt Laurentum. Hinc densi rursus inundant
Troes, Agyllinique, et pictis Arcades armis.
Sic omnes amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras; it toto turbida coelo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber;
Craterasque focosque ferunt. Fugit ipse Latinus
Pulsatos referens infecto foedere divos.
Infrenant alii currus, aut corpora saltu
Subjiciunt in equos, et strictis ensibus adsunt.
Messapus regem, regisque insigne gerentem,
Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere foedus,
Adverso proterret equo: ruit ille recedens,

---

269) Cunei sunt ordines peditum, sic dicti ab agminum figura 272) Virg. designat filios fuisse hybridas. Juxta Thucydidem Gilippus res Atheniensium contulit. 273) C. 7. *sutulis* Med. *ad mediam*, in medio corpore. 274) Virg. baltei latera et oras intelligit, non corporis. Fibula, claviculus, extrema baltei connectens, mordet, jungit. 275) Mor. I. *Egregiu.* Rom. *juvenum.* 276) C. 8 *extendit.* Parrh. *Transadiit.* 277) Phalanx, agmen peditum. 278) Hug. *gladium.* 280) C. 7 *hic.* 281) Agyllini sunt Etrusci, Aeneae socii, ex urbe Agyllina, nunc Cerveteri. 282) Dorv. *amor omnis.* 283 Gud. *et t.* 284) C. 8. *irruit.* 285) Hamb. I. *F ille.* Crateras, pocula, quibus vina fundebant, cruoremque victimarum — focos, partes ararum graminearum, ubi accensus ignis fuerat. 286) Rott. II. *infectos.* Zul. *infesto.* Quasi Dii ignominia affecti essent infecto foedere. 287) C. 7. *Infremant.* Med. *et corp*, Equos fraenatos currui alligant. 288) Gud. *aut str.* Leid. *adstant.* Superjiciunt, sursum jaciunt. 289) C. 8. *ferentem.* Regis insigne, s. diadema. 290) C. 6. *confoedere foedus.* Parrh *ausum conf*, s. turbare. Unum e regibus Tyrrhenis. Av. conf., Hellenismus. 291) C. 8. *prosternit.* Parrh. *recumbens.* Proterret, irruit in eum.

Et miser oppositis a tergo involvitur aris
In caput inque humeros. At fervidus advolat hasta
Messapus, teloque orantem multa trabali
Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet; haec melior magnis data victima divis.
Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Corynaeus ab ara
Corripit, et venienti Ebuso plagamque ferenti
Occupat os flammis. Olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit. Super ipse secutus
Caesariem laeva turbati corripit hostis,
Impressoque genu nitens terrae applicat ipsum:
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum
Pastorem, primaque acie per tela ruentem,
Ense sequens nudo superimminet: ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reducta
Disjicit, et sparso late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos et ferreus urguet
Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.
At pius Aeneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat:
Quo ruitis? quaeve ista repens discordia surgit?
O cohibete iras! ictum jam foedus, et omnes
Compositae leges; mihi jus concurrere soli;
Me sinite, atque auferte metus. Ego foedera faxo
Firma manu; Turnum jam debent haec mihi sacra.

---

292) Mor. I. *obvolvitur*. Plur. *volvitur*. 293) Parrh. *atq. humeros*. Hamb. II. *avolat*. 294) Teloque magno instar trabis. 295) C. 8. *ac ita*. 296) Oud *datur hostia*. Hoc habet, sc vulnus, s. peractum est. Haec melior etc., quam ovis et porcellus, qui foederum diis oblati sunt. 297) C. 6, 1. *cadentia*. 298) C. 7 *obustum*, circumustum. Chorinaeus, sacerdos Trojanus, qui ex officio propius arae astabat. 300) C. 1, 6, 7, 8. *illi*. Dorv *retusit*. Bigot. *refluxit*. Occupando ferit. 301) Hamb. I. *ille*. Parrh. *locutus*. 303) C. 7. *Implexoq* Dorv *Impressosq* 304) C. 1, 8. *Polidarius*. Parrh. *Polidorius*. Med. *Podarilius*. 305) Oud. *primamq. aciem*. 306) Plur. *supereminet*. 308) Rom *Discidit*. Leid. *Dissicat*. 310) Rott. *conduntur* Dorv. *mortem*. 312) C. 7. *atq. socios*. Nud. capite, deposita galea, ut posset agnosci. 313) Sprot. *quaenam*. Plur. *recens*. 314) Sprot. *nam foedus*, sc. caesis jam victimis, sacerdotum ferro. 315) Men. I1. *mihi sit*. 316) Leid. auf. *manus*. Faxo, secero. 317) C. 1, 6, 8, 7. *debent haec jam*. Ex quo verba foederis concepimus ego et Latinus; ex eo Turnus mihi uni addictus est; unus ego cum eo congredi possum.

Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce, viro stridens alis allapsa sagitta est,
Incertum, qua pulsa manu, quo turbine adacta;
Quis tantam Rutulis laudem, casusne, deusne,
Attulerit. Pressa est insignis gloria facti;
Nec sese Aeneae jactavit vulnere quisquam.
Turnus, ut Aenean cedentem ex agmine vidit,
Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet;
Poscit equos, atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, et manibus molitur habenas.
Multa virûm volitans dat fortia corpora leto;
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi quum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentes
Bello movens immittit equos: illi aequore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant; gemit ultima pulsu
Thraca pedum, circumque atrae Formidinis ora,
Iraeque, Insidiaeque, dei comitatus, aguntur.
Talis equos alacer media inter proelia Turnus
Fumantes sudore quatit, miserabile caesis
Hostibus insultans; spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena.
Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque,
Hunc congressus, et hunc; illum eminus, eminus ambo
Imbrasidas, Glaucum atque Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia; paribusque ornaverat armis;

---

319) Pluribus *est* abest. Alis allapsa, advolavit. 320) C. 6. *abacta*. Pulsa, emissa — turbine, motu. 321) Reg. *tantum*. 322) Rott. III. *ingentis* Pressa, suppressa; sc. auctor vulneris suppressus est gloria 326) C. 7. *superbum*. Goth. II *superbo*, animoso. 327) C. 7. *mollitur*, movet. Goth. *in curru*. 328) C. 8. *lato*. Mor. II. *fort. pectora*. 330) Goth. I. *Protrahit — fulgentibus*. 331) Hebri, Thraciae fluvii. 332) C. 8. *intonat*. C 1. *furentis*. Med. *frementes*. Mavors, Mars in Thracia natus, gaudens sanguine, clypeum movet. 333) Al. *emittit*. 334) Ventus meridionalis et occidentalis. 335) Rom, *Thraica* pro Thracia — Formido pro ira, insidiis. 336) Aguntur, incedunt. 338) C. 6, 1, 7. *Fumantis*. 341) C. 8. *scelenumq*. 342) C. 8. *eminus albus*. 343) C 1, 8, 7. *Iuden* C. 7. *Umbrasus*. 344) Lycia est Asiae minoris regio meridialis.

Vel conferre manum, vel equo praevertere ventos.
Parte alia media Eumedes in proelia fertur,
Antiqui proles bello praeclara Dolonis;
Nomine avum referens, animo manibusque parentem:
Qui quondam, castra ut Danaûm speculator adiret,
Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus:
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Affecit pretio; nec equis adspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto:
Ante levi jaculo longum per inane secutus,
Sistit equos bijuges, et curru desilit, atque
Semianimi lapsoque supervenit, et, pede collo
Impresso, dextrae mucronem extorquet, et alto
Fulgentem tinguit jugulo; atque haec insuper addit:
En agros, et, quam bello, Trojane, petisti,
Hesperiam metire jacens: haec praemia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt; sic moenia condunt.
Huic comitem Asbuten conjecta cuspide mittit;
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumque;
Et sternacis equi lapsum cervice Thymoeten.
Ac velut Edoni Boreae quum spirîtus alto
Insonat Aegaeo, sequiturque ad litora fluctus;

---

345) C. 7. *gentes*. Zul. *manus*. Leid. *manu*. Pier. aliq. *equis*. Burm. tres. *praev. gentes*. Ut seu pedites, seu ex equo pugnarent. 346) C. 6. *Eumenes*. Gud. *Eumeles*. 347) Goth. III. *Antiqua*, s. nobilis. Zul. *belli*. Reg. *doloris*. Dolon bello ignavus fuit, et Eumedes, ejus filius, satis ignominiose occiditur, hinc ironice. 348) Oud. *Nomen avi*. 350) Plures *currum*. Peleus pater Achillis, ut Tydeus Diomedis fuit. 352) C. 6, 1, 7. *neque*. Goth III. *Defecit*. Zul. *assultat*. Med. *Achilles*. Virg. pergit illudere Doloni, qui captus a Diomede, non amplius ad equos Achillis, sed ad vitam servandam aspirabat. 353) C. 1. *Tunc*. Ment. II. *et c*. Men. II. *in c*. Mor. II. *e c*. 355) C. 6. *disilit*. Al. *des. alto*. 356) C. 6, 1. *elapsoq*. 357) C. 6. *dextra*. Med. *Expresso*. Mucronem, s. gladium illius manu extorquet. 358) C. 6. *tingit*, immittit ensem in jugulum, ut sanguine tingatur. 359) C. 6. *petistis*. 360. Hesperiam, Italiam. Virg. ironice dicit, metire agros corpore, quos novis colonis Trojani metiri et adsignare volebant. 362) C. 6, 1. *Habiten*. 363) C 1. *Chloreanq* C. 1, 6. *Habarimq*. C. 8. *effarimq*. 364) Equo in anteriora genua prolapso, Thymoetes per ejus collum devolutus est. 365) C. 8. *Edomi*. C. 6. *Edonii*. Edonus est mons Thraciae.

Qua venti incubuere, fugam dant nubila coelo:
Sic Turno, quacunque viam secat, agmina cedunt,
Conversaeque ruunt acies; fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus animisque frementem;
Objecit sese ad currum, et spumantia frenis
Ora citatorum dextra detorsit equorum.
Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, et summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clipeo objecto conversus in hostem
Ibat, et auxilium ducto mucrone petebat:
Quum rota praecipitem et procursu concitus axis
Impulit, effunditque solo; Turnusque secutus,
Imam inter galeam summi thoracis et oras,
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenae.

Atque ea dum campis victor dat funera Turnus:
Interea Aenean Mnestheus et fidus Achates
Ascaniusque comes castris statuere cruentum,
Alternos longa nitentem cuspide gressus.
Saevit, et infracta luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quae proxima, poscit:
Ense secent lato vulnus, telique latebram
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Jamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapis
Iasidès: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera, laetus Apollo
Augurium citharamque dabat celeresque sagittas.

---

367) Ventus septentrionalis fugat nubes, meridialis colligit. 369) Versae in fugam ruunt; Turnus sui in bello impotens est. 370) Goth. III. *arva* 371) Oud. *unimoq.* Hamb. I. *furentem.* 372) Frenis, per frena. 373) Al. *contorsit* vel *commovit.* 374) Rom. *hic.* Mont. *alta.* Pier. aliq. *relictum.* 375) Bigot. *trilicem.* Lancea s. hasta. Bilicem, vel licio, vel filo, bino textu. 378) Rom. *ducto a m.* 379) C. 7, 8. *Quem a.* C. 6. *Cum.* 380) C. 8. *effuditq.* 381) Goth. II. *summas — oras.* 382) C. 1, 7, 8. *arena.* Ven. *relinquit,* sine capite, ideo truncum. 384) C. 7. *Aeneam.* 385) Rom. *Asc. puer.* 386) Firmantem longa hasta alternatim, cum altero pede claudicaret vulnere accepto. 387) Saevit, exardescit, quod a pugna abstrahitur. 389) C. 1, 6, 8. *latebras.* Med. *secet.* 390) C. 6. *recidant.* C. 7. *residant.* 391) C, 1, 6, 8, 7. *Japix* Leid. *Jamq. erat ante alios.* 392) Hamb. I. *mittit Ap.* 394) Dabat, dare volebat.

Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit, et mutas agitare inglorius artes.
Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam,
Aeneas, magno juvenum et moerentis Iuli
Concursu, lacrimis immobilis. Ille retorto
Paeonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica Phoebique potentibus herbis
Nequidquam trepidat, nequidquam spicula dextra
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam Fortuna regit; nihil auctor Apollo
Subvenit; et saevus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est. Jam pulvere coelum
Stare vident; subeuntque equites, et spicula castris
Densa cadunt mediis. It tristis ad aethera clamor
Bellantum juvenum, et duro sub Marte cadentum.
Hic Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis et flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, quum tergo volucres haesere sagittae.
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,

---

395) C 6. *facta.* Mor. IV. *deferret*; al. *differret.* Ut proferret mortem patris sui depositi, cujus salus jam prope desperata erat. 396) Usum medendi, s. empiricen 397) C. 1. *artis* C. 7. *multas*, pro mutis s. obscuris, quae silentur ut medicinae experientia 398) Med. *fixus.* 399) C. 1. *merentis.* 400) C. 6, 1. *lacrimisq.* C. 6 *reparto.* Immobilis ad lacrymas aliorum; in Aeneae constantia repraesentata est illa C. Marii 401 C. 7. *mortem* Paeonium, Apollineum; ex more medicorum, quibus vestis longa fuit. Senior, ab experientia, quae necessaria in medicis, nec accedit nisi in aetate provecta. 402) C. 7. *armis.* Med. *hermis.* Dorv. *armis.* 403) Multa tentat, sed cum trepidatione, s. festinatione. 404) C. 7. *pressatq.* Al. *prensantq.* — *forfice.* 405) C. 7. *In tanto langore Aeneae ingens pugna fiebat?* additum est. Nulla Fortuna rationem ferramenti extrahendi secundat. 406) Al. *at saevus* — terror. 407) C. 8. *crebrescis.* C. 7. *propius* pugna est. Aer pulvere plenus est et quasi condensatus 408) C. 6 *subeunt.* 410) C. 8 *cadentis.* Bellantes sunt Rutuli, cadentes vero Trojani. 411) Goth. I. *Tum V., indigno*, s magno 412) C. 1, 8. *carpit.* C 8. *genitrix.* Dictamnus est herba in sola Creta insula proveniens nomen habens a Dictaeo monte. 413) Pubera folia sunt exuberantia 414) Plur. *captis.* 415) C. 6. *cum.* C. 7. *dum.* 416) Mor. II. *Hanc.*

Detulit; hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit, occulte medicans; spargitque salubris
Ambrosiae succos, et odoriferam panaceam.
Fovit ea vulnus lympha longaevus Iapis
Ignorans; subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor; omnis stetit imo vulnere sanguis.
Jamque secuta manum, nullo cogente, sagitta
Excidit, atque novae rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro; quid statis? Iapis
Conclamat, primusque animos accendit in hostem.
Non haec humanis opibus, non arte magistra
Proveniunt; neque te, Aenea, mea dextera servat:
Major agit deus, atque opera ad majora remittit.
Ille avidus pugnae suras incluserat auro
Hinc atque hinc, oditque moras, hastamque coruscat.
Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est,
Ascanium fusis circum complectitur armis,
Summaque per galeam delibans oscula fatur:
Disce, puer, virtutem ex me, verumque laborem;
Fortunam ex aliis. Nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, et magna inter praemia ducet.
Tu facito, mox quum matura adoleverit aetas,
Sis memor, et te animo repetentem exempla tuorum

---

417) Zul. *labiis*. Labris, vasis, in quibus lavabant, aquam variis infectam succis herbarum. 418) C. 8. *salubret*. Inficit, imbuit. 419) C. 7. deest hic vers. Ambrosia est herba, qua Dii utuntur; hic pro unguento vulnus leniente. Panacea est fabulosa herba, affinis foeniculo, anetho et faerulae, gravis odoris. 420) C. 1, 6, 8. *Japix*. 422) C. 6. *imo in v*. Al. *uno v*. Quippe, utique. Stetit, fluere desiit. 423) Gud *manu*. 424) Mor. II. *subiere*. Hug. *in corpora*; sed vires restitutae sunt. 425) C. 7. *Japro*. 426) C. 8. *ad hostes*. Hamb. II. *incendit* 428) Proveniunt, eveniunt. 429) Agit, concitat Deus, sc. vel Apollo, vel Venus, vel Juno. 430) C. 8. *sinus*. Ment. I. *pugna*. Sura, pars tibiae posterior, carnosa et ventricosa, pro tota tibia sumitur, quam vestiit Aeneas aureis ocreis. 431) Hug. *hastaq*. 432) Habile est, quod manu facile tractari potest. Aereus thorax et tergo et pectori applicatur 433) Armis fusis, non ademtis. 434) Osc. delib., ore contingens ora. 435 Leid. *veterumq*. Hamb II. *juvenumq*. Ex, vel a me 436) C 7. *et aliis*. Licet enim hoc Latino bello felix Aeneas fuisset; tamen adversa fortuna jactatus eatenus fuerat. 437) Defendet, et magnas per victorias ducet. 438) C. 1. *Tu vero facito*, da operam. Med. *tum — adoleverat*. Pier. aliq. *maturo*. Arborum sermo ad aetatem refertur. 439) Goth. III. *exempla virorum*.

Et pater Aeneas, et avunculus excitet Hector.
Haec ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,
Telum immane manu quatiens: simul agmine denso
Antheusque Mnestheusque ruunt; omnisque relictis
Turba fluit castris. Tum caeco pulvere campus
Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverso venientes aggere Turnus,
Videre Ausonii, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. Prima ante omnes Juturna Latinos
Audiit agnovitque sonum, et tremefacta refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus
It mare per medium: miseris, heu, praescia longe
Horrescunt corda agricolis; dabit ille ruinas
Arboribus, stragemque satis; ruet omnia late;
Ante volant, sonitumque ferunt ad litora venti.
Talis in adversos ductor Rhoeteïus hostes
Agmen agit; densi cuneis se quisque coactis
Agglomerant. Ferit ense gravem Thymbraeus Osirim,
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Ufentemque Gyas; cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in adversos telum qui torserat hostes.
Tollitur in coelum clamor, versique vicissim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque aversos dignatur sternere morti;

---

440) Al. *excitat* vel *extulit.* Creusa, Ascanii mater, soror erat Hectoris, Priami filia. 443) C. 8. *Antheus.* 444) Gud. *ruit.* Men. II. *caeco vulnere.* Mor. I. *campis.* Pulvis, qui visum eripit. 445) Leid. *fremit.* Zul. *plausuq. tremit magno exc.* 446) Rom. *agmine* 448) Gud. *Latinis.* 449) C. 6 *Audit* 450) Dorv *actum.* Campus apertus est ingens spatium, ubi possit evagari longius 451) Mont *obrupto*; al. *adrupto.* Abrupta nube et tempestate, quae siderum ortu et occasu concitatur 452) Rott. II. *heu tristia.* 453) Goth. III. *ruinis.* 454) C. 6. *ruit.* C. 7. *stragem.* Ruet, active. 455) C. 7. *Intevolant.* Al. *late Antevolans.* 456 C. 8. *adversis.* C. 6, 8. *victor* C. 1, 7, 6, 8 *hostis.* Dorv. *Retheus in h.* Rhoeteius, s. Trojanus, Aeneas, a Rhoeteo Troadis promontorio 457) Sprot. *densis cuneis*, ordinibus in cunei figuram formatis ad irrumpendum. 458) Hamb. II. *Agglomerat* Goth. I. *Ferit ante* Thymbraeus et caeteri, qui caedunt, e Trojanis sunt. 459) C. 8 *Archesium*; al. *Arcetium.* 461) C. 8 *hostis.* C. 6. *torserit.* Bigot. *hastis.* 462) Ideo vicissim Rutuli, quia, vulnerato Aenea, prius Trojani fugerant. 463) Men. II. *per hostes.* 464) Al. *adversos.*

Nec pede congressos aequo, nec tela ferentes
Insequitur: solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
Hoc concussa metu mentem Juturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, et longe lapsum temone relinquit.
Ipsa subit, manıbusque undantes flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque, et corpus, et arma Metisci.
Nigra velut magnas domini quum divitis aedes
Pervolat, et pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens nidisque loquacibus escas;
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Juturna per hostes
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru;
Jamque hic germanum, jamque hic ostentat ovantem;
Nec conferre manum patitur; volat avia longe.
Haud minus Aeneas tortos legit obvius orbes,
Vestigatque virum, et disjecta per agmina longa
Voce vocat. Quoties oculos conjecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum:
Aversos toties currus Juturna retorsit.
Heu, quid agat, vario nequidquam fluctuat aestu;
Diversaeque vocant animum in contraria curae.
Huic Messapus, uti laeva duo forte gerebat
Lenta, levis cursu, praefixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.

---

465) C. 1, 7, 8. *ferentis*; sed inferentes. 466) Rom. *denso*. 467) C. 7. *certamine*. Lustrans, circumiens. 468) Al. *Hinc* vel *Haec* vel *Hic c. manu*. *Virago* generosae foeminae singulariter tribuitur, virgo cuilibet integrae. 470) C. 1, 6, 8, 7. *reliquit* Dorv. *longo*. 471) C. 1, 8. *undantis*. 472) C. 7. *Contra gerens*. 474) C. 7. *Evolat, et vinnis*. A. *pennas, pernix, penitus*. Atria, aream ante aedes. 475) C. 8. *gerens*. Hug. *p. petens*. Rott. II. *n. l. aufert*. Goth. I. *escam*. Nidis loquacibus pro pullis. 476) *Vacuis* ad porticus amplitudinem spectat. 477) C. 1, 6, 7. *hostis*. C. 6. *sonans*. Med. *sonant*. 478) Parrh. *ravit*. 479) C. 6, 7. *ostendit* exultantem. Cerda credit id factum a Juturna, ut frater hac inani gloria inescatus nihil cogitaret de singulari certamine. 480) C. 7. *manu*. Conferre, sc. cum Aenea. 481) C. 7. *orbis*; sed implicitas vias pervagatur. 482) C. 1. *longe*. C. 8. *magna*. 483) C. 8. *quociens*. 484) C. 1, 6. *temptabat*, cursu suo Turni celeritatem assequi. 485) C. 6, 8, 7. *adversos*. Zul. *quotiens*. 487) Rott. III. *animo*. 489) C. 8 *levi*. C. 8. *curru*. Men. II. *praefixo*. 490) Parrh. *uno*.

Substitit Aeneas, et se collegit in arma,
Poplite subsidens; apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.
Tum vero assurgunt irae, insidiisque subactus,
Diversos ubi sensit equos currumque referri,
Multa Jovem et laesi testatur foederis aras,
Jam tandem invadit medios, et Marte secundo
Terribilis, saevam nullo discrimine caedem
Suscitat; irarumque omnes effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine caedes
Diversas, obitumque ducum, quos aequore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu,
Jupiter, aeterna gentes in pace futuras?
Aeneas Rutulum Sucronem, (ea prima ruentes
Pugna loco statuit Teucros) haud multa moratus,
Excipit in latus, et, qua fata celerrima, crudum
Transadigit costas et crates pectoris ensem.
Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem,
Congressus pedes: hunc venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit; curruque abscisa duorum
Suspendit capita, et rorantia sanguine portat.
Ille Talon Tanaimque neci, fortemque Cethegum,
Tres uno congressu, et moestum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matrisque genus Peridiae;
Hic fratres Lycia missos et Apollinis agris,

---

491) In arma, in clypeum, quo se texit. 492) Men. II. *subsistens.* Rom. *summam.* Apex est summa pars in cono galeae. 494) C. 8. *subactis.* Vrat. *insurgunt.* Insid. sub., ira propter insidias sibi factas victus. 495) C. 6. *sentit.* Gud. *subsensit.* Equos in div. partem actos. 496) C. 6, 8, 7, 1. *testatus.* Men. I. *laesas.* Oud. *suevi.* In aris vota concipimus s. in bonam s. in malam partem. 499) C. 7. *effudit.* Parrh. *perfundit.* 500) Leid. *Qui — qui.* 501) C. 7. *obitus inq.* 503) C. 7. *tanto placuit.* 505) C. 1. *ruentis* pro, persequentes. 506) C. 6, 7, 8. *morantem.* Goth. II. *moratur.* 508) Costas, quae pectori velut crates obtenduntur. 510) C. 7. *venientum.* Al. *abscissa* vel *accisa.* Cuspide longa, acumine hastae. 511) C. 7. *cursuq.* pro, currui. Mucrone, acumine gladii. 513) C. 1, 6, 8. *Cetheum.* Ille, sc. Aeneas. 514) C. 1, 6, 8, 7. *Tris.* C. 8. *Omytem.* 515) C. 8. *genusque. Peride.* Nomen Thebanum ab Echione, qui in condendis Thebis Boeotiis Cadmo adfuerat. 516) Zul. *Tunc.* Hamb. I. *arvis.* Lycia, Asiae minoris regio ad meridiem, oraculis Apollinis nobilitata. Hic, sc. Turnus.

Et juvenem exosum nequidquam bella Menoeten
Arcada: piscosae cui circum flumina Lernae
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum
Limina; conductaque pater tellure serebat.
Ac velut immissi diversis partibus ignes
Arentem in silvam et virgulta sonantia lauro;
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, et in aequora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segnius ambo
Aeneas Turnusque ruunt per proelia; nunc, nunc
Fluctuat ira intus; rumpuntur nescia vinci
Pectora; nunc totis in vulnera viribus itur.
Murrhanum hic, atavos et avorum antiqua sonântem
Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,
Praecipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit, effunditque solo. Hunc lora et juga subter
Provolvere rotae; crebro super ungula pulsu
Incita nec domini memorum proculcat equorum.
Ille ruenti Hyllo, animisque immane frementi,
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te, Grajûm fortissime, Cretheu,

---

517) C. 8. *Nemetem.* 518) C. 6, 1, 7, 8. *circum cui.* Dorv. *qui c.* Qui oriundus quidem ex Arcadia, deinde in Argia regione piscatum exercuerat circa Lernam paludem. Menoetes ex Evandri copiis fuisse putandus. 519) C. 7. *petentum.* Dorv. *Advenerat.* 520) C. 6, 7. *Munera.* Ager vectigalis aeque atque homo colonus significatur. 521) C. 7. *immissos.* 522) Plur. *Ardentem in silvam*, s. lauream. Sonantia, ob crepitum ardentis lauri. 523) C. 8. *Et ubi.* Plur. *procursu.* Goth. III. *percursu.* 524) Hug. *ad aequora.* Parrh. *verrunt* 525) C. 6, 8. *populatur.* Quisque suum iter decurrens omnia depopulatur. 526) Plur. *in praelia*; sed per aciem. 527) C. 7. ira *iritus.* Parrh. *rapiuntur.* Zul. *nescia rumpi.* Rumpuntur pectora exaestuante ira. 528) Hamb II. *in pugnam.* 529) Hug *sonantes.* Hic, sc. Aeneas. Sonantem, jactantem. Latini Reges omnes dicti sun Murrani. 530) C. 8. *attum.* C. 6 *reges ductum.* Nominat ad tumorem significandum. 531) Rom. *ingenti.* Zul. *immanis.* Oud. *t. montis*; sed saxi in modum ventosi turbinis rotati. 532) C. 6, 8. *effuditq.* C. 1. *offendit.* Med. excipit. Rott. II. *hinc.* 533) Goth. *cursu* vel passu. Provolutus est ille subter currum. 534) Neque ipsi equi meminere eum esse suum dominum. 535) C. 1. *Hilo.* C. 8. *Ylo.* C, 7. *inane.* Ille, sc. Turnus. 536) Zul. *in t.* Aurata galea tecta. 537) Plur. *fixa.* 538) C. 8. *Retheu.* C. 6. *Dextra.*

Eripuit Turno; nec dî texere Cupencum,
Aenea veniente, sui; dedit obvia ferro
Pectora, nec misero clipei mora profuit aerei.
Te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi
Oppetere, et late terram consternere tergo;
Occidis, Argivae quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles;
Hic tibi mortis erant metae; domus alta sub Ida;
Lyrnessi domus alta, solo Laurente sepulcrum.
Totae adeo conversae acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidae. Mnestheus, acerque Serestus,
Et Messapus equûm domitor, et fortis Asylas,
Tuscorumque phalanx, Evandrique Arcades alae;
Pro se quisque, viri summa nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies; vasto certamine tendunt.
    Hic mentem Aeneae Genetrix pulcherrima misit,
Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen
Ocius, et subita turbaret clade Latinos.
Ille ut, vestigans diversa per agmina Turnum,
Huc atque huc acies circumtulit: adspicit urbem
Immunem tanti belli, atque impune quietam.
Continuo pugnae accendit majoris imago;
Mnesthea Sergestumque vocat, fortemque Cloanthum,
Ductores, tumulumque capit; quo cetera Teucrûm
Concurrit legio, nec scuta aut spicula densi

---

539) Dii sui, sc. propitii. Cerda *Cupentum.* 540) Sui, qui illi favebant. 541) C. 1, 6, 8, 7. *aeris.* Goth. III. *miseri.* 542) Med. *campis.* 543) Plur. *lato.* Ven. *terrae.* 544) Argivae, graecae Peloponnesiacae. 545) C. 8. *aversor.* Hamb. I. *versor.* Ab occiso Hectore, quem Achilles iuterfecit, tota imperii ruina. 546) Ida mons Troadis et Phrygiae. 547) C. 1. *Lyrsena.* Lyrnessus oppidum Phrygiae, circa sinum Adramittenum, quo usque Idae juga extendebantur. 548) Parrh. *d. tota.* Conversae inter se ad pugnandum. 551) C. 8. *archadis.* Tuscorum, Etruscorum peditum agmen, ut Evandri equitum. 552) Opum vi, omni industria. 554) C. 6, 8, 7. *genitrix.* C. 7. *hunc.* Ment. *Hinc*, consilium indidit Venus. 555) Goth. III. *everteret.* 556) Rott. I. *Latinus.* Metu subitae cladis, captae urbis 558) C. 8. *illuc.* C. 1, 6. *aciem*; alii oculorum acies, alii varias exercitus partes intelligunt. Urbem, sc. Laurentum. Immunes erant milites, qui aut ex lege, aut ex beneficio vacabant. 559) Rom. *quietem.* 560) Zul. *origo.* 561) C. 6, 7. *fortemq. Serestum.* 562) Ed. Ven. *rapit.* 563) Goth. III. *haut sp.* Mos notatur militum Romanorum, qui armati concionantem imperatorem audiebant.

Deponunt. Celso medius stans aggere fatur:
Ne qua meis esto dictis mora. Jupiter hac stat.
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie, caussam belli, regna ipsa Latini,
Ni frenum accipere et victi parere fatentur,
Eruam; et aequa solo fumantia culmina ponam.
Scilicet exspectem, libeat dum proelia Turno
Nostra pati; rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput, o cives, haec belli summa nefandi.
Ferte faces propere, foedusque reposcite flammis.
Dixerat, atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum, densaque ad muros mole feruntur.
Scalae improviso, subitusque apparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant;
Ferrum alii torquent, et obumbrant aethera telis.
Ipse inter primos dextram sub moenia tendit
Aeneas, magnaque incusat voce Latinum;
Testaturque deos, iterum se ad proelia cogi;
Bis jam Italos hostes; haec altera foedera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia cives:
Urbem alii reserare jubent, et pandere portas
Dardanidis; ipsumque trahunt in moenia regem.
Arma ferunt alii, et pergunt defendere muros.
Inclusas ut quum latebroso in pumice pastor

---

564) Plur. *medio*. 565) C. 1. *astat*. Zul. *astet*. Jupiter, vindex violatae foederum religionis, hac parte stat a nobis, siquidem indefensam urbem nobis objicit. Duces etiam stabant, cum dicebant. 566) C. 1. *heu*. C. 6, 7. *Neque ob incertum*. 567) Quod Latinis tribuendum erat, urbi tribuit. Cerda ad Laviniam bellum retulit; alii ad Amatam. 569) Vrat. *f. fulmina* Urbs incendio prostrata. 570) C. 8. *exspectam*. Tanquam precibus admittere pugnam cum Aenea. 571) C. 7. *velut*. Zul *rursumq* 572) Al. *Haec*, vel *Hic*, vel *O capita, o duces hoc belli*. Caput populi bellum gerentis est ipsa Laurentum urbs. 573) C. 6. *facies*. C. 1. *properi*. C. 7. *foedus reponite*. Illato urbi igne reposcite id, quod foedere jam pepigerant Latini. 575) Mor. II. *cuneos*. 576) C. 6. *improvisu*. 577) C. 6. *fatigant*, primos ad portas obvios, sc. stationem agentes. 578) Plur. *intorquent — pennis*. 579) Ven. *dextra* Brutus obsessos Xanthios hortabatur, ne vellent perire, sed facerent deditionem. 582) C. 1. *hostis*. C. 6. *rumpi* C. 7. *cogi*. Oud. *Bis victos hostes*; sc. bis ruperunt foedera. 585) Mor. I. *trahant*, sc renovandi foederis causa. 586) Bigot. *Arma fremunt*. 587) C. 7, 1. *punice*; sed cavo lapide. Pastor, sc. mellarius.

Vestigavit apes, fumoque implevit amaro;
Illae intus trepidae rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras;
Volvitur ater odor tectis; tum murmure caeco
Intus saxa sonant; vacuas it fumus ad auras.
  Accidit haec fessis etiam fortuna Latinis,
Quae totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi muros, ignes ad tecta volare;
Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnae juvenem in certamine credit
Exstinctum; et, subito mentem turbata dolore,
Se caussam clamat, crimenque, caputque malorum:
Multaque per moestum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
Quam cladem miserae postquam accepere Latinae:
Filia prima manu flavos Lavinia crines
Et roseas laniata genas, tum cetera circum
Turba, furit; resonant late plangoribus aedes.
Hinc totam infelix vulgatur fama per urbem.
Demittunt mentes; it scissa veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans;
[Multaque se incusat, qui non acceperit ante

---

588) C. 8. *fusoq.* Fumo apes pelluntur. 589) C. 1, 6, 8, 7. *Ille.* Trepidae rerum, propter casum repentinum. 590) C. 8. *rumoribus.* C. 7. *auras.* Zul. *alas-* 591) Goth. III. *Solvitur* G. II. *intus odor.* Men. II. *castris.* Caeco, quia murmur intus auditur. 592) C. 7. *vacua fit.* Burm. tres *in auras.* 593) C. 8. *hic fossis.* C. 7. *hoc.* Goth. II. *fessis.* 594) Parrh. *totam in l.* Hug *tamto in l.* 595) Dorv. *venientes pr. hostes.* 596) C. 1, 8, 6. Incendi. C. 7. *incensi.* C. 1, 8. *ignis.* Incessi muros, infestari ab hostibus imminentibus. 598) Rom. *a cert.* Ven. *in certamina.* 599) Goth. III. *dol. est.* 600) C. 7. *furorem.* Ed. Junt. *exclamat.* 601) C. 7. hic vers. deest. Pier. aliq. *efflata* vel *afflata dolorem.* 602) C. 7. *di- scidit.* Goth. II. *discingit.* Purpureus color est regius. 603) C. 7. *vectit.* Dorv. *infamis.* Zul. *informem.* Gud. *ab alto.* Nodum leti pro nodo letifero — informis pro turpi. 605) C. 8. *flores.* 606) Mor. II. *lacerata.* 607) C. 7, 8. *clangoribus.* Med. *clamoribus*; sed intelligitur de concussione pectorum. 609) C. 1. *Emittunt.* C. 8. *Dimittunt.* C. 7. *Dimissa.* 612) Burm. duo *incusans.* Hamb. II. *acceperat.* Multa pro, multum; neutrum pro adverbio.

Dardanium Aenean, generumque adsciverit ultro.]
Interea extremo bellator in aequore Turnus
Palantes sequitur paucos, jam segnior, atque
Jam minus atque minus successu laetus equorum.
Attulit hunc illi caecis terroribus aura
Commixtum clamorem, arrectasque impulit aures
Confusae sonus urbis et illaetabile murmur.
Hei mihi! quid tanto turbantur moenia luctu?
Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigae currumque et equos et lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, sequamur
Trojugenas, qua prima viam victoria pandit;
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.
Ingruit Aeneas Italis, et proelia miscet;
Et nos saeva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior, pugnae nec honore recedes.
Turnus ad haec:
O soror, et dudum, agnovi, quum prima per artem
Foedera turbasti, teque haec in bella dedisti;
Et nunc nequidquam fallis dea. Sed quis Olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miseri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quae jam spondet Fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos, me voce vocantem,
Murrhanum, quo non superat mihi carior alter,

---

613) Plures *acciverit*. Dardanium, Trojanum. Dolet Rex Latii, quod hominem non acceperit, cuius genus a Dardano Latio. 614) Extrema acie. 615) C. 7. *atq jam*. 616) Quia equi jam minus celeriter currebant. 617) Terroribus, quorum causam ignorabat. 618) C. 1. *auris*. 620) Multi *Et*. Zul. *quod t* 621) C. 1. *Quis venit*. Burm. tres *tantos*. Hug. *ad urbem*. Diversa ab vel in urbis parte. 622) C. 7. *adductis amens*. Zul. *et ductis*. 623) Gud. *hic*. Hamb. II. *hinc*. 624) C. 8. *rigebat*. Al. *currusq — tenebat*. 627) C. 8, 7. *possunt*. 628) Hug. *Ingruet*. 629) Zul. *multa manu*. Mittere, demittere morti. 630) C. 6, 8. *pugna*. Gud. *recedens*. Bigot. *recedas*. Numero, sc. caesorum. 631) Leid. supplet: *humili respondet talia voce*. 633) Oud. *atq. haec*. 634) Fallis, latere vis. 635) C. 6. *Dimissam*. Hug. *Praemissum*. Plures *perferre*. 637) C. 1, 8. *ago*. Gud. *spondit*. 639) C. 6. *fuerat*. Reg. *quod*. Murranum, regii sanguinis virum. Superat, pro vivit et superest.

Oppetere, ingentem, atque ingenti vulnere victum,
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens
Adspiceret; Teucri potiuntur corpore et armis.
Exscindine domos, id rebus defuit unum,
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo, et Turnum fugientem haec terra videbit?
Usque adeone mori miserum est? vos o mihi Manes,
Este boni: quoniam Superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpae
Descendam, magnorum haud unquam indignus avorum.
Vix ea fatus erat; medios volat, ecce, per hostes
Vectus equo spumante Saces, adversa sagitta
Saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum:
Turne, in te suprema salus; miserere tuorum.
Fulminat Aeneas armis, summasque minatur
Dejecturum arces Italûm, excidioque daturum;
Jamque faces ad tecta volant. In te ora Latini,
In te oculos referunt; mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quae sese ad foedera flectat.
Praeterea regina, tui fidissima, dextra
Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus et acer Atinas
Sustentant aciem. Circum hos utrinque phalanges
Stant densae, strictisque seges mucronibus horret

641) Ufens, dux Aequicolarum, occisus a Gya Trojano. 642) Teucri, Trojani. Accipit pro contumelia sua Turnus, caruisse Ufentem sepultura, et spolia ejus esse in potestate hostium. 644) Men I. *ne D.* Parrh. *d. Dr haec.* Drancis, Latini principis, Turno infesti, qui ipsi fugam publica oratione objecerat 645) Rom. *videbo.* 646) Manes boni, s. Dii inferi me propitii excipite, siquidem superi mea non amplius curant. Mori malo, quam ea me viventem culpa maculare, quod urbem deseruerim. 647) Med. *adversa.* 648) Culpae, fugae, ignominiae. 649) Dorv. *Descendet.* 650) Hug. *volat ille*, quo indicatur celeritas nuntiantis. 651) C. 1, 7, 8. *Sages* 654) C. 6. *et summa.* Aeneas irruit in modum fulminis. 655) C 8, 1, 6. *Italum arces.* C. 7. *Italum aras.* Mont. *Italis arces* Mor. I. *excidiumq.* 657) Mussat, dubitat, vix audet loqui, tacite deliberat. 658) C. 6. *flectet* Hamb. I. *in foed.* Pier. aliq. *mittat.* 659) Tui, in te. 660) Exterrita, in furorem acta. 661) C 1, 8, 6. *Asylas.* 662) Med. *acies.* Phalanges, pedestres copiae. 663) Zul. *sages.*

Ferrea: tu currum deserto in gramine versas.
Obstupuit varia confusus imagine rerum
Turnus, et obtutu tacito stetit. Aestuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et Furiìs agitatus amor, et conscia virtus.
Ut primum discussae umbrae, et lux reddita menti,
Ardentes oculorum orbes ad moenia torsit
Turbidus, eque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem, flammis inter tabulata volutus
Ad coelum undabat vortex, turrimque tenebat;
Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque rotas, pontesque instraverat altos.
Jam jam fata, soror, superant; absiste morari;
Quo deus et quo dura vocat Fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Aeneae, stat, quidquid acerbi est,
Morte pati; nec me indecorem, germana, videbis
Amplius. Hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Dixit, et e curru saltum dedit ocius arvis;
Perque hostes, per tela ruit; moestamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti montis saxum, de vertice praeceps
Quum ruit, avulsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas,
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,

---

664) C. 8 *deserta in germine*. Ven. *diverso in gr.*; sed extremo campo, ad contumeliam. 665) C. 1. *obstipuit*. 666) C. 7. *obtuitu*. 667) Dorv. *Una*. Bigot. *dolor*. Goth. II. *mixtaq*. Reg. *vesania*. 668 C. 7. *At*. Hamb. II. *agitatur*. Furiis etc., a desperatis Laviniae nuptiis. 669) C. 1. *menti est*. 670) C. 1 *orbis*. 671) C. 7. *rotos*. Ven. *prospexit*. Leid. *conspexit*. Hamb. II. *ad m. respicit v.* 672) Leid. *volutis*. Tabulata sunt turris contignationes. 673) C 6, 8, 7. *vertex* Zul *petebat*. 674) C. 8. *compactam*. C 7. *duxerat*. Goth. II. *qua*. 675) C. 8. *potensq*. C. 1. *instruxerat*. Al. *intraverat* vel *exstruxerat*. Pontesque, quibus discursus fieret per turres et muros. 677) Quo Deus, pro malo daemone. 678) C. 7. *manu*. 679) C. 6, 1, 7. *neq. me*. 680) Hamb. I. *Hoc*. Zul. *luere*. Furere furorem est graecismus. 681) Hamb. I. *a curru*. 682) C. 1. *hostis*. Burm. tres *et tela*. 683) Goth. III. *trepido*. 684) Mons, pro montis rupe. 685) Mor. II. *ventis*. Avulsum imbre. 686) C. 1. *volvit*. Bigot. *Proruit*. Burm. tres *Profluit*. Goth I. *sublaxa*. Sublapsa saxi vetustas pro saxo sublapso vetustate. 687) C. 7. *ictu* pro, actu, impulsu — mons pro saxo — improbus, ingens.

Exsultatque solo; silvas, armenta, virosque
Involvens secum: disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso
Sanguine terra madet, striduntque hastilibus aurae;
Significatque manu, et magno simul incipit ore:
Parcite jam, Rutuli; et vos tela inhibete, Latini;
Quaecunque est Fortuna, mea est; me verius unum
Pro vobis foedus luere, et decernere ferro.
Discessere omnes medii, spatiumque dedere.
At pater Aeneas, audito nomine Turni,
Deserit et muros, et summas deserit arces;
Praecipitatque moras omnes; opera omnia rumpit;
Laetitia exsultans, horrendumque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Quum fremit ilicibus, quantus, gaudetque nivali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.
Jam vero et Rutuli certatim et Troes, et omnes
Convertere oculos Itali, quique alta tenebant
Moenia, quique imos pulsabant ariete muros;
Armaque deposuere humeris. Stupet ipse Latinus,
Ingentes, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coiisse viros, et cernere ferro.
Atque illi, ut vacuo patuerunt aequore campi,
Procursu rapido, conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem clipeis atque aere sonoro.
Dat gemitum tellus; tum crebros ensibus ictus
Congeminant; Fors et virtus miscentur in unum.

---

689) C. 7. *et disj.* 691) C. 7. *stridentq.* 693) C. 7. *et* abest. Inhibete, retro agite, pupim convertite. 694) Verius, aequius. 695 C. 7. *ludere* Luere poenas constitutas in transgressores foederis. 696) Dorv. *mediis.* 699) Festinanter agit omnia, quae eum morari poterant. 700) Oud *exsultat.* 701) C. 6, 1, 7. *Athon.* Reg. *et quantus.* Athos est mons Macedoniae, imminens mari Aegaeo. Eryx est mons Siciliae, post Aetnam maximus. 703) Goth. III. *se tollens.* Apenninus est montium perpetua series, ex Alpibus propagata; pater dicitur tot sylvarum, tot fluminum, quae in utrumque latus Italiae ex eo erumpunt 706) Oud. *altos.* Mor II. *abiete* pro, ariete s. machina, quassandis muris comparata. 708) C. 1, 8. *Ingentis* 709) C. 6, 1, 7. *coisse.* C. 6, 1, 7. *decernere* sine *et.* 711) Med *conjectisq.* 712) Men. II. *simul aere*. incipiunt pugnam. 713) C. 7. *Dant.* C. 6. *cum.* Med. *crebris ens. ictis.* 714) C. 7. *frons.* Rott. II. *Congeminat.* Pugnantes non modo virtutem praestant, sed et casum ac fortuuam in vulneribus inferendis observant.

Ac velut ingenti Sila, summove Taburno,
Quum duo conversis inimica in proelia tauri
Frontibus incurrunt: pavidi cessere magistri;
Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencae,
Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur;
Illi inter sese multa vi vulnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, et sanguine largo
Colla armosque lavant; gemitu nemus omne remugit:
Haud aliter Tros Aeneas et Daunius heros
Concurrunt clipeis; ingens fragor aethera complet.
Jupiter ipse duas aequato examine lances
Sustinet, et fata imponit diversa duorum;
Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.
Emicat hic, impune putans, et corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem,
Et ferit. Exclamant Troes trepidique Latini,
Arrectaeque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu:
Ni fuga subsidio subeat. Fugit ocior Euro,
Ut capulum ignotum dextramque adspexit inermem.
Fama est, praecipitem, quum prima in proelia junctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigae rapuisse Metisci;
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit: postquam arma dei ad Vulcania ventum,

---

715) C. 8. *Silla.* C. 7. *Silva*, sylva ingens Apennini montis. Taburnus, mons olivifer, in Samnio Campaniae confini. 716) Men. II. *conversi.* Men. I. *diversis.* Zul. *c. inter se praelia.* 718) Juvencae timide mugiunt. 719) C. 6, 8, 7. *pecori.* C. 1, 6, 7. *imperet et.* Sprot. *sequuntur.* 720) Gud. *praelia misc.* 721) C. 7. *infingunt.* 722) Armos, humeros. 723) C. 7. *Non aliter.* Mor. I. *Lavinius h.* Turnus est Dauni filius. 724) Pier. aliq. *ae. pulsat.* 725) Parrh. *ex agmine.* Goth. III. *aeq. pondere.* Examen est filum, s. lingula in medio bilancis pendula, cujus momentis judicatur, quo pondus vergat. 727) C. 6 *aut quo.* Uter, lance alterutra depressa, morti destinetur. 728) Mont. *hac.* Zul. *imp. micans.* Sprot. *c. tanto.* Impune putans id sibi futurum. 729) C. 1. *consurget.* C. 7. *Alta.* 732) C. 7. *ardente des. ictum.* Med. *in medio tardentem.* 733) Sprot. *ocior aura.* Euro, vento orientali. 734) Ignotum, quia alienum. 735) Plur. *primum.* 736) Patrio, quem Vulcanus Dauno, Turni patri, fecerat. 737) Trepidat, properat. 738) Mont. *Jamq. diu.* Leid. *Teucris.* 739) C. 6, 8, 7. *ventum est*, ad Dei Vulcani arma, qui Veneris rogatu Aeneae ensem, clypeum et galeam fecerat.

Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit; fulva resplendent fragmina arena.
Ergo amens diversa fuga petit aequora Turnus;
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Undique enim densa Teucri inclusere corona,
Atque hinc vasta palus, hinc ardua moenia cingunt.
Nec minus Aeneas, quamquam tardata sagitta
Interdum genua impediunt, cursumque recusant,
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urguet:
Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum, aut puniceae septum formidine pennae,
Venator cursu, canis et latratibus, instat;
Ille autem, insidiis et ripa territus alta,
Mille fugit refugitque vias; at vividus Umber
Haeret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est.
Tum vero exoritur clamor; ripaeque lacusque
Responsant circa, et coelum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.
Aeneas mortem contra, praesensque minatur
Exitium, si quisquam adeat; terretque trementes,
Excisurum urbem minitans, et saucius instat.
Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt
Huc illuc. Neque enim levia aut ludicra petuntur

---

740) C. 6, 8. *futulis*. Ven. *Fatalis*. Plur. *gl. cui*. Leid. *fusilis*; sed fragilis, inutilis. 741) Multi *resplendet fragmen*. Goth. III. *respondent*. Ven. *agmina*. 742) Leid. *aequore*. 743) C. 8. *nunc h.* 744) Goth. III. *caterva*. 745) Men. I. *moenia spargunt* Vasta palus, colluvies aquarum agrestis, ut Laurentina regio. 746) C. 8, 1. *tardante*. Mont. *turbata sagitta*, qua vulneratus fuerat 748) C. 7. *f instat*. 749) C. 8. *sed*. 750) C. 1. *punicae*. C. 7. *pinnae*. Goth. II. *captum*. Venatoria formido est contextus plumarum, quo cervi terrentur, adiguntur que in retia; huc etiam spectant insidiae. 753) Med. *ac* Sprot. *aut*. Bigot. *invidus*. Hamb. II. *umidus imber*. Umber est canis ex Umbria. 754 Rom. *tenens*. 755) Men. II. *illusus*. 756) Lacus, intelligenda arundo et arbusta circa paludem. 757) C. 8, 7, 1. *c. fragore t.* C. 6. *Respondent*. Plures *intonat*. 760) Goth. I. *A\ c. praesens mortemq. m.* 761) C. 1, 6, 8, 7. *trementis*. Ven. *Excidium*. Dorv. *aderat*. 762) Parrh. *Excissurum*. Licet saucius urget. 763) C. 7. *urbes*. C. 7. *recescunt*. Al. *implent* vel *complent*. 764) Oud. *Huc atq. huc* Levia, ut in ludis et certaminibus.

Praemia, sed Turni de vita et sanguine certant.
Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, et votas suspendere vestes:
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hic hasta Aeneae stabat; huc impetus illam
Detulerat, fixam et lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides, teloque sequi, quem prendere cursu
Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus
Faune, precor, miserere, inquit, tuque optima ferrum
Terra tene, colui vestros si semper honores,
Quos contra Aeneadae bello fecere profanos.
Dixit, opemque dei non cassa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit discludere morsus
Roboris Aeneas. Dum nititur acer et instat,
Rursus in aurigae faciem mutata Metisci
Procurrit, fratrique ensem dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci Nymphae indignata licere,
Accessit, telumque alta ab radice revellit.
Olli sublimes, armis animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta,
Adsistunt contra certamine Martis anheli.
Junonem interea Rex omnipotentis Olympi

---

766) C. 7. *foliisq.* Faunus est Deus Laurentinorum, Latini pater aut avus. Oleaster est olea sylvestris, saepe pro templis constituta, suspendendis donariis 767) Parrh. *signum.* 768) C. 7. *Servans.* Dona naufragii testes, et vestimenta. 769) C. 8. *voto.* 771) Campo vacuo, absque impedimentis arborum. 772) Rott. III. *huic.* Goth. III. *hic.* 773) C. 1, 6, 8, 7. *in* deest. C. 7. *et* abest C 7. *lentam.* Ven. *ut lenta*, s. tenaci. 777) Rott. II. *tuaq.* 779) Plur. *ferro f.* Aeneadae, non Teucri, aut Troiani, quasi totum nefas dimanet ab uno Aenea. Loca esse desinebant sacra, si capta essent ab hostibus. 781) Hug. *Jamq.* 782) C. 7. *discurrere.* Leid. *potuit.* Med. *discurrere.* Ven. *discindere.* Leid. *convellere.* 783) Morsus roboris, tenacitatem oleaginae radicis, quasi mordicus hastam tenentis. 784) Zul. *conversa.* 785) Hamb. II. *tradit.* Juturna, Turni soror, Dauni filia. 786) C. 8. hic vers. deest. 787) C. 8. *a.* 788) C. 1, 6. *Illi.* 789) Arduus, audax. 790) C. 7. *Ins. c. certamina.*

Alloquitur, fulva pugnas de nube tuentem:
Quae jam finis erit, conjunx? quid denique restat?
Indigetem Aenean scis ipsa, et scire fateris,
Deberi coelo, fatisque ad sidera tolli.
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus haeres?
Mortalin' decuit violari vulnere divum?
Aut ensem (quid enim sine te Juturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, et vim crescere victis?
Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris.
Nec te tantus edat tacitam dolor; et mihi curae
Saepe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. Terris agitare vel undis
Trojanos potuisti; infandum accendere bellum,
Deformare domum, et luctu miscere hymenaeos:
Ulterius tentare veto. Sic Jupiter orsus;
Sic dea submisso contra Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Jupiter: et Turnum et terras invita reliqui.
Nec tu me aëria solam nunc sede videres
Digna indigna pati; sed flammis cincta sub ipsam
Starem aciem, traheremque inimica in proelia Teucros.
Juturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi, et pro vita majora audere probavi;
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum:
Adjuro Stygii caput implacabile fontis:
Una superstitio superis quae reddita divis.

---

792) Bigot. *pugnam.* Med. *videntem.* 793) Leid. *Qui.* Hamb. I. *Quis.* Men. II. *erat.* 794) Indigetes Dii, qui primo in terra degentes, inde in coelum traducti fuerant. 797) C 8. *vidari* (?). C. 7. *Mortali decuit.* Vulnere Deorum violatus erat mortalis. 798 Reg. *Haud.* Goth. III. *Erectum.* 799) Victis pro, victo. 800) Dorv. *que* abest. 801) Leid. *tacitus.* Dorv. *ne mihi.* *Et* pro, *nec.* 804) C. 7. *accedere.* Accendere bellum excitata ex inferis furia, quae foedus Latini cum Aenea disturbaret. 805) Deformare domum luctu. 808) Sprot. *quod.* Parrh. *mihi est.* Plur. *tua magna vol.* 809) C. 7. *in vita* Men. I. *invisa.* Plur *relinquo.* 810) Dorv. *aeriam.* Plur. *sub nube.* Men. II. *sub sede.* Nec tu, sc. nisi hoc ita se haberet. 811) C. 1, 6, 8, 7. *ipsa st. acie.* Starem in acie flammis cincta. 813) Dorv. *fateor miseram.* 815) C. 7. Nunc *ut non.* 816) Leid. *implicabile.* Mont. *intractabile.* Zul. *insatiabile.* Per Stygium, inferni fontem, Dii jurare solent. 817) Superstitio est gravis et formidolosa religio, metus religiosus.

Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum:
Quum jam connubiis pacem felicibus, esto,
Component, quum jam leges et foedera jungent:
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari;
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium; sint Albani per saecula reges;
Sit Romana potens Itala virtute propago;
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja.
Olli subridens hominum rerumque repertor:
Et germana Jovis, Saturnique altera proles,
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verum age, et inceptum frustra submitte furorem.
Do, quod vis; et me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt;
Utque est, nomen erit; commixti corpore tantum
Subsident Teucri. Morem ritusque sacrorum
Adjiciam, faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire deos pietate videbis;
Nec gens ulla tuos aeque celebrabit honores.
Annuit his Juno, et mentem laetata retorsit.
Interea excedit coelo, nubemque reliquit.

---

818) Dorv. *que* abest. 819) Ment. *tenentur.* 820) C. 6. *Lati.* *Tuorum* refert Servius ad Saturnum, qui in Italia regnaverat, et ad Latinum, qui inde originem duxit. 821) C. 1, 8. *connubiis.* Vrat. *infelicibus.* 822) Parrh. *Componant.* Rott. I. *ad f.* 823) Itaque Virg. Latinorum nomen, non a Latino rege profectum, sed multo antiquius censet. 824) C. 7. *Ne.* 825) Med. *vestem.* 826) Goth. III. *Sint Latii.* 827) Albani reges, ab Ascanio instituti. 828 C. 7. *occiditq* Bigot. *cognomine.* 829) C. 1. *Illi.* 830) C. 7. *Es.* Ment. I. *Est.* 832) Frustra, quia fatis pugnabant. Me remitto a contentione. 833) C. 8. *Dona.* Leid. *Dic, q.* Bigot. *qua v.* Hamb. II. *nam me.* 834) C. 6. *patrum.* Ausonii, Itali, quos prius Latinos vocavit. 835) C. 7, 8. *commixto corpore*, initis conjugiis. 836 Goth. II. *Teucris*; sed male: nam latebunt sub Latinorum nomine. Verbo *Subsident* significatur domicilium, quod acquiritur. 838) Goth. I. *Hinc g. Ausonium, mixto q.* Parrh. *mixtum cum s.* 839) Hamb. II. *Ultra homines.* Leid. *jubebis.* Praestantia summa innuitur. 841) Mentem flexit. 842) C. 1, 6. *relinquit.* Coelo, pro ipsa nube.

His actis, aliud Genitor secum ipse volutat;
Juturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminae pestes cognomine Dirae,
Quas et Tartaream Nox intempesta Megaeram
Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.
Hae Jovis ad solium, saevique in limine regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus aegris,
Si quando letum horrificum morbosque deum rex
Molitur; meritas aut bello territat urbes.
Harum unam celerem demisit ab aethere summo
Jupiter, inque omen Juturnae occurrere jussit.
Illa volat, celerique ad terram turbine fertur:
Non secus, ac nervo per nubem impulsa sagitta;
Armatam saevi Parthus quam felle veneni,
Parthus, sive Cydon, telum immedicabile, torsit;
Stridens, et celeres incognita transilit umbras.
Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni:
Alitis in parvae subitam collecta figuram,
Quae quondam in bustis, aut culminibus desertis,
Nocte, sedens, ferum canit importuna per umbras:
Hanc versa in faciem, Turni se pestis ob ora

---

843) Goth. III. *His dictis*. Genitor, Jupiter. 844) Hug. *fratri*. Burm quatuor *demittere*, avertere. Goth. III. *descendere*. 845) Dirae Furiae Noctis et Acherontis dicuntur esse filiae. 846) C. 8. *Mogeram*. C. 1. *Gemaram*. Tres exitiosae Deae. Nox ad agendum intempestiva. 847) C. *partu tulit*. Leid. *Unum*. Hug. *reduxit*. Paribus, pariter. 849) C. 8 *solum*. Leid. *saevoq*. Oud. *ad limina*. Jovis veri, non Plutonis, ut alii volunt. 851) C. 1. *locum*. 853) C. 6, 8. *dimisit*. Mor. I. *demittit*. Unam, sc. Maegaeram, quasi haec una huic uni negotio, i. e. Turni letho, praeficienda. 854) Est omen, quod veluti in occursu accidit, et nihil cogitanti homini. 855) Turbine pro motu. 856) Per nubem, aerem. 857) Sprot. *Armatus*. Felle venenato. 858) Oud. *tel. medicabile*. Parthi sagittandi arte nobiles erant. Cydon, incola urbis eiusdem nominis in Creta, s. Candia insula. 859) Sagitta ipsa est celerrima. 861) C. 6. *Iliadas*. Mor. I. *venit*. 862) C. 7. *parte*. Med. *subito conversa*, in minorem speciem mutata. Noctua sub alite intelligitur. 863) C. 1. *culminibusq*. Bigot. *aut cumulantibus aris*. 864) C. 6. *umbram*. Importuna nocte, ingrata. Serum proprie de extremo die sumitur. 865) C. 1, 6, 8, 7. *ad ora*. Med. *versam*. Med. *in ora*.

Fertque refertque sonans, clipeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor;
Arrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit.
At, procul ut Dirae stridorem agnovit et alas,
Infelix crines scindit Juturna solutos,
Unguibus ora, soror, foedans, et pectora pugnis:
Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?
Aut quid jam durae superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem,
Obscenae volucres; alarum verbera nosco,
Letalemque sonum; nec fallunt jussa superba
Magnanimi Jovis. Haec pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit aeternam? cur mortis ademta est
Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certe, et misero fratri comes ire per umbras.
Immortalis ego? aut quidquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit? O quae satis alta dehiscat
Terra mihi, Manesque deam demittat ad imos?
Tantum effata, caput glauco contexit amictu
Multa gemens, et se fluvio dea condidit alto.

Aeneas instat contra, telumque coruscat
Ingens arboreum, et saevo sic pectore fatur:
Quae nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas?
Non cursu, saevis certandum est cominus armis.

---

866) Hamb. I. *volans.* Med. *reverberat.* 867) Med. *novos.* Men II. *solvat.* 868) C. 6. *horrere.* Hamb. I. *errore.* 869) Stridorem, vocis sonum. 870) Dorv. *crines solvit.* 871) C. 6. *et* deest. 873) Vulgo *miserae sup.* 874) C. 1 *tali non.* C. 7. *tali possum.* Erf. *moror.* 875) Leid. *Nam jam.* Oud. *trementem.* 876) Volucres male ominatae. 877) Zul. *fallant.* Nec me latet fieri haec Jovis voluntate. 878) Gud. *Magnanima.* Ven. *Hoc* pro virginitate, quam Juturnae rapuerat Jupiter 879) Pier. aliq. *Cur v.* Hamb. II *Quid v.* 880) C. 1, 6, 8. *ut possem.* Med. *possim.* Plur. *labores.* 881) Plur. *sub umbr.* 882) C. 8. *haud.* C 6. *Jam mortalis.* C. 7. *Jam immortalis.* 883) C. 8, 1. *ima.* Leid. *O qua.* Gud. *O quam.* Ven. *una.* 884) C. 1. *Manisq*, s. inferos. C. 8. *dimittat.* 885) Zul. *detexit.* Glauco amictu, ex colore aquarum, quibus praeerat Nais Juturna. 886) Reg. *est fl. se condit in alto*, sc lacu, ex quo fluvius prodit; al Tyberi 887) Coruscat, active. 888) Med. *Ingemens.* 889) C. 7. *nunc* deest.

Verte omnes tete in facies; et contrahe, quidquid
Sive animis sive arte vales; opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terra.
Ille caput quassans, Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox; dî me terrent, et Jupiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat,
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem,
Altior insurgens, et cursu concitus, heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu, saxumque immane moventem:
Genua labant; gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.
Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
Velle videmur, et in mediis conatibus aegri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notae
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur:
Sic Turno, quacunque viam virtute petivit,
Successum dea dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos adspectat, et urbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit;
Nec, quo se eripiat, nec, qua vi tendat in hostem,

---

892) C. 6. *opta te ardua.* Hamb. II. *pugnis.* 893) Oud. *te credere.* 895) C. 1, 6, 8. *Dii.* Dicta arrogantia. Jupiter infestus. 898) C. 6, 8 *arvi.* C. 7. *agri.* Leid. *agros.* Mor. II. *decerneret.* Limes dictus est via obliqua, discernendis agris constituta. Arvum est pars agri. 899) Ven. *Vix illum.* Leid *levarent.* Goth. III. *moverent.* 901) C. 8. *Ille* manu festina torquere volebat. 903) C. 7. *ne.* Dorv. *nec curr.* Goth. III. *nec se* G. II. *cognovit.* 904) C. 7, 1, 6, 8. *Tollentemq.* Med. *Saxumve.* Torpor a Furia injectus exprimitur, qui corporis vires debilitat. 906) Lapis ipse ab eo viro projectus. Aer oculis nostris inanis et vacuus esse apparet. 907) C. 6, 1, 7. *neq.* Al. *ev, t. n.* 908) Men. II. *oc. cum.* 911) C. 7 *nocte.* Med. *volet.* Gud. *corpora.* Men. II. *motae.* 912) Al. *nec verba.* 913) C. 7. *via.* 914) Zul. *dea dicta.* Rott. II. *cum pectore.* Bigot *pectora.* Zul. *conspexit et v.* 915) Tum varia consilia animo vertit Turnus. 916) C. 7. *tremescit.* 917) C. 7. *rapiat.* C. 8. *qua intendat.*

Nec currus usquam videt, aurigamve sororem.
Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis; et corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita nunquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit
Loricae, et clipei extremos septemplicis orbes;
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circum, et vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit;
Utere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest: oro, (fuit et tibi talis
Anchises genitor) Dauni miserere senectae;
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti; et victum tendere palmas
Ausonii videre; tua est Lavinia conjunx;
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Aeneas, volvens oculos, dextramque repressit;
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo

---

918) C. 6, 8. *aurigamq.* C. 7. *soporem.* Oud. *currum.* Burm. duo *cursus.* 919) Coruscat, vibrat. 920) Goth. III. *Sortitam* Leid. *pectore toto* pro, omnibus corporis viribus. Contemplatus locum in corpore, quo ictum dirigeret. 921) Bigot. *nusquam.* Eminus mittitur telum idem est, atque e manu. 922) C. 8. *flumine.* C. 6. *s. sonant.* Ut saxa confremunt percussa tormento belli, ita arma Aeneae hasta. 923) Reg. *trepidus.* Atri turbinis instar. quae ut praecedentes comparationes assumuntur tam ad celeritatem explicandam, quam ad nocumentum. 924) C. 8 *ferit.* Parrh. *Excidium.* Med *durum.* C. 7. *reclusit* extremitates loricae, quae femur attingunt, et extremitates imi clypei, quem tegendo capiti altius sustulerat. 925) C. 1. *orbis.* Septem coreis aut laminis ferreis aereisve contexti. 926) C. 1. *Et medium.* Parrh. *stringens.* Hug. *ictu* 927) Duplicato poplite, inflexo genu. 928) Gemitus Rutulorum consurgit. 929) Parrh. *circa.* Vrat. *alta dederunt.* 930) C. 7. *supplex.* 931) C. 8, *Praetendens.* Oculos convertit, manus protendit. 933) C. 7. *tali.* 936) C. 8. *fecisti.* Rott. II. *evictum.* 938) Leid. *nec tende.* Aeneas stetit tenens clypeum et ensem. 940) Pier. aliq. *flectere mentem.*

Coeperat: infelix humero quum apparuit alto
Balteus, et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri; victum quem vulnere Turnus
Straverat atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille, oculis postquam saevi monumenta doloris
Exuviasque hausit, furiis accensus, et ira
Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, et poenam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus. Ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

---

941) C. 7. *humido.* 942) C. 7. *natis.* Bigot. *fluxerunt.* Balteus est cingulum humero laterique circumdatum, ornatum bullis, s. clavis aureis. 944) C. 6. *at humeris.* Militari more balteus ex humeris pendebat. 945) Doloris mon., quae recordationem ex Pallantis morte renovant. 946) C. 7. *Exuvias.* Dorv. *incensus.* Hausit oculis, dictum est ex commutatione sensuum, quia proprie aures hauriunt. 947) C. 8. *his*; al. *hic.* Meorum, pro uno ex amicis. 948) Parrh. *Eripiere.* 949) C. 7. *Scelerato sanguine.* Immolat te Diis inferis. 950) Bigot. *adversum sub.* Mor. qu. *in pect. torsit.* 952) Anima moerens fugit, quod juvenis morte immatura moreretur, quod victus ab extero, quod regno et sponsa privatus, quod post spem veniae conceptam.

P. VIRGILII MARONIS

CARMINA MINORA.

CULEX

AD OCTAVIUM.

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia;
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum.
Lusimus: haec propter Culicis sint carmina dicta.
Omnis ut historiae per ludum consonet ordo
Notitiae, ducem voces: licet invidus adsit.
Quisquis erit culpare jocos Musamque paratus:
Pondere vel Culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra: dabunt cum securos mihi tempora fructus:
Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.

C. 7. CULIX, sine inscriptione: *ad Octavium*, qui non potest determinari. 1) Thalia, avena. 2) C 7. *ursum.* Helmst. *usum.* 3) C. 7. *Culici.* Voſs. *docta.* Cum lusus hoc esse debeat carmen, nomen quoque imposui ludicrum Culicis, ut tota narratio ludicra sit. 4) C. 7. *et.* 5) C. 7. *Notitiaeque ducum*; sed deducam, canam. Al. *Notitiam ducunt.* 6) C. 7. *curpare.* 7) Heins. *feratur.* 8) Heins. *Post erit, ut grav. s. t. M. loquatur.* 9) Voſs. *Dicta.* Heins. *dab. c. maturos sua temp fructus*, sc. ingenii, studii. 10) C. 7. *spoliantur.* Voſs. *Ut te d. suo.* Vulgo *dignato.*

Latonae magnique decus Iovis aurea proles,
Phoebus, erit nostri princeps et carminis auctor,
Et recinente lyra fautor: sive educat illum
Alma Chimaereo Xanthus perfusa liquore,
Seu nemus Asteriae, seu qua Parnassia rupes
Hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte,
Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.
Quare, Pierii laticis decus, ite, sorores
Naïdes, et celebrate deum plaudente chorea.
Et tibi, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona cura, sequi sit cura tenentis,
Aëreos nemorum tractus silvasque virentes.
Te cultrice vagus saltus feror inter et astra.

At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis adlabere coeptis,
Sancte puer: tibi namque canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus;
Nec Centaureos Lapithas compellit in ensis;
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces;
Non perfossus Athos, nec magno vincula Ponto
Iacta, meo quaerent jam sera volumine famam;
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Graecia cum timuit venientis undique Persas:
Mollia sed tenui percurrere carmina versu,
Viribus apta suis, Phoebo duce, ludere gaudet.

---

11) C. 7. *Jovis decus*. 13) C. 7. *recanente l. fauctor.* Educat, habet, tenet. 14) C. 7. *Xanthi*. Heins. *cruore*. Urbs Lyciae, quam alluit amnis Xanthus ex monte Chimaera proveniens. 15) C. 7. *Seu decus — pars nasia*. Vulgo *Seu decus Astrigeri*, quod de Sole accipiebant. 16) Scal. *praetendit*. 17) C. 7. *liquo*. Scal. *Castalia et resonans*. 18) Venite sorores Musae. Voſs *Pierii nemoris*. Al. *Vos quoque*. *P. — Naiades cel. d.* 19) C. 7. *ludente*. 20) C. 7. *tu*. 21) C. 7. *secura sit*. Ed Junt. 1532: *secure sit cura canentis*. Voſs *A. b. c. s. secura tenentes*. 22) C. 7. *Aerios n. cultus*; al. *saltus*. 24) Ed. Ald. 1517 *mer. o. f. tantis*. 26) C. 7. addit versum: *Triste Jovis ponitque canit non pagina bellum*. Schrader *mihi* pro *tibi* in primo, et in secundo *Tr. J. Rhoecique*, sc. gigantis. 27) C. 7. *quae* (?) Namque nec Gigantomachiam, nec pugnam Lapitharum cum Centauris, nec bellum Persicum cantare aggredior. 28) Ensis pro, armis. C. 7. *laphitas*. 29) C. 7. *Urit Erhicthoas moriens*. 31) C. 7. *Laeta — volumina*. Vulgo *Lecta*; al. *Lacta*, *Lata*. 33) Pompon. Sab. *non timuit*. 34) Voſs *versum*.

Et tu, sancte puer, venerabilis, et tibi certet
Gloria perpetuum lucis mansura per aevum;
Et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
Debita felicis memoretur vita per annos,
Grata, bonis lucens. Sed nos ad coepta feramur.
Igneus aethereas jam Sol penetrarat in arcis,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru;
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat:
Propulit ut stabulis ad pabula laeta capellas
Pastor, et excelsi montis juga summa petivit,
Lurida qua patulos velabant gramina collis.
Iam silvis dumisque, vagae iam vallibus abdunt
Corpora; jamque omni celeres e parte vagantes
Scrupea desertae perrepunt ad cava rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina morsu,
Pendula projectis carpuntur et arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Haec suspensa rapit carpente cacumina morsu
Vel salicis lentae, vel quae nova nascitur alnus;
Haec teneras fruticum sentes rimatur: at illa
Inminet in rivi praestantis imaginis undam.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta fastidiat, et probet illis

---

36) C. 7. *Hoc tibi s. p. memorabilis c.* Al. *Et tibi s. p. memorabile.* Heins. *En tibi — memorabitur.* Heyne suspicatur *Et tu s. p memorabere, sic tibi certet* vel *cedat* Gloria. 37) Heins. *saecli* pro *lucis* C. 7. *lucens.* 40) C. 7. *Aetherias* Al. *Aetnaeas*, *Etneas*, *Oeteas.* 42) C. 7. *Cand. quae a.* Quatere lumina, radios emittere. Heins. conj. *culmina* 43) C. 7. *Criminibus ros.* Al *fugabat.* 44) C. 7. *Pr. ae*, fors *e* vel *ex.* Ms. Koeler *ad pascua.* Edd. vett. *Protulit.* 46) C. 7 *colles.* Exc. Pithoei *Humida.* Schrader *Herbida.* Scalig. *Lucida*, sc. ob rorem. 47) C. 7. *validus.* Heins. conj. *cavis jam vall.* 48) C. 7. *celera se.* Heins. *iamque alacres omni de p.*. al. *certatim e p* Schrader *omni nemoris de p.* 49) C. 7. praemittit versum: *Tondebant* alteri *Scrupea des. haerebant ad cava rupes.* 50) C. 7. *Tondebant tenera.* 53) Schrader conj *rodentem* pro carpente. 54) C. 7. *Haec sal.* Heins. *vel qua* aut *vel, quae n. pascitur, alni.* 55) Heins. conj. *tenerae fruticem sentis*, Ms. Koeler *sentes ruminatur.* 56) Praestantis, prostantis, prominentis. Wakefield emend. *Imminet in rivum praestringens marginis umbram.* 57) Edd. vett. *siqui.* Heins. *si quis non paupere ab usu.* 58) Heyne conj. *Mente rei.* C. 7. *M pr. oloeta.* Edd. vett. *et probet: illi.* Scalig. et probet illic, sc. apud pastores.

Omnia luxuriae pretiis incognita curis,
Quae lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data vellera; si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum;
Picturaeque decus, lapidum nec fulgor in ulla
Cognitus utilitate manet; nec pocula gratum
Alconis referent Boetique toreuma; nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Saepe super tenero prosternit gramine corpus;
Florida cum tellus gemmantis picta per herbas
Vere notat dulci distincta coloribus arva;
Atque illum, calamo laetum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem ac fraude remota,
Pollentemque sibi, viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt gratae rorantes lacte capellae,
Et nemus, et fecunda Pales, et vallibus imis
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior aevo,
Quam qui mente procul pura sensuque probando
Non avidas agnovit opes; non tristia bella,
Nec funesta timet validae certamina classis;
Non, spoliis dum sancta deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,

---

59) Illi omnia sunt incognita, quae lacerant mentes curis, luxuriae pretiis. 60) Al. inim. *foenore*, *foedere*, *pignore*. 61) C. 7. *fuerit*; al. *fuerant*, *fulgent*. 62 Heins. conj. *Attal. ovibus*, pro opibus, s. immenso pretio emta. 63) C. 7. *domos a. n. angit.* Tangit, movet, delectat. 64) Lapides fulgentes politura et pictura musivaria. 65) Heins. em. *Igneus* pro, Cognitus ut. est. 66) Alcon Myleus, statuarius et caelator. 67) Heins. *praesto est.* C. 7 *a pect.* 69) Vofs. *gemmatis.* 70) C. 7 *dulcis.* Vofs *Vere novo dubiis.* Heins. conj. *novat.* 71) C. 7. *illam — recanente.* 72) C. 7. *degente fraude.* 73) C. 7. *Pollentem sibi.* Schrader *sui.* Heins. conj. *nubens.* 74) Coma Tmolia, cum palmite pampineo, velat eum subter amictu purpureo, ludens. Heins. conj. *celat.* 75) C. 7. absunt omnes versus a 75 ad 150. Heins. conj. *gravidae roranti.* 77) Novi fontes sunt vivi, perennes. 78) Scalig. *Qui.* 79) Heins. conj. *mente potens pura censuque.* 80) Vofs *Nec av. agnoscit.* Heins. conj. *inhiavit.* 81) Edd. vett. *tenet.* 82) Qui non caput discrimine pugnae objicit eo consilio, ut hostium spoliis, manubiis, templa deorum ornet, vel magnas opes e praeda sibi paret.

Adversum saevis ultro caput hostibus offert.
Illi falce deus colitur, non arte, politus;
Ille colit lucos; illi, Panchaïa tura,
Floribus agrestes herbae variantibus, adsunt;
Illi dulcis adest requies, et pura voluptas,
Libera, simplicibus curis: huc imminet, omnis
Dirigit huc sensus, haec cura est subdita cordi,
Quolibet ut requie victu contentus abundet,
Iucundoque liget languentia corpora somno.
O pecudes, o Panes, et o gratissima Tempe
Fontis Hamadryadum: quarum non divite cultu
Aemulus Ascraeo pastor sibi quisque poëtae
Securam placido traducit pectore vitam.
Talibus in studiis baculo dum nixus apricas
Pastor agit curas, et dum non arte canora
Conpacta solitum modulatur arundine carmen:
Tendit inevectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque aethereo ponit discrimina mundo,
Qua jacit Oceanum flammas in utrumque rapaces.
  Et jam conpellente vagae pastore capellae
Ima susurrantis repebant ad vada lymphae,
Quae subter viridem residebant caerula muscum.
Jam medias operum partis evectus erat Sol:
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras;
Et procul adspexit luco residere virenti,
Delia diva, tuo: quo quondam victa furore
Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agave

---

85) Falce, pro quocunque scalpello. 87) Agricolis sunt herbae florentes, quae turis pretiosi vicem sustineant. Wakefield emend. *viridantibus*. Edd. vett. *herbis*, *herbas*. 88) Voluptas curarum, quales vita simplex affert. 91) Ut tenui victu contentus abundet requie. 92) Ms. Koeler *Hirundoque liget*, Glofs. *domet*. Al. *licet*, *locet*, *levet*. 94) Quas colendo sine sumtu. 97) Vofs *apricus*. 98) Curas apricas, quia pastor ipse apricus — non arte canora, i. e. inconditum. Heins. *nulla arte canorus*. 99) Gaudium solitum, solidum, integrum. 100) Scalig. *Tendit ut*. Heins. *T. humo evectus*, sc. intendit. 101) Coelum in duas partes discriminat, quatenus radios versus orientem et occidentem aeque dispergit. 104) Al. *repetebant*. 105) Residebant, conj. resonabant, aut potius resonabat lympha. 106) Operum, operis, quasi sol opus diurnum expleret. 107) Heins. *densa — in umbra*. 108) Aspexit pastor pecudes cubare in luco tuo sub Cithaerone monte. 110) Cognito scelere interemti materna manu nati, Bacchum fugiens, in solitudinem secessit, ut moerori indulgeret.

Infandas scelerata manus e caede cruenta:
Quae gelidis bacchata jugis requievit in antro.
Posterius poenam gnati se morte futuram.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba,
Et Satyri Dryadesque choros egere puellae
Naïadum coetu. Tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis silvasque canendo,
Quantum te, Peneu, remorantem dia chorea,
Multa tibi laeto fundentes gaudia voltu,
Ipsa loci natura domum resonante susurro
Quis dabat, et dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aëreae platanus: inter quas inpia lotos,
Inpia, quae socios Ithaci maerentis abegit,
Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.
At, quibus insigni curru projectus equorum
Ambustus Phaeton luctu mutaverat artus,
Heliades teneris amplexae brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.
Posterius, cui Demophoon aeterna reliquit
Perfidiam lamentandi mala, perfida multis.
Quam comitabantur fatalia carmina quercus:
Quercus ante datae, Cereris quam semina, vitae:
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic, magnum Argoae navi decus, edita pinus

---

112) Heins. *Quo g* Schrader *Ogygiis.* 113) Fabric. *Post. p. g. de morte datura.* Heins. conj. *Post verita et poenas nati se morte daturam.* 116) Al. *Naj. et coetus. T. n. horridus.* 117) Scalig. *rivis silvisque.* Schrader *silvasque sonantes.* 118) Ed. Ald. *pernix* 119) Non tantum Orpheus cantu suo Hebrum, quantum te, Dea Diana, chorea Panum, Satyrorum et Dryadum voluptate audiendi videndique gaudentium tenuit. — Chorea fundentes pro, fundens tibi Dianae. 121) Al. *His dabat — in antro.* 123) Al. *Lotis.* 124) Impietas spectat fors ad injuriam Ulyssi factam sociis retentis. Abegit, revocavit ab Ulyssis navi. Intercessit loti suavitas, quo minus socii Ulyssis ad naves redirent. 126) Heins. *Ac, quib. ignipedum* etc. 127) Fors *implexae br.*, sc. habentes ramos truncis (vicinarum invicem populorum) implexos. 128) Heliades, tanquam Solis ex Climene filiae. 129) Candida, s. alba populus, pandebant extentis v. r 130) Agi de amygdala, in quam mutata fuit Phyllis Demophoontis perfidiam lamentata, obvium est. 132) Quercus, quae carmen reddunt, hinc carmen pro canente; fatale, quia de oraculo Heins. maluit *fatali carmine.* 133) Heins. *quam semina, victu* vel *adultae.* 135) Argoae, e qua Argo confecta et exornata fuit.

Proceras decorat silvas hirsuta per artus.
Adpetit aëreis contingere montibus astra
Ilicis et nigrae species, et laeta cupressus;
Umbrosaeque manent fagus, ederaeque ligantes
Brachia, fraternos plangat ne populus ictus;
Ipsaeque excedunt ad summa cacumina lentae,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos.
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus.
His suberat gelidis manans e fontibus unda:
Quae levibus placidum rivis sonat orta liquorem;
Et, quamquam geminas avium vox obstrepit aures,
Hanc querulae referunt voces, quis nantia limo
Corpora lympha fovet. Sonitus alit aëris Echo;
Argutis et cuncta fremunt ardore cicadis.
At circa passim fessae cubuere capellae,
Excelsisque super dumis: quos leniter adflans
Aura susurrantis possit confundere venti.
Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra,
Mitem concepit projectus membra soporem,
Anxius insidiis nullis: sed lentus in herbis
Securo pressos somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem:
Ni Fors incertos jussisset ducere casus.
Nam solitum volvens ad tempus tractibus isdem
Inmanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magno subsideret aestu,

---

136) Al. *Proceros.* 138) Ilicis species pro, ilice. Fortasse: *Ilicis et nigrae, et species Lethaea cupressi.* 139) Schrader *Atque umbrosa manet.* Voſs *monent.* Jacobs *patent.* 140) Al. *plangit quae.* 141) Al. *Ipsae* succedunt; al. *escendunt.* 142) Ederarum racemi cum acinis aureoli sunt. 143) In myrtum mutata femina Myrsine 151) C. 7. *ciadis.* Scalig. *et culta.* Ardore, per aestum. Heins. *fremunt arbusta.* 152) Schrader conj *fusae.* 153) Heins. *quo.* Barth. *qua.* C. 7. *quae.* 154) Scal. *poscit.* Confundit aura domos. 155) Edd. vett. *ad fontes.* Heins. *requietus.* Lindenbruch *porrectus.* 161) Al. *Cum sol.* C. 7. *tr. Idae.* Ald. *hydrae.* Al. *Idra, Ide. idem.* Fabric. *sonitum.* Heins. *involvens — tr. undam* vel *umbras.* Non sunt tractus serpentis, sed eadem loca. 162) Barth. *varie mac., corpora s.* Heins. mac. *tergore.* C. 7. *corpora.* 163) C. 7. *subsideris.*

Obvia vibranti carpens gravis aëra lingua,
Squamosos late torquebat motibus orbis.
Tollebant aurae venientis ad omnia visus.
Jam magis atque magis corpus revolubile volvens
Adtollit nitidis pectus fulgoribus, et se
Sublimi cervice rapit: cui crista superne
Edita purpureo lucens maculatur amictu,
Adspectuque micant flammantia lumina torvo.
Metabat late circum loca: cum videt ingens
Adversum recubare ducem gregis Acrior instat
Lumina diffundens intendere, et obvia torvo
Saepius adripiens infringere, quod sua quisquam
Ad vada venisset: naturae conparat arma;
Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore;
Flexibus eversis torquetur corporis orbis;
Manant sanguineae per tractus undique guttae;
Spiritus et rumpit fauces. Cui cuncta paranti
Parvulus hunc prior humoris conterret alumnus,
Et mortem vitare monet per acumina. Namque,
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
Hac senioris erat naturae pupula telo
Icta levi. Tum prosiluit furibundus, et illum
Obtritum morti misit; cui dissitus omnis
Spiritus excessit sensus. Tum torva tenentem

---

164) C. 7. *Obviam.* Gravis, de gravi anima. 165) C. 7. *Montibus*; sed praestaret *nexibus,* C. 7. *orbes.* 166) Scalig. *ad omina.* 167) Heins. *resolubile.* 169) C. 7. *caput*, Gloſs. Ascens. et se attollit caput; sed Fabric. emend. *et fert Subl. c. c.* Schrader *exit.* s. c. c. Frisemann *effert.* 170) C. 7. *maculator*; sed variatur, distinguitur externo colore. 171) C. 7. *micat flammarum numine.* Voſs *flammatum l. torvo.* Petav. *flammarum l. t.* 172) C. 7. *sese circa.* Metare pro metari. Al. *videt ille*, vel *anguis.* 173) Fabric. *intentus*, pro intendit. 174) Quae ante eum serpentem torvum posita erant. 175) Scalig. *arrepens.* Ascens. *abripiens*, sc. ut infringeret. 178) C. 7. *torquentur.* Edd. vett. *Fl. et versis,* s. variatis s. circumactis. 180) C. 7. abest *et.* Bembus *Spiritibus.* Heins. *Spiritus erumpit.* Scalig. *Quo cuncta parante.* 181) G. 7. *conteret.* Humoris alumnus est Culex. 182) Acumina pro ictu aculei. 183) In ipso oculi sinu Schrader *gemmans Hac — levi.* 184) Scalig. et Barth: *Ac sen. e. n. v., t. J. l.* Senioris, ut araneosam cutem et rugosam intelligat. Ed. Ald. *Ac levioris*, sc. mollioris. Fabric. *Ut levioris.* 185) C. 7. *Jacta levi. Cum.* 186) Dissitus, dispersus. 187) Ald. *Sp. e. sensim.* Jacobs conj. *membris.*

Lumina respexit serpentem comminus: inde
Inpiger, exanimis, vix conpos mente, refugit,
Et validum dextra truncum detraxit ab orno:
Qui casus sociaret opem, numenve deorum.
Namque illi dederitne viam casusve, deusve,
Prodere sit dubium: voluit sed vincere tales
Horrida squamosi volventia membra draconis:
Atque reluctantis, crebris foedeque petentis
Ictibus, ossa ferit, cingunt qua tempora cristae.
Et, quod erat tardus, somni languore remoto,
Nescius adspiciens, timor obcaecaverat artus:
Hoc minus inplicuit dira formidine mentem.
Quem postquam vidit caesum languescere, sedit.
Jam quatit et bijuges oriens Erebo cit equos Nox
Et piger aurato procedit Vesper ab Oeta:
Cum, grege conpulso pastor, duplicantibus umbris,
Vadit et in fessos requiem dare conparat artus.
Cujus ut intravit levior per corpora somnus
Languidaque effuso requierunt membra sopore:
Effigies ad eum Culicis devenit, et illi
Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
Inquit: Quid meritus, ad quae delatus acerbas
Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipsa
Vita fuit vita, rapior per inania ventis.
Tu lentus refoves jucunda membra quiete,
Ereptus terris e cladibus: at mea Manes

---

188) Lumina tenentem, immotis luminibus stantem. 189) C. 7. *exanimus.* Heins. *exanimi vix compos mente.* 190) C. 7. *de traxit ab arbore truncum.* Edd. vett. *ab ore.* 192) C. 7. *hic versus deest* 193) *Talis* s. *tales*, casus; *talem* vero hominem. 194) Heins. *volventis.* 195) Ms. Helmst. *crebro.* Petentis, sc. ore, morsu. Scalig. *patentis*: patet enim ictibus, vulneribus, qui recipit 199) Ms. Koeler *Non minus — mortem.* Voſs *implevit.* 200) Ms. Helmst. *cesum, languescere coepit.* Heins. emend. *Quae,— sedit*, sc. formido, vel *desiit*, sc. mens. 201) C. 7. *cis.* Scalig. *Jam quatiens bij.* Heins. *Jamque atro bij.* 202) Voſs *aurata.* Ms. Helmst. *ab ora.* 203) C. 7. hic vers. deest. Duplicantibus pro duplicatis. 206) C 7. *Languidaque.* Praestaret *infuso.* 207) Effigies s. umbra. 208) Heins. *conv. amaro.* 209) C. 7. *Quid meritis.* Scalig. emend. *Quis* (quibus) *meritis, inquit.* Heins. En, quid, ait, meritus; aut *quo delatus.* 210) C. 7. *dum me.* 211) Ms. Helmst. *inan. vectus.* Heins. conj. *inan. Averni.* 213) C. 7. *Erectus.*

Viscera Lethaeas cogunt transnare per undas;
Praeda Charontis agor. Viden' ut flagrantia taedis
Lumina conlucent infestis omnia templis;
Obvia Tisiphone, serpentibus undique comta,
Et flammas et saeva quatit mihi verbera poenae;
Cerberus et diris flagrat latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis,
Sanguineique micant ardorem luminis orbes.
Heu! quid ab officio digressa est gratia, cum te
Restitui superis leti jam limine ab ipso?
Praemia sunt pietatis ubi? pietatis honores
In vanas abiere vices; et rure recessit
Iustitiae prior illa fides; instantia vidi
Alterius, sine respectu mea fata relinquens;
Ad pariles agor eventus; sit poena merenti;
Poena fit exitium; modo fit dum grata voluntas!
Existat par officium! Feror avia carpens,
Avia Cimmerios inter distantia lucos:
Quem circa tristes densentur in omnia poenae.
Nam vinctus sedet inmanis serpentibus Otos,
Devinctum maestus procul adspiciens Ephialten,
Conati cum sint quondam rescindere mundum;
Et Tityos, Latona, tuae memor anxius irae,
Implacabilis ira nimis, jacet alitis esca.
Terreor ah tantis insistere, terreor, umbris,
Ad Stygias revocatus aquas. Vix ultimus amni

215) C. 7. *Charonis agor.* *Vidi* Ed. vett. *Videt*, *et.* Ald. *Video ut.* 216) C. 7. *L. cum lucent.* Ms. Koeler *infectis.* Domit. Calder. *infernis — templis*, quae sunt Acherusia templa Ennii. Jacobs *Limina*, pro facibus. 218) Poena est furia. 219) C. 7. *flagant*, sed ardent. 220) C. 7. *arent.* 221) C. 7. *ardore.* Schrader *ardentis.* Orbes sunt oculi. 222) Officium est ejus, qui beneficium accepit; et disgreditur ab officio, qui gratiam non solvit. 223) Voſs. *lumine.* 225) In vanas vices, quae fuissent in retribuendo. 226) Cernitur fides in reddendo, quod debetur. 228) C. 7. *Ad parides.* 229) C. 7. desunt versus 229 usque ad 306. Pro poena exitium infligitur. 230) Ad loca infera delatus vagatur per avia lucorum Cimmeriorum, quos hic in remotis Orci partibus versus Tartari limina collocat. Praestetur mihi par officium beneficio meo. 231) Carpo avia dist. 232) Quem, sc. culicem, undique. 233) Al. *victus*, vel *moestus.* 234) Vulgo *Devictum* Edd. vett. *Devictus.* 235) Heins. conj. *escendere.* 236) Edd. vett. *tuas — iras.* 238) Vulg. *a tantis.* 239) Voſs *At Stygiis rev. aquis.* Vix proximus factus amni Cocyto vel Phlegethonti, qui Tartarum ambit.

Restat, nectareas divûm qui prodidit escas.
Gutturis arenti revolutus in omnia sensu.
Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
Contemsisse dolor quem numina vincit acerbus,
Otia quaerentem frustra? Vos ite puellae,
Ite, quibus taedas adcendit tristis Erinnys:
Sicut Hymen praefata dedit connubia mortis:
Atque alias alio densat super agmine turmas;
Inpietate fera vecordem Colchida matrem
Anxia sollicitis meditantem volnera gnatis;
Jam Pandionias miseranda prole puellas,
Quarum vox Ityn, et Ityn, quod Bistonius Rex
Orbus epops maeret volucris evectus in auras.
At discordantes Cadmeo sanguine fratres
Jam truculenta ferunt infestaque volnera corpus
Alter in alterius; jamque aversatus uterque,
Inpia germani manat quod sanguine dextra.
Eheu! mutandus nunquam labor. Auferor ultra
In diversa magis: distantia limina cerno:
Elysiam tranandus agor delatus ad undam.
Obvia Persephone comites Heroidas urguet
Adversas perferre faces. Alcestis ab omni
Inviolata vacat cura, quod saeva mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.
Ecce, Ithaci conjunx, semper decus, Icariotis
Femineum incorrupta decus; manet et procul illa

---

240) Heins. em. *Extat*, quatenus Tantalus in flumine stat, vix summa sui parte eminens. Fortasse *amnis Restat*, sc. ei. 241) Prae siti in omnes partes se convertens, ut aquam captet. 242) Voſs *de monte*. Heins. *cui monte volutum*. 243) Dolor occupat ex eo, quod deos contemsit Ixion. Ms. Koeler *acerba*. Voſs. *acerbas*. 244) Quaerentem, sc. sibi. 245) Fortasse *Dira quibus*. 246) Heins. *Quis et Hym.* Schrader *Saevus H. post fata*, sc. obtruncatis in thalamo sponsis. 247) Ald. *densas*. Scalig. *densent*. Heins. *Statque alias alio densens — turmas*. sc. sponsorum numero quinquaginta. 248) An narrem? 250) An P. memorem? Heins. *miseranda sorte*. 251 Q. v. J. ingeminat, quo B. R. O. e. m., v. e. i. auras. 253) Ms. Petav. *semine*. Heins. conj. *Cad. e sang.* 254) Al. *lumina*. Heins. *infesti vulnera — iamque et gratatus uterque*. 257) Nunc Umbra ad Elysios campos tendens campos Lugentium prospicit. 258) Fort. *In div.*; *mag. dist.* 261) Nuptias ferre infaustas. 264) Icariotis est Penelope Icarii filia.

Turba ferox juvenum telis confixa procorum.
Quin misera Eurydice tanto maerore recessit,
Poenaque respectus et nunc manet, Orpheus, in te.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen;
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis,
Nec maesta obtentu diro et ferrugine regna,
Defossasque domos, ac tartara nocte cruenta
Obsita, nec faciles Ditis sine judice sedes,
Judice, qui vitae post mortem vindicat acta.
Sed fortuna valens audacem fecerat Orphea.
Jam rapidi steterant amnes, et turba ferarum
Blande voce sequax regionem insederat Orphei;
Jamque imam viridi radicem moverat alte
Quercus humo, steterantque amnes, silvaeque sonorae
Sponte sua cantus rapiebant cortice amara.
Labentes bijuges etiam per sidera Luna
Pressit equos; et tu currentes, menstrua virgo,
Auditura Lyram tenuisti nocte relicta.
Haec eadem potuit Ditis te vincere conjunx,
Eurydicenque ultro ducendam reddere. Non fas,
Non erat in vitam divae exorabile numen.
Illa quidem, nimium Manes experta severos,
Praeceptum signabat iter; nec retulit intus
Lumina, nec divae conrupit munera lingua.
Sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oscula cara petens rupisti jussa deorum.

---

266) Insinuatur caedes procorum ab Ulysse facta. 267) Fort. *At* vel *En* vel *Quid — tacito* vel *infando moerore.* 272) Scalig. *obtenta Ditis ferrugine*, obtentis Ditis tenebris. Heins. *obtuitu.* 273) Jacobs conj. *Depressasque*, sc. profundas domos. 274) Quae non admittunt aliquem, nisi judicium subierit. 276) Heins. em. *favens.* Al. *aud. fec.*, *ante Jam r.* 278) Voſs *insiderat.* 279) Ms. Koeler *viridis.* Ms. Helmst. *Jam vox una viri Euridicen moverat.* 281) Voſs *c. avara.* Heins. *vertice prono.* 283) Menstrua, propter vices lunae menstruas. 284) Markland *n. relecta*, pro cursu, quo noctem efficit. 286) Reducendam in vitam. Non cogi poterat, ut invita reditum daret. 287) Ald. *dirae.* 289) Signare iter vestigiis impressis. 290) Ms. Helmst. *nec rupit munere linguam* pro, non irritum reddit munus loquendo.

Dignus amor venia, parvum si Tartara nossent
Peccatum ignovisse. Sed et vos sede piorum,
Vos manet Heroum contra manus. Hic et uterque
Aeacides: Peleus namque, et Telamonia virtus
Per secura patris laetantur numina, quorum
Connubls Venus et Virtus injunxit honorem.
Hunc rapuit serva: ast illum Nereis amavit.
Assidet hac juvenis, sociat quem gloria; fortis,
Acer, inexcussus, referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios torva feritate repulsos.
O quis non referat talis divortia belli,
Quae Trojae videre viri, videreque Graii!
Teucria cum magno manaret sanguine tellus,
Et Simois, Xanthique liquor; Sigeaque praeter
Litora cum Troas, saevi ducis Hectoris ira,
Videre in classis inimica mente Pelasgas
Volnera, tela, neces, ignis inferre paratos.
Ipsa jugis namque Ida, potens feritatis, et ipsa
Aequa faces altrix cupidis praebebat alumnis,
Omnis ut in cineres Rhoetei litoris ora
Classibus ambustis flamma superante daretur.
Hinc erat oppositus contra Telamonius heros,
Objectoque dabat clipeo certamina; et illinc
Hector erat, Trojae summum decus: acer uterque,
Fulminibus coelo veluti fragor editus alto;

294) Al. *Grave. At vos.* 296) Heins. conj. *Peleusque una et T.*, qui sunt Aeacidae. 297) Ald. *munera.* Patris numina referenda sunt ad Jovem, patrem Aeaci. 298) Schrader em. *C. genus et v.* 299) De nuptiis Pelei et Telamonis agitur. Hesione Serva, quippe bello capta. 300) Heins. em. *Ass. hunc juv. sociatae gl. s.* Barth. *Ass. at j., sociat q. gl. sorti.* Ajacem hic memorari manifestum est. 301) Qui mentis statu non excutitur, et repellit incendia a Trojanis illata classi. 302) Voſs *turba fer. refulsos.* 303) Ms. Helmst. *O quisnam.* Quod inter diversos duo populos geritur, quasi ad duo divertitur. 307) Heins. *Trojae subiere viri.* Al. *Troes.* 305) Al. *multo.* 307) C. 7. *se viduos Hectoris ira*, pro Hectore ipso. 308) C. 7. *Vidi in classes.* 309) C. 7. *nece signas.* 310) C. 7. *Ipsa vagis.* Ed. Ven. in fine *et ipso.* Potens feritatis pro, ferarum. 311) C. 7. deest hic vers. Ms. Koeler cum Ald. *Ida faces.* Alumnis, sc. Trojanis suis. 312) C. 7. *Rhoei.* 313) C. 7. *lacrimante.* Heins. conj. *populante* vel *crepitante.* 314) C. 7. *appositus c. T. aeros.* 317) C. 7. *Fluminibus — aeditus in se.* Heins. conj. *Fulmineus.*

Ignibus hic telisque super, si classibus Argos
Eripiat reditus: ille ut Volcania ferro
Volnera protectus depellere navibus instet.
Hoc erat Aeacides alter laetatus honore:
Dardaniaeque, alter, fuso quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Trojam.
Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat, et hujus
Alma dolis Ithaci virtus quod concidit icta.
Huic gerit aversos proles Laertia vultus,
Et jam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,
Pallade jam laetatur ovans, rursusque tremiscit
Jam Ciconas, jam jamque horret Laestrygonas atrox.
Illum Scylla rapax canibus subcincta Molossis,
Aetnaeusque Cyclops; illum metuenda Charybdis,
Pallentesque lacus, et squalida Tartara terrent.
Hic et Tantalei generis decus, amplus Atrides,
Assidet, Argivum lumen: quo flamma regente
Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
Reddidit, heu, gravius poenas tibi, Troja, ruenti;
Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum testata est copia quondam,
Ne quisquam propriae fortunae munere dives
Iret inevectus coelum super; Omne propinquo

---

318) C. 7. *Tegminibus telisque super Sigeaque praeter.* 319) C. 7. *Eriperet reditus alter.* 320) C. 7. *instat* 321) C. 7. *Hoc erat Aeaciles vultu laet. honores.* 322) Alter, sc. Achilles, Hectoris caesi corpus circa muros Trojae raptavit. 323) C. 7. *Hectora lustravit vector de corp. Tr.* 324) C. 7. *necat et ullus.* Achilles Paridis, Ajax Vlyssis fraude periit. Acerba pro, acerbe. Letat pro, leto dat. Ms. Koeler *fremunt pars huic, pars destinat illi.* 325) C. 7. *Arma d.* Al. *Alta.* Ms. Koeler *virtusque conc. ira.* 326) C. 7. *eversus.* Sedet in Elysio Ulysses averso ab Ajace vultu, ipse apud se reputans, quae gesserat. 328) C. 7. *tremescit.* Pallade, sc. rapta. 329) C. 7. *Jam Oicini jamque horret atrox Lestrigone.* 330) C. 7. *Syllu — succincta.* 332) C. 7. *Pallentes l.* 333) C. 7. *Hic et Tantaleae gener amplus Atridae.* 334) C. 7. *quod,* sed Agamemnonis ductu Troja eversa est; hinc *quo.* Flamma Dorica, Achivorum. 335) Arx Erichth. est Pergamum. Erat Erichthonius Dardani filius, qui post fratrem Ilum Ilii regnum tenuit. 336) C. 7. *furenti.* Poenas sc. graviores. 337) Aquae Hellesp. pro mari Aegaeo. 338) Copia pro multitudine hominum. 339) Scalig. Cur aliquis prop. f. m. d. Tendit i. c. s.? 340) Inevectus pro, evectus.

Frangitur invidiae telo decus. Ibat in altum
Vis Argea petens patriam, ditataque praeda
Arcis Erichthoniae: comes huic erat aura secunda
Per placidum cursu pelagus; Nereis ad undas
Signa dabat, pars inflexis super acta carinis;
Cum, seu coelesti fato, seu sideris ortu,
Undique mutatur coeli nitor; omnia ventis,
Omnia turbinibus sunt anxia. Jam maris unda
Sideribus certat consurgere; jamque superne
Conruere et Sol iis, et sidera cuncta minantur.
Ac venit in terras coeli fragor. Hoc modo laeta
Copia nunc miseris circumdatur anxia fatis,
Inmoriturque super fluctus, et saxa Capharei,
Euboicas et per cautes Heraeaque late
Litora: cum Phrygiae passim vaga praeda peremtae
Fluctuat omnis in aequoreo jam naufraga tractu.
Hic alii sidunt pariles virtutis honore
Heroës, mediisque siti sunt sedibus omnes:
Omnis Roma decus magni quos suscipit orbis.
Hic Fabii, Deciique; hic est et Horatia virtus;
Hic et fama vetus nunquam moritura Camilli;
Curtius et, mediis quem quondam sedibus urbis
Devotum bellis consumsit gurgitis haustus;
Mucius et prudens ardorem corpore passus,
Legitime cessit cui fracta potentia Regis.

---

341) C. 7. *deus.* 342) C. 7. *Vis Argo p. p., datataque.* Ald. *Vix Argo repetens.* 343) C. 7. *Arus.* 344) C. 7. *adundans.* 345) C. 7. *icta.* 348) Heins. *sunt concita.* 349) Sideribus, ad sidera. 350) C. 7. *Corripere et Solis*; al. *et soles, et.* 351) C. 7. *Ac vere — Hic modo letum.* Ald. *Ac ruere.* Voſs *Ac vero.* Ms. Koeler: *Hic m. lethum.* Bemb. *H. m. laetum* pro, laetorum. 352) Copia, pro copiis, classe. 353) C. 7. *Capharea.* 354) C. 7. *aut.* Heraea pro Aegaeis, ab Aegis, Euboeae urbe maritima. 355) C 7. *perempta.* 356) C. 7. *nauf. luctu.* Petav. *nauf. tractum.* 357) C. 7. *sident.* Nunc clarissimi viri Romani memorantur in Elysio. Heins. conj. *Hoc alii assidunt*, vel *se dant.* 358) C. 7. *mediis quaesiti sunt.* 359) C. 7. *quod.* Heins. conj. *suspicit*; sed suscipit pro suscepit, tenet, habet, progenuit. 360) C. 7. *oracio.* Voſs *Gracchia.* 361) C. 7. *n. mora belli.* Ms. Helmst. *n. m. Metelli.* Heins. conj. *Hic fama et veteris.* 363) C. 7. *gurges in unda.* Scalig. *gurges inundans.* Devotum, sc. inferis Manibus. 364) Prudens, volens et sciens. 365) C. 7. *cui cessit facta.*

Hic Curius clarae socius virtutis, et ille
Flaminius, devota dedit qui corpora flammae.
Jure igitur talis sedes pietatis honorat.
Illic Scipiadaeque duces: devota triumphis
Moenia quos rapidos Libycae Carthaginis horrent.
Illi laude sua vigeant; ego Ditis opacos
Cogor adire lacus, viduos a lumine Phoebi,
Et vastum Phlegethonta pati: quo maxuma Minos
Conscelerata pia discernit vincula sede.
Ergo jam caussam mortis me dicere vinctae
Verberibus saevo cogunt ab judice Poenae:
Cum mihi tu sis caussa mali, nec conscius adsis,
Sed tolerabilibus curis haec immemor audis;
Quae tamen, ut vanis dimittens omnia ventis,
Digredior nunquam rediturus; tu cole fontis
Et viridis nemorum silvas et pascua laetus:
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras.
Dixit; et extrema tristis cum voce recessit.
Hunc ubi sollicitum dimisit inertia vitae:
Interius graviter mentem aeger nec tulit ultra
Sensibus infusum Culicis de morte dolorem.
Quantumcumque sibi vires tribuere seniles,
(Quis tamen infestum pugnans devicerat hostem)
Rivum propter aquae, viridi sub fronde latentem.
Conformare locum capit inpiger: hunc et in orbem
Destinat, ac ferri capulum repetivit in usum,
Gramineam ut viridi foderet de cespite terram.

---

366) Heins. em. *Huic — illi.* 367) Al. *Caecilius, devota dedit qui lumina flammis.* Flaminius, qui flammae se dederit. 368) C. 7. *honores.* Al. *tales.* 369) C. 7. *Istarum Piadasque.* 370) C. 7. *rapidis.* Ms. Koeler ~~M.~~ *Romanis.* 372) Schrader em. *locos.* Heins. conj. *viduatos l.* 374) Scalig. *Cognita discernit scelerata piacula sede.* 375) C. 7. *Ergo quam c. m. jam d. vitae.* 376) Edd. vett. *saevae — Poenae*, Furiae. Heins. em. *c. sub jud.* 377) Heins. conj *ausis.* Conscius, h. l. tanquam advocatus 378) Curae toler. sunt modicae. 379 C. 7. *Et tamen, ut vadis, dimittes.* Ald. *dimittis.* 380) C. 7. *fontes.* Voſs *D. n. moriturus.* 381) C. 7 *silva.* 382) C. 7. *rapiuntur.* 384) Exsurgit a somno pastor, et Culici tumulum parat. 385) Scalig. em. *aegret.* C. 7. *regementem.* Heyne em. *Ingemuit gr, m. aeg.* 386) Ms. Koeler *S. inclusum.* 388) Quis (viribus) — hostem (hydram). 389) C. 7. *labentem.* 392) C. 7. *ut* deest.

Jam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Congestum cumulavit opus, atque aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem:
Quem circum lapidem laevi de marmore formans
Conserit assiduae curae memor. Hic et acanthus,
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et violae genus omne hic est, et Spartica myrtus,
Atque hyacinthus; et hic Cilici crocus editus arvo;
Laurus item Phoebi surgens decus; hic rhododaphne,
Liliaque, et roris non avia cura marini,
Herbaque turis opes priscis imitata Sabina,
Chrysanthusque, ederaeque nitor, pallente corymbo,
Et Bocchus Libyae Regis memor; hic amaranthus,
Buphthalmusque virens, et semper florida pinus.
Non illinc Narcissus abest: cui gloria formae
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus;
Et quoscumque novant vernantia tempora flores.
His tumulus super inseritur: tum fronte locatur
Elogium, tacita format quod litera voce:
Parve Culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

---

396) *Lapidem formans* de monumento intellige. 397) Heins. conj. *Congerit.* C. 7. *achantos.* 398) C. 7. *Et rosa purpureum crescent rubicundata rorem.* 399) C. 7. *omne genus hic est, Spartanaque m.* 400) C. 7. *Atque iacincthos, et hic Culici.* Heins. malebat *additus.* 401) C. 7. *orodaphne.* 402) Fortasse quod ipse ros marinus vulgo nascitur. 403) Sabina numeratur inter juniperos 404) C. 7. *hederaeque — corumbo.* Scalig. em. *Chrysanthesque*, sc. Chrysantheum. 405) C. 7. *hocus.* Ald. *Boccus.* 406) C. 7. *Bumasthusque.* 407) Poeta vult dicere: correptum fuisse amore sui ipsius ex superbia, quam de forma susceperat. 410) His, sc. floribus, super, in superficie. Heins. conj. *ingeritur.* 411) C. 7. *forma.* Ald. *Eulogium, quod firmat.* 413) C. 7. *vita.* Funeris officium de sepultura intelligitur.

P. VIRGILII MARONIS

COPA.

Copa Sirysca, caput Graia redimita mitella,
  Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria fumosa saltat lasciva taberna,
  Ad cubitum raucos excutiens calamos.
Quid juvat aestivo defessum pulvere abesse,
  Quam potius bibulo decubuisse toro?

COPA. Multi commentatores credunt, ad Maecenatem scripsisse Virgilium carmen, et insinuatione *Copae*, libertae ejus uti, ut patronum suum ad fruendas amoenitates ruris pelliciat; illi *Copam Syriscam* intelligunt cauponam, mulierem, quae vinum vendit. Edd. vett. *Coppa*, quod est nomen saltatricis. Conf. *Ilgen* animadv. philos. et crit. in carmen Virgilianum, quod Copa inscribitur. Halae 1820. 4. 1) Sirysca, Syra. Syrissa. Mitella, mitra vetularum Graecarum propria est genus fasciae, quo capilli contegerentur. C. 3. *Copa Sirisca, caput Graeca red. mitrella.* C. 7. *Copa Surisca* (Glofs. *Sirisca*) *cap. Graeca red. metalla.* 2) C. 3. *crocolo.* Sub crotalo, i. e. ad crotali sonitum, crispare de celeri ac molli flexu. 3) C. 3 et 7. *famosa.* Mulierculae saltatrices plerumque vinosae erant, licet etiam *formosae*, ut Ilgen contendit. 4) *Ad cubitum* Wernsdorf ita exponit: manu utraque ad alterius brachii cubitum alternatim trajecta. 5) C. 3. *adesse?* Viribus sc. exhaustum. 6) C. 3 et 7. *Quin — thoro.* Quam, s. Quanto potius, vel prius. Ilgen: *Quam potum.* Scaliger dicit bibulum torum vocari, in quo plurimum biberetur; ut laetum vinum. Heyne accipit de cespite vel gramine aqua irrigato, ut laetum virescat.

Sunt cupae, calices, cyathi, rosa, tibia, chordae,
Et trichila umbriferis frigida arundinibus.
Est et Maenalio quae garrit dulce sub antro
Rustica pastoris fistula more sonans.
Est et vappa, cado nuper diffusa picato.
Est strepitans rauco murmure rivus aquae.
Sunt etiam croceo violae de flore corollae;
Sertaque purpurea lutea mista rosa;
Et quae virgineo libata Achelois ab amne
Lilia vimineis adtulit in calathis.
Sunt et caseoli, quos juncea fiscina siccat.
Sunt autumnali cerea pruna die;
Castaneaeque nuces, et suave rubentia mala.
Est hic munda Ceres; est Amor; est Bromius.
Sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis.
Est pendens junco caeruleus cucumis.
Est turgurj custos armatus falce saligna;
Sed non et vasto est inguine terribilis.
Huc Calybita veni: fessus jam sudat asellus:
Parce illi; vestrum delicium est asinus.

---

7) C. 3. *Sunt strophia et cal. — tibia corde.* C. 7. *Sunt opia et Kalibes.* Wernsdorf *Sunt topia et calybae*, et Salmasius *topia* de topiario opere in hortis accipit. Cupae sunt vasa vinaria, in quae mustum diffundebatur. Sine rosa bibere habebat parum voluptatis. Ilgen: *Sunt obbae, calices.* 8) C. 3 et 7. *Et triacha umbris frigida.* Trichila vel trichilum est pergula ex vitibus, arcuata ad umbram faciendam. 9) C. 3. *En hic.* C. 7. *En et.* 10) C. 7. *sonat.* C. 3. *canit.* Al. *in ore*, sc. a pastore inflata. 11) C. 7. *defusa.* Vappa erat proprie vinum, quod saporem et odorem perdiderat, e majori vase in minus diffuso. 12) C. *Et trepitans.* Voſs. *Et crepitans*; sed *strepitans* vehementiorem sonum indicat. 13) C. 3. *Sunt etiam violae roseo de flore chorolli.* Voſs. *Sunt et Cecropio iunctae.* 14) C. 7. *mistat.* C. 3. *mixta.* 15) C. 7. versus hic cum sequentibus deest. Voſs. et Leid. *Sunt et virg.*, sc. puro. Achelois pro quavis amnicola. Heins. conj. *ab ore.* 16) Voſs. *Lilia quae niveis.* Leid. *Lilia quae juvenis.* Viminei calathi sunt e vimine texti. 17) Leid. et Ed. Junt. *scirpea fiscina.* Ald. sirpea. 21) Ilgen praefert *tentis*, i. e. extentis. 22) C. 3. *Et pendens.* 23) C. 3. *tuguris.* Totum hoc distichon intrusum esse videtur. 24) Ilgen *ex inguine.* Significatur enim, Priapum suum per vastum inguen non esse terribilem. 25) Al. *Huic C. venit* vel *Huc Alibida veni*, sc. alibi natus vel versans. Calybita est Gallus, matris Deus, vel Deae Syriae sacra circumvehens; Calybe est templum. 26) C. 3. *deliciae.* Vestam et Cybelen permutari in eodem loco, obvium est.

Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae.
  Nunc etiam in gelida sede lacerta latet.
Si sapis, aestivo recubans te prolue vitro;
  Seu vis crystallo ferre novos calices.
Eja age pampineā fessus requiesce sub umbra;
  Et gravidum roseo necte caput strophio:
Candida formosae decerpes ora puellae.
  Ah! pereat, cui sunt prisca supercilia!
Quid cineri ingrato servas bene olentia serta?
  Anne coronato vis lapide ista legi?
Pone merum et talos. Pereant, qui crastina curant!
  Mors aurem vellens: vivite, ait, venio.

---

28) C. 3. *Nunc vere — sepe l. j.* 29) Scalig. *nunc prolue.* 30) Ferre, sc. ad usum accipere vinum. 31) C. 3. *hic.* 32) Strophium pro fascia, cui innectuntur flores. 33) C. 3. *formosis tenerae decerpens.* Wernsdorf *Formosus tenerae decerpes ora puellae.* 34) Al. *Ah pereant, quibus haec prisca*, sc. severa, tristia, qualia fuere priscorum hominum. 35) Al. *servans.* 36) C. 3. *tegi.* Wernsdorf *coronando — lapidi.* 37) C. 3. *Pereat, q. cr. curat.* 38) Leid. *Mors autem veniens.*

P. VIRGILII MARONIS

MORETUM.

Iam nox hibernas bis quinque peregerat horas,
Excubitorque diem cantu praedixerat ales:
Simulus exigui cultor quum rusticus agri,
Tristia venturae metuens jejunia lucis,
Membra levat sensim, vili demissa grabato,
Sollicitaque manu tenebras explorat inertes,
Vestigatque focum; laesus quem denique sensit.
Parvulus exusto remanebat stipite fumus,
Et cinis obductae celabat lumina prunae.
Admovet his pronam, submissa fronte, lucernam,
Et producit acu stupas humore carentes,
Excitat et crebris languentem flatibus ignem.
Tandem concepto tenebrae fulgore recedunt;

MORETUM est carminum genus ex vita privata et tenui hominum humili loco natorum petitum. C. 7. *Virgilius de Moreto vel de Simulo.* 2) Scalig. *praevenerat*, unde Jacobs suspicatur *praeverterat.* 3) C. 3 et 7. *Similus — cum*, pro Simylus, ortum ex *Simulus.* C. 9. *Scimulus — cum.* 4) Ne sine pane esset. C. 9. *venture*, et ita semper *e* pro *ae.* 5) C. 3, 7 et 9. *vili sensim.* C. 7. *dimissa grabatto*, Gloſs. *demissa.* 6) Inertes, tacitae, sine motu. 7) C. 3 *quoque denique.* C 7, 8 *quem laesus*, Gloſs. *l. q.* Helmst. *sentit.* Laesus manu cinere adusta. 9) C. 3, 7. *velabat.* 10) C. 3. *prunam — laternam.* C. 7. *summissa.* Helmst. *Admovetis* lucernam olearem inclinato capite. C. 9. *is prona submissam.* 11) C. 3 et 7. *stuppas.* Al. *acus.* C. 9. *aeris stupasque*, pro *acres*, *aceres*, quod praeferendum esset lectioni Heynianae. 12) C. 3. *Exc. et tenebras.* 13) C. 3. *T. c. fumus f. recedit.* C. 7, 9. *T. c. sed lux f. recedit.*

Oppositaque manu lumen defendit ab aura,
Et reserat clausa, quae praevidet, ostia clavi.
Fusus erat terra frumenti pauper acervus;
Hunc sibi depromit, quantum mensura patebat,
Quae bis in octonas excurrit pondere libras.
Inde abit, adsistitque molae; parvaque tabella,
Quam fixam paries illos servabat in usus,
Lumina fida locat; geminos tunc veste lacertos
Liberat, et, cinctus villosae tergore caprae,
Praeverrit cauda silices gremiumque molarum.
Aduocat inde manus operi, partitus utrinque:
Laeva ministerio, dextra est intenta labori;
Haec rotat assiduis gyris et concitat orbem.
Tunsa Ceres rapido silicum decurrit ab ictu.
Interdum fessae succedit laeva sorori,
Alternatque vices. Modo rustica carmina cantat,
Agrestique suum solatur voce laborem.
Interdum clamat Cybalen: erat unica custos,
Afra genus, tota patriam testante figura,
Torta comam, labroque tumens, et fusca colorem;
Pectore lata, jacens mammis, conpressior alvo,

---

15) C. 3. *clave.* C. 7. *clausae — clavis.* Al. *clausae — cellae.* C. 9. *hostia clavis.* Quaeritur, an *clausa*, ut diminutivum *clausula*, non sumatur substantive? Sc. „Und der Schlüssel entschließt mit vorsichtiger (zuerst hinein gedrückter) Schließe die Thüren.“ 16) C. 3, 7. *terrae.* C. 9. *terre.* 17) C. 7. *et — petebat.* C. 9. *petebat.* 18) C. 3. *in octavas occurrit.* C. 9. *oc'enas.* 19) C 7, 9. *assistitque.* 20) C. 3. *Quam sibi jam* C. 9. *servabit.* 21) C. 3. *fida gerit gemina.* Ms. Koeler *Lum. ficta.* C. 9. *fixa.* 22) C. 3. *tegmine.* C. 9. *villoso tegmine.* 23) C 9. *Praevertit — molare.* *Cauda.* peniculo, quo ad verrendas mensas et alia utebantur veteres. *Silices*, molares intellige: nam duo sunt lapides ita sibi inpositi, ut inferiore manente immobili superior, quem v. 26 orbem appellat, circumactus attritu grana frangeret. *Gremium molarum*, pro interiori parte. 24) C. 7. *utrique.* 25) Ministerium laevae in congerendis et infundendis granis consistere videtur. 26) C. 3. *Hic.* C. 7. *assiduum — orbem*, sc. lapidem molarem. Ms. Koeler *et concutit orbem*; sed male. C. 9. *giris.* 27) C. 3, 9. *Tonsa.* C. 7, 9. *sil. rap.*, grana tunsa adeoque farinam in subjectum vas, quod eam excipit, decidere significatur. 29) C. 3. *cantica cantat* 31) C. 3. *Cybele*; *haec.* C. 7. *Scybale*, Gloss. *Scybalen*, *erat.* C. 9. *Scibale hec.* 32) C. 7. *patriam tota t. f.*, sc. toto corpore. C. 9. *Affra.* 33 C. 3 et 7. *colore.* C. 9. *fausca colore*, fors *fausta.* 34) C. 7. *Pectora.* C. 3. *lata terens*, pro jacens mammis, i. e. habens mammas pendulas. Ascens. *compress. alvus.* C. 9. *Pectora lata tument mammis, compressior alvus.*

Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta;
Continuis rimis calcanea scissa rigebant.
Hanc vocat, atque arsura focis inponere ligna
Imperat, e flamma gelidos adolere liquores.
Postquam inplevit opus justum versatile finem:
Transfert inde manu fusas in cribra farinas
Et quatit. At remanent summo purgamina dorso;
Subsidit sincera foraminibusque liquatur
Emundata Ceres. Laevi tum protinus illam
Conponit tabula, et tepidas super ingerit undas.
Contrahit admistos nunc fontes atque farinas;
Transversat durata manu, liquidoque coacto
Interdum grumos spargit sale. Jamque subactum
Laevat opus, palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat, inpressis aequo discrimine quadris.
Infert inde foco: Cybale mundaverat aptum
Ante locum: testisque tegit; super aggerat ignes.
Dumque suas peragit Volcanus testaque partes:
Simulus interea vacua non cessat in hora;
Verum aliam sibi quaerit opem; neu sola palato
Sit non grata Ceres, quas jungat, comparat escas.
Non illi suspensa focum carnaria juxta,
Durati sale terga suis, truncique, vacabant:

---

35) C. 7. Glofs. *plantae.* Al. *spatiosam prodiga plantam.* 36) C. 3 et 7. hic versus abest. In C. 9. hic v. praecedit v. 35. C. 9. *Cont. rimis.* Glofs. Alias rivis, et melius, quod valet continuis rivis, seu continuis micturis. 38) C. 3. *ardere* pro *adolere.* 39) C. 3. *justum et.* C. 7. *justo.* C. 9. *opus demtum.* Scalig. *justo vers. fine.* Opus versatile absolvitur versanda mola. 40) C. 3, 9. *manus.* C. 7. *Transf. illa*, Glofs. *inde.* Al. *tusas.* 41) Al. *Decutit. Ac.* vel *Et rem.* C. 7. *Hac*, Glofs. *Ac.* C. 9. *Et quatit et rem.* 42) C. 3. *Succedit sincerae.* Ascens. *colatur.* 43) C 3. *Frumentata — tunc pr. illc.* Al. *Emendata.* C. 9. *tunc.* 44) C. 3 et 7. *et* deest. C. 9. *tabula, tepidas.* 45) C. 3. hic vers. deest. C. 7. *admixtas.* Al. *tunc, tum, jam.* Fontes et farinas Simulus cogit ac contrahit in unum globum, ut mox iterum manu injecta digerat. C. 9. *admixtas tunc.* 47) C. 3. *grimo.* C 7. *gremio.* Edd. vett. *grumo.* C. 9. *Inter grumos spargit salem. Namque.* 48) Ald. *Format opus.* 49) C. 9. *impressis.* 50) C. 3. *Cibele.* C. 7. *Scybale.* C. 9. *Scibale.* 51) C. 3. *Ante focum.* C. 9. *aggerit.* 52) C. 3 et 7. *Vestaque*, sc. focus. C. 9. *peragit*, Glofs. *spargit Volcanus.* 53) C. 7. *Similus.* C. 9. *Scimulus.* 54) C. 3. *ne.* C. 9. *dapem*, manu priori *opem.* 57) Scalig. *vacabunt*; vulgo *rigebant*, sc. Non adeo durati etc. erant ei; sale enim et fumo durata rigent. C. 9. *Durata.*

Trajectus medium sparto sed caseus orbem,
Et vetus adstricti fascis pendebat anethi.
Ergo aliam molitur opem sibi providus heros.
  Hortus erat junctus casulae, quem vimina pauca
Et calamo recidiva levi munibat arundo;
Exiguus spatio, variis sed fertilis herbis.
Non illi deerat, quod pauperis exigit usus.
* Interdum locuples a paupere plura petebat *
* Nec sumtus erat illud opus. Sed regula curae: *
Si quando vacuum casula pluviaeve tenebant,
Festave lux: si forte labor cessabat aratro:
Horti opus illud erat. Varias deponere plantas
Norat, et occultae conmittere semina terrae,
Vicinosque apte cura submittere rivos.
Hic olus, hic late fundentes brachia betae,
Fecundusque rumex, malvaeque, inulaeque virebant;
Hic siser, et capiti nomen debentia porra;
Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,
Grataque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latum demissa cucurbita ventrem.
Verum hic non domini, quis enim contractior illo?

---

58) C. 3. *Transjectus — parco.* Al. *parto.* C. 9. *medio sparo*, s. filo vel thelo, Gloſs. a verbo *spargo* vet *sparus, spari.* Et est sparus telum rusticum missile sic dictum, quia cito emittitur. Alii autem textus habent *sparto*, et est filum grossum ad balistam aptum, proprie ein Windtfaden etc. Conf. Schelleri lexicon. - 59) C. 3. *fuscis.* C. 7. *aneti.* C. 9. *astricti.* 61) C. 9. *ortus.* 62) C. 3, 9. *redimita.* C. 7. *rediviva.* 63) C. 3. *vacuus.* 64) C. 7. *Nil illi.* Heins. *exigat.* C. *Nil illi defuit — exigat.* 65) Hic versus intrusus esse videtur. C. 3, 9. *multa pet.* 66) C. 7. *ullius opus.* Al. *huius*, *opus sed r. c.*, sc. nec huius curae regula erat sumtus, sed opus. — C. 3. *Et sumtus erat illius opus* C. 9. *sumptus erat huius opus, sed.* 67) C. 7. *pluviaeque.* C. 3. *Hunc quando.* C. 9. *casule pluvieque.* 68) C. 3, 9. *aratri.* 69) C. 7, 9. *disponere.* C. 3. *componere.* C. 9. *Orti.* 70) C. 3. *terra.* 71) Al. *apte cultis* vel *sulcis.* C. 7. *summittere.* C. 9. *curat.* 72) C. 3, 9. *Hic olus, et late.* C. 7. *Hic locus*, Gloſs. *olus.* 73) C. 3. *violaeque rubebant.* C. 7. *Foecundusque.* C. 9. *malue violeque.* 74) C. 3. *Hic cicer — deb. cepha.* C. 7. *nomen capiti.* C. 9. *siler, et nomen capiti.* 75) C. 3 et 7. deest hic vers. C. 9. *Hic et nocivum.* 76) C. 7. addit: *Crescitque in acumina radix.* C. 9. *lact. virorum.* 77) C. 7, 9. *dimissa*, sed male. C. 9. inter hunc et seq. versum addit: *Plurimaque intra se detrudens* (detrudit) *acumina radix.* 78) Contractus, modicus, parcus. C. 9. *Verum hoc.*

Sed populi proventus erat; Nonisque diebus
Venales olerum fasces portabat in urbem;
Inde domum cervice levis, gravis aere, redibat;
Vix unquam urbani comitatus merce macelli.
Cepa rubens sectique famem domat area porri,
Quaeque trahunt acri vultus nasturtia morsu,
Intubaque et Venerem revocans eruca morantem.
Tum quoque tale aliquid meditans intraverat hortum.
Ac primum, leviter digitis tellure refossa,
Quatuor educit cum spissis allia fibris;
Inde comas apii graciles, rutamque rigentem,
Vellit, et exiguo coriandra trementia filo.
Haec ubi conlegit, laetum consedit ad ignem;
Et clara famulam poscit mortaria voce.
Singula tum capitum numeroso cortice nudat,
Et summis spoliat coriis, contemtaque passim
Spargit humi atque abicit. Servatum gramine bulbum
Tingit aqua, lapidisque cavum demittit in orbem.
Hinc salis inspergit micas; sale durus adeso
Caseus adjicitur; dictas super ingerit herbas;
Et laeva vestem setosa sub inguina fulcit.
Dextera pistillo primum fragrantia mollit
Allia; tum pariter misto terit omnia succo.

---

79) C. 3, 7 et 9. *notisque.* C. 7. *profectus*, Glofs. *proventus*, sc. sulcorum, ipsa illa olera, quae educat Simulus. 80) C. 3, 7, 9. *humero fasc.* 82) C. 3. *mente mac.* C. 7. *vacuus mercede ma.* Merx urbani macelli sunt carnes in macello emtae. 83) C. 3. *Cepe.* Sectum porrum est sectile, area porri vero de area horti porris consita accipienda. C. 9 *secti — arrea* 84) C. 9. *voltum nasturcia.* 85) C. 7. *Intibaque.* C. 9. *Intiba* 86) C. 3. *Totque.* C. 7. *Tunc quoque — meditaris*, Glofs. *meditans.* C. 9. *Tunc — ortum.* 87) C. 3. *spicis allea.* C. 7. *refusa.* C. 9. *At pr.* 88) C. 9. *alea.* 89) C. 3, 9. *virentem*, ut Ald. 91) C. 3. *laetus.* C. 7, 9. *collegit.* 92) C 9. *Clara inde.* 93) C. 3 et 7. *nodoso.* C. 9. *tunc cap nodoso*, ut Ald. 94) C. 7. *contemptaque.* C. 9. *contentaque.* 95) C. 3. *bullum.* C. 7. *adiecit*, Glofs. *adicit.* Bulbus est allii caput interius, exterioribus pelliculis nudatum. C. 9. *adicit servatum.* 96) C. 7. *Tinguit.* C. 3, 7, 9. *dimittit.* De mortario agitur. 97) C. 3. *Hic salis adspergit.* C. 7. *His.* Proprie caseus sale adesus dicitur. C. 9. *salis spargit — obeso* 98) Edd. vett. *superinserit.* C. 9. *advehitur.* 99) C. 3. *imagine.* 100) C. 3 et 7. *flagrantia.* C. 9. *Dextra — flagrantia.* 101) C. 3. *Allea, cum pariter mixto.* C. 9. *mixto.*

It manus in gyrum; paullatim singula vires
Deperdunt proprias; color est e pluribus unus;
Nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant,
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Saepe viri nares acer jaculatur apertas
Spiritus, et simo damnat sua prandia vultu.
Saepe manu summa lacrimantia lumina tergit;
Inmeritoque furens dicit convicia fumo.
Procedebat opus. Non jam salebrosus, ut ante,
Sed gravior lentos ibat pistillus in orbes.
Ergo Palladii guttas instillat olivi,
Exiguique super vires infundit aceti,
Atque iterum conmiscet opus, mistumque retractat.
Tum demum digitis mortaria tota duobus
Circuit, inque globum distantia contrahit unum:
Constet ut effecti species nomenque moreti.
Eruit interea Cybale quoque sedula panem:
Quem laetus recipit manibus, pulsoque timore
Jam famis, inque diem securus Simulus illam,
Ambit crura ocreis paribus, tectusque galero
Sub juga parentes cogit lorata juvencos,
Atque agit in segetes, et terrae condit aratrum.

---

102) C. 7. *paulatim.* C. 9. *girum*; *palatim.* 103) C. 9. *ex pl.* 104) C. 3. *frusta resultant.* 108) C. 9. *manus.* 109 C. 3. *arcens.* C. 7. *convitia.* Aut fumo ex igni, aut allio graveolenti. C. 9. *Immeritoque.* 110) C. 3 et 7. *Nec jam.* Al. *Nec tam.* C. 9. *Jam non.* 111) Ms. Helmst. et Koeler *Sed graviter.* C. 9. *graviter lentusque — orbem.* 114) C. 3, 9 et 7. *mixtumque.* Helmst. et Koeler *recurvat.* 115) C. 3, 9. *Tum dig. dem.* 117) Forma moreti ad hunc modum absoluti in globum cogi solebat. C. 9. *Constat et.* 118) C. 3. *Cibele.* C. 7. *Scybale.* C. 9. *Exuit int. Scibale.* 119) C. 3. *recip. laetis.* Al. *lotis* 120) C. 3. *Similus.* C. 7. *Symilus.* C. 9. *Scimulus.* 121) Ocreae sunt perones. C. 9. *ocriis.* 123) Helmst. et Koeler *terrae immittit ar.*, ex interpretamento, vomer terrae immissus solo conditur.


Errata.

Pag.	lin.	lege:
1	17	indicandam
2	24	peculi
3	12	fumant.
3	21	opacum
3	44	grege
4	15	tugurî
4	36	Scytharum
4	42	oculis
5	16	coges.
5	32	jaciebat
12	5	divûm
13	3	deûm
15	47	Argus
28	13	frigora,
29	37	9) Rott.
30	4	vix
30	8	almum
30	28	uxor;
33	21	Daphnin.
33	30	Daphnidem
35	13	ille, caveto.
35	14	canebat:
36	33	a. U. C. 711.
38	3	Naïdes
38	28	Aones
40	46	aquosis
44	14	Dique,
44	39	Pan a Tegea,
45	32	Nerei
48	32	sulcos,
53	8	maderent.
55	11	divûm
55	48	equorum.
57	18	ignes
62	23	levem
62	44	haliaëtum
64	31	Inonis
65	7	moveri.
70	21	sequentur.
74	22	Panchaïa
75	4	virûm
76	8	virûm
76	11	maxime
76	14	tellus,
76	15	virûm
77	7	agri.
93	18	agebat.
95	36	*spumantia.*
98	22	meminere
101	24	luxurianti
102	34	Aptos,
103	20	Scythiaeque
106	22	tranant.
109	15	umbra,
110	21	aere
121	34	nidis pro pullis
122	36	saxorum
135	6	Fer
137	34	intexti
140	22	Rhodopeïae
141	21	Leti
146	6	otî
149	7	Martis,
149	11	superûm
150	4	deûm
151	4	Danaûm
151	20	divûm
151	48	C. 1, 8. Coniux
152	18	divûm
153	12	divûm
153	36	rectene
154	5	Danaûm
158	26	exuant
159	21	Oronti,
160	25	Patavì
160	48	pro morte.
161	13	(tibi fabor
161	22	Lavinì
162	40	Mycenae
173	36	Oenotria
174	45	dure
175	24	*urbem*
176	15	Troïus
177	46	Hesione
178	7	divûm
178	32	emblematibus
179	24	Leda
182	38	*It strepitus*
187	24	Priamique
189	24	82) al. *Belidae,* a Beli filio.
189	29	oppugnationem
191	24	arcta
193	49	vel totam
203	5	aspris velati
204	6	Priameia
204	22	Spumeus.
206	27	Fastigia
206	40	Ectonis
206	43	Evado
207	4	Achaïa
210	40	Hectoris
213	43	facit ob (*sine Virgil*)
224	25	est non longe
226	10	ciemus
236	6	amore *sine puncto*
238	4	incassum
238	32	archaismus

Pag. 239	lin. 29	lege: comedunt
— 240	— 10	— Petelia
— 240	— 30	— occursu
— 242	— 27	— consertam
— 247	— 28	— vidimus still. aerem
— 249	— ult.	— eius figuram, magnitudinem et splendorem oculi.
— 250	— 41	— Et firmum
— 252	— 36	— prior
— 267	— 43	— Taedae
— 274	— 16	— Funerea;
— 274	— 36	— picearum
— 277	— 35	— Expende
— 281	— 29	— dolorem *sine puncto*
— 307	— 15	— Troïa
— 319	— 29	— Androgeum
— 320	— 12	— Sibyllae
— 321	— 54	— penetralibus
— 333	— 4	— obibis?
— 334	— 4	— Troïus
— 338	— 9	— relinquit
— 342	— 30	— Arma impia
— 347	— 44	— coniunctionem
— 350	— 28	— interfectam
— 357	— 43	— Rutulorum
— 357	— 45	— Herodianus
— 358	— 11	— (nefas)
— 359	— 42	— sustentandae
— 360	— 21	— Nunc
— 379	— 8	— nequidquam
— 382	— 45	— Coras
— 384	— 3	— cycni,
— 384	— 4	— Quum
— 384	— 36	— ille
— 887	— 14	— Fulmine
— 388	— 2	— Sustinet
— 392	— 10	— Albam
— 397	— 15	— lustralibus
— 399	— 3	— oculis.
— 403	— 30	— indocilis
— 407	— 14	— Pyramon.
— 407	— 42	— grandine
— 409	— 5	— agebat.
— 415	— 8	— vomentem
— 421	— 19	— familiae
— 424	— 30	— C. 8. *quae,*
— 426	— 13	— animis Rutuli
— 428	— 41	— iaculis
— 433	— ult.	— cogites.
— 434	— 14	— Remi
Pag. 434	lin. 41	lege: ebullientem
— 438	— ult.	— Augustus
— 440	— 28	— cancro
— 449	— 31	— clipeum
— 453	— 10	— subsistere tantum,
— 453	— 23	— C. I. *hostis.*
— 455	— 18	— Nascentis
— 462	— 45	— Phaethonta,
— 462	— 48	— Phaethontis
— 466	— 35	— C. 6, 7. inest hic vers.
— 473	— 40	— ferat.
— 474	— 15	— deûm
— 475	— 5	— telum
— 475	— 37	— C. 7. *Laevo*
— 476	— 33	— sunt
— 480	— 33	— 612) *Obiurgas* etc. *quod* 607) legitur.
— 483	— 33	— sanguis
— 485	— 14	— comasque.
— 488	— 38	— 806) Tenet se tectus
— 491	— 6	— equina,
— 493	— 25	— Eburneum
— 495	— 42	— *durum*
— 495	— 43	— *Obstabis*
— 497	— 40	— implicatos,
— 498	— 36	— Turnum
— 501	— 34	— curruum
— 504	— 40	— Calydon
— 504	— 44	— iracundia
— 505	— 5	— malorum.
— 507	— 35	— muneri.
— 513	— 35	— Latonae filia.
— 520	— 36	— Hippolyte
— 533	— 21	— pacisci.
— 533	— 33	— Hug. *cepit.* Refero r,
— 535	— 4	— recessit,
— 537	— 31	— innituntur
— 538	— 19	— Aeneas,
— 544	— 44	— fecero.
— 548	— 35	— trepidatione
— 548	— 46	— Pubera
— 549	— 29	— ferulae
— 553	— 25	— Argiva regione
— 556	— 41	— *discidit.*
— 560	— 30	— puppim
— 566	— 10	— deûm
— 566	— 25	— serum
— 574	— 25	— deûm

Virgibitarum.

Specimina Scripturarum ad editionem P. Virgilii Maronis operum a J. H Jaeck Bibl. Bamb. Praefecto, adhibitarum.



Delin Schmitt Bambergensis

Sculpsit A. Falger

12/и 93